Necesse est igitur errores de Satisfactionibus taxari, et restituenda est dicto Paulino nativa sententia dulcissima. Hoc enim docet, mitigari poenas etiam in hac vita, his qui convertuntur, ut, Davidi, Manassae, Ninivitis mitigantur poenae post conversionem. Sicut et in Zacharia dicitur: Convertimini ad me, et convertar ad vos. Et Esaiae 33. dicitur: Panis ei dabitur: Regem in decore suo videbit. Et Esaiae 58. Frange esurienti panem tuum, et eris velut hortus irriguus. Ad has sententias congruit Pauli dictum: Si nos iudicaremus, non iudicaremur a Domino. Et loquitur de vera conversione. Et consolationis causa saepe cogitandum est, ut sciamus, Deum poenas corporales mitigare iis, qui ad ipsum convertuntur.

DE COENA DOMINI.

Quid est Coena Domini?

Est communicatio corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi, sicut in verbis Evangelii instituta est, in qua sumptione Filius Dei vere et substantialiter adest, et testatur se applicare credentibus sua beneficia, et se assumpsisse humanam naturam propter nos, ut nos quoque sibi insertos Fide membra sua faciat, et nos ablutos esse sanguine suo. Simul etiam testatur, se velle in credentibus deinceps esse, et se, cum sit λόγος aeterni Patris, docere, vivificare et regere credentes, sicut inquit Iohannis 15. Manete in me, et ego in vobis: Qui manet in me, et ego in eo, id est, qui fide retinet Evangelium, in eo vere adest Filius Dei.

Quis est fructus Sumptionis?

Usitate respondetur, quod sumptio fiat ad confirmandam Fidem, videlicet, ut applicentur credenti beneficia Christi, sicut supra dictum est, Sacramenta esse testimonia applicationis, quod necesse est intelligi, non ut Papistae loquuntur, ex opere operato, id est, sine bono motu utentis in adultis, sed cum Fide accipiunt. Sic enim et non aliter colligit aeternam Ecclesiam Filius Dei, voce Evangelii, et usu Sacramentorum, sicut dicitur: Fides ex auditu est, auditus per verbum Dei. Trahit igitur voce Evangelii, et vult nos assentiri. Eodem modo de Sacramentis dicitur, sicut Augustinus confert Verbum et Sacramenta, cum dicit, Sacramentum esse verbum visibile.

Est igitur hic primus fructus, hoc testimonio confirmare Fidem, et statuere, quod hoc tanquam pignore seu sigillo Filius Dei se tibi applicare sua beneficia testetur, sicut et Paulus Circumcisionem appellat Sigillum Iustitiae, id est, testimonium confirmans nos. Postea haec applicatio magis declaretur. Ita fit applicatio beneficiorum, ut credens inseratur Christo, et fiat eius membrum, et testimonium habeat, quod Filius Dei assumpserit humanam naturam propter NOS, ut nos sibi insertos tanquam surculos servet, cum totum genus humanum funditus periturum fuisset, nisi ipse massam nostram assumpsisset, et nos sibi insereret. Sic igitur prodest sumptio, et fit dulcissima, cum hos fructus cogitamus.

I. Primum, cum Fides in conversione intuetur Filium Dei, testificantem, se tibi applicare remissionem. Deinde testificantem, se ideo assumpsisse humanam naturam, ut sustentet nos, colligat aeternam Ecclesiam, vivificet eam, et semper sit in credentibus Filius Dei λόγος cum voce Evangelii, gestet et gubernet eos.

II. Secundo accedat Gratiarum actio pro filii missione, pro assumptione humanae naturae, pro ipsius passione, pro redemptione, pro donatione

Evangelii, pro vivificatione, quae fit per ipsum et Spiritum sanctum, pro restitutione vitae aeternae, pro collectione Ecclesiae, denique pro omnibus beneficiis. Utrunque complectitur Dominus, videlicet, confirmationem Fidei, et Gratiarum actionem, cum inquit: Hoc facite in mei recordationem. Quia recordatio non simulata, est in vera conversione petere et credere remissionem propter Mediatorem, et hac fide erigi et vivificari per eum, et deinde vere gratias agere. Ideo vetustas usa est nomine εὐχαριστίας.

III. Tertio simul cogitandum est, verissime Deum velle hanc sumptionem in publico congressu fieri, ut sit nervus honestae congregationis, quia Deus semper voluit Ecclesiam esse visibilem coetum, habere honestos congressus publicos, in quibus sonet vox Evangelii de Filio Dei, sicut scriptum est: In omnem terram exivit sonus eorum.

Non vult Deus, suam doctrinam similem esse arcanis mysteriis Eleusiniis. Sed vult in toto genere humano exaudiri et agnosci Filium. Ideo et ipse miranda potentia servat et servabit honestos Ecclesiae congressus, et vult singulos adiuvare horum publicorum congressuum conservationem, ut Ministerium docendi conservetur.

Ibi vult Deus communem precationem et gratiarum actionem fieri, ibi vult ostendi confessionem, quod genus doctrinae singuli amplectantur. Ibi vult etiam membra Ecclesiae inter se simul facere officia mutuae dilectionis, et ostendere se esse unum in Christo, et consentientia unius Christi membra. Sicut Paulus inquit: Unus est panis, unum corpus multi sumus. Ac semper vetustas foedera confirmavit societate sacrorum: Ideo σπονδαὶ significant foedera, cum σπονδὴ proprie sit libatio, a σπίω, quod est a πίνω.

Hae tres gravissimae causae semper in Synaxi cogitandae sunt, quae quidem pias mentes et conservationem publici Ministerii, et ad sumptionem invitant.

Quid differunt Sacramentum et Sacrificium?

Semper hoc in conspectu sit in Ecclesia, Sacramenta non tantum esse signa professionis externae, ut Toga discernebat Romanum ab aliis hominibus: Sed esse signa voluntatis Dei erga nos, et quidem in Novo Testamento esse testimonia gratiae, addita promissioni, id est, testari quod Deus propter Filium credentes recipiat, et applicet eis promissionem.

Etsi autem multi tantum iudicant politico more, hos ritus esse signa professionis, instituta ut discernant homines: Tamen sciamus, hunc non esse principalem finem Sacramentorum, quanquam hic finis etiam postea accedit, ut, Circumcisio primum significabat promissionem de venturo semine, et de Gratia. Postea etiam erat signum discernens Israëlitas a Gentibus.

Deinde Sacramenta etiam a Sacrificiis discernenda sunt. Sacramenta sunt ritus divinitus instituti, in quibus Deus affirmat, se nobis aliquid dare, id est, testatur credentes recipi a se, et eis applicari promissionem, ut de Circumcisione dicit: Ego ero Deus eorum.

Sed Sacrificia nominantur opera quaecunque a Deo praecepta, quae nos reddimus Deo, ut ostendamus, nos agnoscere, hunc vere esse Deum, quem sic colimus, et velle eum coli, sicut docet. Ut, Israëlitarum confessio contra Nabuchodonosor, et constantia in supplicio est Sacrificium, id est, est res quae offertur Deo, qua tribuunt ei debitum honorem, id est, ostendunt, hunc esse Deum, quem sic colunt, et non alios, et velle eum coli, sicut docet. Sic castitas Ioseph est Sacrificium, id est, opus quod Ioseph Deo reddit, et testatur hac obedientia, se sentire, hunc vere esse Deum, quem sic colit, et velle eum hac obedientia coli.

Est igitur Sacrificium opus a Deo mandatum, factum in agnitione Mediatoris et fide, ad hunc finem, ut Deo praestetur honos, id est, ut eo opere testemur, hunc vere esse Deum, et velle eum sic coli. Hac distinctione considerata, postea facilius intelligi potest disputatio de Oblatione, seu de Sacrificio:

Utile est et alteram distinctionem considerare. Osiander fecit tres species Sacrificiorum:

I. *Τυπικά.*
II. *Ἱλαστικόν.*
III. *Δίδακτρον.*

Ἱλαστικόν est unicum CHRISTI Sacrificium, quo Christus se offert aeterno Patri, et derivat in sese iram, et meretur nobis sua obedientia reconciliationem.

Τυπικὰ nominat omnia Levitica. Et in his erant δίδακτρα, quatenus inde alebantur Levitae, et eorum familiae. Sed addo meam distinctionem. Unicum sacrificium est ἱλαστικόν, scilicet, tota Christi obedientia. Aliorum omnium piorum sacri-

ficia sunt *εὐχαριστικά*. Et haec aut sunt *τυπικὰ*, aut sunt moralia.

De vocabulis publici ritus Coenae Domini.

Prima appellatio est, Coena Domini, 1. Corinth. 11. qua appellatione ritus simplicissime appellatur.

II. Postea in Graeca Ecclesia nomen usurpatum est usque ad haec tempora *λειτουργία*, quod significat simpliciter administrationem publici boni, ut si quis dicat, instrui et apparari navim *λειτουργίαν*. Est enim a *λήϊτον*, id est, bellando partum, non a *λιτή*, id est, precatio. Non est igitur sacrificii nomen, sed ministerii, in quo unus multis servit, exhibens Sacramentum. Notissima est enim appellatio *λειτουργία* de oneribus publicis, ut sciunt omnes mediocriter docti in Graeca lingua.

III. Tertia appellatio est *σύναξις*, a congregatione, quia Deus vult publicos esse Ecclesiae congressus honestos, et eos immensa bonitate servat, et hanc ceremoniam vult esse nervum publicae congregationis.

IIII. Quarta appellatio *εὐχαριστία* est Gratiarum actio, quia verissimum est, Filium Dei in illa Coena primum velle Fide accipi beneficia sua. Deinde et gratias agi pro tota redemptione, et collectione Ecclesiae.

V. Quinta appellatio est *ἀγάπη*, sive quia olim simul afferebantur ad Coenam Domini panes et aliae res distribuendae pauperibus: sive quia indicabant esse foedus mutuae dilectionis. Quod etsi verum est, tamen alius est prior et principalis finis, scilicet, Testimonium seu pignus esse voluntatis Dei erga nos.

Romani usi sunt nomine MISSA, nec scitur, an id nomen ab Hebraeis sumptum sit, an vero Latinam originem habeat. In Deuteronomio capite 16. legitur vocabulum Missa pro contributione, quia in feriis, ut iam dixi, multa afferebantur distribuenda pauperibus.

Alii dicunt Latinum esse Missam pro remissione peccatorum, sicut et Cyprianus utitur vocabulo Remissa pro Remissione, quia ibi annuntiatur Remissio peccatorum omnibus conversis qui ad Coenam Domini admissi sunt. Fuerunt igitur tanquam verba absolutionis: *λάοις ἄφεσις ἔσιω*, populis sit remissio, id est, sit vobis remissio, qui accessistis ad communionem. Quod Latini imitati sunt: ITE MISSA EST, id est, remissio peccatorum vobis certo annuntiata est. In his vocabulis publice usitatis nullum est, quod oblationem aut sacrificium proprie significet.

Quare necesse est MISSAM Papistarum taxari?

Quia omnis Idololatria est taxanda, fugienda et abolenda. Idololatricum est autem, quod dicunt Papistae, Sacrificulos sua oblatione et Missa mereri remissionem peccatorum facienti et aliis. Et quidem cumulant errores, cum addunt, eam oblationem mereri ex opere operato, ut ipsi loquuntur. Quae opinio palam Ethnica est. Necesse est igitur Papisticam MISSAM taxari, vitari et aboleri.

Minor probatur, Quia ad Hebraeos expresse scriptum est: Unico Sacrificio consummavit Sanctos. Praeterea nullum opus externum in Novo Testamento placet, ut illi loquuntur, ex opere operato, Quia scriptum est: Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu et veritate.

Alia ratio.

Tenenda est regula: Nihil habet rationem Sacramenti extra usum qui institutus est a Deo. Oblatio non instituta est in verbis Evangelii, sed sumptio. Igitur non est facienda oblatio.

Contra.

Universalis Ecclesia non errat.
Graeca et Latina Ecclesia faciunt mentionem oblationis.
Ergo est aliqua oblatio.

Respondeo. Vetus Ecclesia Graeca loquitur de oblatione gratiarum actionis, non de merito, seu propitiatione pro peccatis, quia expresse dicit: Offerimus pro Patribus, Prophetis et Apostolis, videlicet Gratiarum actionem, sicut verum est, semper in Coena Domini haec facienda esse ordine, publice et privatim.

I. Proponendam esse doctrinam de beneficiis Christi, de Poenitentia et Fide.

II. Secundo, Faciendam esse invocationem.

III. Tertio, Sumptionem, qua Fides confirmetur

in conversis, qui statuant, vere sibi applicari beneficia Mediatoris. Et in eo exercitio fidei sumptio habet rationem Sacramenti, quia accipit beneficia Dei.

IIII. Quarto accedat gratiarum actio publice et privatim de toto beneficio redemptionis et collectionis Ecclesiae, et de aliis beneficiis, Spiritualibus et corporalibus. Ideo vetustas usa est nomine εὐχαριστίας. Sed prius intelligenda est ratio Sacramenti.

DE INVOCATIONE, PRECATIONE, ET GRATIARUM ACTIONE.

Quid est cultus Dei?

Respondeo. Est opus a Deo mandatum, factum in Fide, id est, vera agnitione et fiducia Mediatoris, quod refertur ad hunc finem, ut Deo tribuatur honos, id est, ut testemur, hunc vere esse Deum, quem sic colimus, et eum sic velle coli. Sit igitur regula cultuum Decalogus recte intellectus, iuxta dictum Ezechiel. 20. In praeceptis meis ambulate, non in praeceptis patrum. Et in prima tabula praecipue de Invocatione praecipitur, iuxta dictum: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.

Quid est Invocatio seu Adoratio?

Est aut petere a Deo propter Mediatorem bona necessaria, aut pro beneficiis Deo aut Mediatori gratias agere. Quod vero aliqui tertium genus adiungunt, celebrare laudes Dei, id spargitur in illa duo genera, aut certe est doctrina ostendens quid et qualis sit. Quod si quis vult esse tertium genus, non repugno.

Quomodo facienda est Invocatio seu Petitio?

Satis intelligi potest, alium motum in corde esse, petentem ut nobis aliquid detur: alium, laetari accepto beneficio. Primum igitur discatur, quomodo facienda sit petitio. Ac turpis negligentia est, cum de caeteris virtutibus tam multa et scripta, et disputata sint, de vera precatione, quae est summa virtus, minus cogitari. Necessaria est autem praecipue sex rerum consideratio.

I. Primo cogitandum est, Quid et quem Deum, ubi patefactum invoces, ut discernas tuam Invocationem ab Ethnica. Ideo Iohannis 4. scriptum est: Vos adoratis quod nescitis. Nos adoramus quod scimus.

Vult Deus nos intelligere in precatione, quid agamus, et quid invocemus. Vult se verum Deum a commenticiis numinibus discerni. Ideo dictum est: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Vult non vagari cogitationes nostras, ut vagatur Hecuba apud Euripidem: O Iupiter, quidquid es, sive hoc coelum, sive mens, quae vehitur in coelo.

Ac semper Deus illustre testimonium proposuit, quo voluit agnosci et discerni, sicut in Decalogo nominat Eductionem ex Aegypto. Et antea dicunt Patres: Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, id est, te verum Deum invoco, qui te patefecisti Abrahae, et ei promissionem tradidisti. Ac testimonia omnia referantur ad Filium.

Sit igitur directa mens ad hunc verum Deum, qui se patefecit misso Filio Domino nostro Iesu Christo, crucifixo et resuscitato. Et quidem nominentur personae initio precationis, et cogitetur, quae cuiusque sit proprietas, ut discernatur Deus ab omnibus creaturis, et discernatur invocatio vera ab Ethnica invocatione.

FORMA PRECATIONIS.

Omnipotens aeterne et vere Deus, aeterne Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te patefecisti immensa bonitate, et clamasti de Filio tuo, Domino nostro Iesu Christo: Hunc audite, creator coeli et terrae, et Ecclesiae Angelicae et Humanae, una cum Filio tuo coaeterno, Domino nostro Iesu Christo, crucifixo pro nobis et resuscitato, qui est imago tua, et λόγος ad Ecclesiam missus: Et cum Spiritu sancto tuo, sapiens, verax, bone, iuste, iudex, misericors, caste et liberrime, qui dixisti: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Item: Invoca me in die tribulationis, eripiam te, et glorificabis me. Item: Effundam super domum David Spiritum gratiae et precum, confiteor tibi, me miserrimum peccatorem horribiliter peccasse, et doleo toto corde quod offendi te, Miserere mei, et exaudi me, et iustifica me, per et propter Filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis, et re-

suscitatum, λόγον καὶ εἰκόνα σου ἀΐδιον, quem voluisti pro nobis esse victimam, καὶ μεσίτην, καὶ ἱκέτην, et sanctifica me Spiritu sancto tuo, etc.

Simul etiam cogitet mens de distinctione personarum. Pater est persona quae genuit Filium λόγον, et per eum vult innotescere, et cum Filio et Spiritu sancto omnes creaturas condidit et sustentat, et in Baptismo Filii dicit: Hic est Filius meus dilectus, etc.

Filius nominatur λόγος, et respectu Patris, quia est integra eius imago, et respectu nostri, quia persona est, ad Ecclesiam missa, ut primum proferat ex sinu Patris mirandum decretum de reconciliatione et restitutione vitae aeternae, quod omnibus creaturis ignotum est, et deinceps semper adsit Ecclesiae, illustret promissionem in Prophetis, et sustentet et restituat ministerium Evangelii, et immediate efficax sit in eo ministerio, et assumpta humana natura sit propitiatio pro nobis, et ostendat, quomodo Pater agnoscendus sit ipso agnito, et ut ipse sit efficax in ministerio, dicat consolationem voce Evangelii, vivificet credentes, servet ministerium Evangelii, iuxta dictum: Dat dona hominibus, etc. Et per ipsum detur Spiritus sanctus, sicut expresse in Actis dicitur, capite 2. Dextra Dei exaltatus promissionem Spiritus sancti accipiens a Patre, effudit eum, etc. Et recte inquit Athanasius: Quandocunque dicitur esse in homine Spiritus sanctus, est ibi per verbum.

Spiritus sanctus est agitator tanquam flamma, quae accendit affectus in corde tales, qualis ipse est, amorem Dei, et laetitiam in Deo, et alias virtutes. λόγος ostendit menti Patrem et voluntatem Patris, voce Evangelii notitiam accendens, Spiritus sanctus est viva flamma agitatrix in corde.

Hae proprietates personarum in vera invocatione cogitandae sunt, et saepe professio Symboli recitanda est, et discernenda nostra invocatio ab Ethnicis et aliis erroribus, etc.

II. Secunda consideratio est praeceptum. Cogitandum est, Deum velle coli petitione gratiae et aliorum donorum, ut discernatur a malis naturis, et tribuatur ei hic honos, quod sit sapiens, bonus, beneficus, dator vitae, sapientiae, et aliorum bonorum, et quod velit sua bona nobis communicare, sicut Psalmo 49. inquit, se velle hoc modo coli: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te, etc. Ac ut violatio praecepti, Non occides, displicet Deo, sic displicet et violatio secundi praecepti, neglectio invocationis, cum dictum sit: Petite et accipietis.

III. Tertia consideratio est conversionis. Dicat enim aliquis: Quid petam? cum scriptum sit: Peccatores Deus non exaudit. Hic tenenda est vox iuramenti: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Non perseveret invocans in sceleribus contra conscientiam, sed vere convertatur ad Deum. Et in qualibet vera invocatione fit aut crescit conversio seu poenitentia ad Deum. Ioel 2. Scindite corda vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia misericors est, et poenitet eum mali.

IIII. Quarta consideratio est Promissionis. Neque conversio ad Deum, neque invocatio fieri potest, nisi simul promissione Gratiae et fiducia Mediatoris erigamur, ut accedamus ad Deum, iuxta dictum ad Ephesios: Per hunc audemus accedere confidenter per fidem in ipsum. Necesse est igitur primum fide accipere remissionem peccatorum, et reconciliationem, et statuere, quod invocatio placeat Deo, nec sit irrita. Deinde et caeterae promissiones de aliis beneficiis et mitigatione calamitatum intuendae sunt. Necesse est enim semper in conspectu esse doctrinam de distinctione promissionum.

Prima et summa promissio est, promissio Gratiae et vitae aeternae propter Mediatorem dandae gratis. Hoc summum bonum est, quod vult Deus accipi, etiam omnibus bonis corporalibus amissis, iuxta dictum Iob: Etiamsi occidet me, sperabo in eum. Nec peti alia bona possunt, nisi praelucente promissione Gratiae, iuxta dictum: Nemo potest accedere ad Patrem, nisi per Filium.

Item: Quomodo invocabunt, nisi credant?

Item: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

Aliae sunt promissiones de bonis necessariis in hac vita. Quia enim Deus in hac vita colligit Ecclesiam voce Evangelii, et non aliter, tribuit etiam aliqua vitae spatia, et politias et Oeconomias, iuxta dictum: Non mortui laudabunt te Domine. Item: 1. Timoth. 4. Pietas promissionem habet praesentis vitae, et futurae. Item: Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis, Scit Pater vester coelestis, vos illis rebus indigere.

V. Quinta consideratio est de Fide. Hic primum sciendum est, Fidem, quae petit remissionem, reconciliationem et vitam aeternam, gubernationem animae, oportere in specie haec ipsa bona petere et expectare, sine conditione. Quia Deus vult haec nominatim peti. Et non habere haec dona est manere hostem Dei, et contumelia Deum affi-

cere. Ideo dictum est: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat.

Sed Fides, quae petit bona corporalia, ut David petens se reduci in regnum, petit cum conditione: Si Deo placet. Quia utrumque sciendum est, et petenda esse haec bona, et tamen Ecclesiam subiectam esse cruci, et debere obedientiam Deo, iuxta dictum: Humiliamini sub potenti manu Dei.

Nec tamen irrita est precatio. Aut enim tollitur poena, aut mitigatur, ut Iob, David, Manasses, restituuntur in sua regna. Amasiae et Osiae mitigatae sunt poenae, sicut plerumque fit, iuxta dictum: Non faciam furorem irae meae. Item: Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? Item: Domine in iudicio corrigas me, ne ad nihilum redigas me.

Denique necesse est firmissime hanc regulam tenere: Etiam amissis omnibus bonis corporalibus et cum vita corporis certo amittenda est, tamen retinenda est promissio gratiae et vitae aeternae, iuxta haec dicta:

Ezechielis 18. Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat.

Item: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.

Item: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, Ego reficiam vos.

Item: Etiamsi occidet me, sperabo in eum.

Item: Sacrificium Domino Spiritus contritus. Cor contribulatum Deus non despicies.

Et est aeternum et immutabile mandatum omni tempore, ut ad Deum convertamur, iuxta dictum: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos. Et non volens conversionem, nec petens remissionem, manet hostis Dei, et contumelia eum afficit, iuxta dictum: Qui non credit in Filium, ira Dei manet super eum. Ideo omni tempore necessaria est conversio.

VI. Sexta consideratio est rerum petendarum, sicut Iohannes inquit: Quicquid petieritis secundum voluntatem eius, dabit vobis, id est, non sunt res petendae prohibitae a Deo, sed quarum petitio congruit cum Decalogo, et promissionibus divinis de bonis spiritualibus et corporalibus, sicut supra dictum est, de distinctione promissionum. Et promissiones aliae loquuntur de bonis spiritualibus, aliae de bonis corporalibus. Ut:

Quanto magis Pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

Item: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te.

Item: Si quis egebit sapientia, petat sine dubitatione, et dabitur ei.

Item: Pater et Mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me.

Item: Timenti Dominum non deerit omne bonum.

Item: Multae tribulationes iustorum, sed ex omnibus liberabit eos Dominus.

Ac vult Deus exerceri Invocationem et Fidem petitione corporalium rerum, iuxta dictum: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, etc.

Semper autem regula tuenda est, In petitione corporalium bonorum oportere praelucere Fidem, quae accipit promissionem Gratiae, iuxta dicta: Nemo accedit ad Patrem, nisi per Filium. Item: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Item: In Christo omnes promissiones sunt ratae.

Addenda est et admonitio de mora, et de modo liberationis. Vult Deus suam praesentiam agnosci in Ecclesia, et a se peti ac expectari auxilium, vult exerceri Fidem, Invocationem et Spem, nec vult consilia humana seu cogitationes humanas dominari in gubernatione vitae, sed vult sciri, Ecclesiam divinitus regi, sicut inquit: Ne dicatis, manus nostrae haec fecerunt.

Non igitur dat eventus mox, et iis modis, quos cogitat humana ratio. Ut, Quanquam promiserat Deus, se servaturum esse stirpem Iuda, donec nasceretur Messias: Tamen erant inanes imaginationes hostium Ieremiae, qui disputabant, non posse deleri templum et politiam eius temporis. Poterat enim Deus aliter et servare et restituere, quam ipsi cogitabant. Et revera maior gloria fuit populi in exilio, quam domi fuisset, quia propagata est doctrina in magna parte regni Babylonici et Persici, sunt conversi quatuor Reges, Nabuchodonosor, Ephimerodas, Darius Medus, et Cyrus. Edita sunt miranda testimonia, servati tres viri in igni, Daniel inter leones, etc.

Obiurgat igitur Iudith cap. 8. cives, qui dies quinque praefinierant: Qui estis vos, qui tentatis Dominum, posuistis tempus miserationis Domino?

Sed regula tenenda est de Circumstantiis, Abacuc 2. Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, et non tardabit. Et

Lucae 18. Oportet semper orare, et non languefieri, etc.

Hae regulae non solum de tempore, sed etiam de aliis circumstantiis intelliguntur, videlicet, de modo liberationis, de personis. Ut, Longe aliter liberati sunt Ioseph, Ionas, et plurimi omnibus temporibus, quam ipsi cogitaverunt, ut Psalmo 71. dicitur: Liberavit pauperem, cui non erat adiutor. Psalmo 26. Pater et Mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me. Et in dicto Iosaphat: Cum nescimus, quid agendum sit, Oculi nostri ad te Deus noster, etc.

Quid est Gratiarum actio?

Respondeo. In genere est professio, unde sit acceptum beneficium, et est obligare sese ad mutua officia. Nam Gratitudo est virtus composita ex duabus summis virtutibus, scilicet, ex Veritate et Iustitia. Veritas profitetur, unde sit acceptum beneficium. Iustitia praestat mutua officia. Ergo ingratus et mendax et iniustus est.

Vult autem Deus intelligi ab hominibus Gratitudinem, ut eam erga ipsum praecipue exerceamus, et simus erga ipsum veraces et officiosi.

Ac sicut petitionem in invocatione postulat, ut agnoscamus esse Deum, et esse omnipotentem, praesentem, opitulatorem, ut in tali agnitione se nobis communicet: Ita Gratiarum actionem postulat, ut perseveret haec vera agnitio, ut deinceps etiam sese nobis communicet.

Est ergo Gratiarum actio erga Deum Veritas, quae profitetur, accepta esse a Deo beneficia, et vere esse Deum, esse omnipotentem, praesentem et opitulatorem. Et est opus Iustitiae, qua te obligas ad officia Deo grata.

Cum igitur Mendacium et Iniustitia sint horribilia peccata, manifestum est, Ingratitudinem erga Deum esse horrendum scelus. Ut, cum Alexander cogitat casu aut sua virtute partum esse regnum, nec fatetur a Deo datum esse, mendax est, et quidem contra Deum. Postea fit iniustus, non reddens Deo officium debitum, cum iubet sese coli ut Deum.

Ex hac puerili commonefactione et descriptione Gratitudinis intelligi potest, maxime necessarium cultum esse Gratitudinem. Et cum extinguitur agnitio Dei in ingratis, Deus desinit se eis communicare. Sicut plerumque securi homines post accepta beneficia ludunt talibus cogitationibus: Fortassis casu liberatus es, etc. Ita amittunt agnitionem Dei, et praesentiae Dei, cum sequenti commemoratione ac professione alere et confirmare agnitionem Dei et Fidem deberent.

Cum igitur gratiarum actio sit necessarius cultus, plerumque praecepta coniuncta sunt de petitione et Gratiarum actione, quia utraque necessaria est ad agnitionem Dei. Psalmo 46. Invoca me in die tribulationis, eripiam te, et glorificabis me, etc.

Prodest autem commonefactionis causa, quotidie expressis verbis et certa forma verborum recitare gratiarum actionem.

FORMA GRATIARUM ACTIONIS AD AETERNUM PATREM.

Omnipotens, aeterne, vive et vere Deus, aeterne Pater Domini nostri Iesu Christi, creator coeli et terrae, et hominum, et omnium creaturarum, et conservator, dator vitae, legis et sapientiae, et opitulator, una cum Filio tuo coaeterno, Domino nostro Iesu Christo, λόγῳ καὶ εἰκόνι σου ἀϊδίῳ, et Spiritu sancto tuo, effuso in Apostolos, casto et veraci, sapiens, bone, verax, iuste, iudex, misericors, caste, liberrime, tibi gratias ago, quod revelasti te nobis, quod misisti Filium, et voluisti eum assumere humanam naturam inenarrabili sapientia et bonitate, et fieri victimam pro nobis, qui colligis aeternam Ecclesiam, et quod inter nos colligis, servas Ministerium Evangelii, das Spiritum sanctum et vitam aeternam, et quod das nobis bona corpori nostro necessaria, et mitigas ac tollis poenas, denique pro omnibus beneficiis animae et corporis, etc.

AD AETERNUM FILIUM.

Ago tibi gratias omnipotens Fili Dei, Domine Iesu Christe, verbum et imago aeterni Patris, crucifixe pro nobis, et resuscitate, nate ex virgine, Emanuel, sedens ad dextram aeterni Patris, colligens et servans aeternam Ecclesiam voce Evangelii, quod patefecisti nobis aeterni Patris misericordiam, et decretum de redemptione, et semper collegisti Ecclesiam, et assumpsisti humanam naturam, es Mediator, Redemptor, Iustificator et Salvator, es summus Sacerdos, semper intercedens pro nobis, dans vocem Evangelii, et es efficax per eam, et das remissionem peccatorum, et es rex, colligens, servans et protegens Ecclesiam, et das Spiritum sanctum iis, qui ad te convertuntur, et Evangelii voce se sustentant, et restituens in nobis iustitiam et vitam aeternam, das lucem in consiliis, intellectum verbi tui, depellis Diabolos, das etiam bona corpori necessaria, etc.

AD SPIRITUM SANCTUM.

Ago tibi gratias omnipotens, verax, caste, Spiritus sancte, procedens ab aeterno Patre et Filio, Domino nostro Iesu Christo, effuse in Apostolos, quod confirmas corda nostra, ut firmiter assentiantur verbo Dei, et flectis ea ad invocationem Dei, et ad omnes motus legi divinae congruentes, et laetificas ea, ut acquiescant in Deo, petant et expectent omnia beneficia Dei. Das etiam bona corpori necessaria, etc.

QUARE ECCLESIA SUBIECTA EST CRUCI?

De causis calamitatum, et de locis consolationum.

Cum nulla visibilis natura sit praestantior quam humana, sapientes omnes quaerunt, unde sit illa magna moles errorum, vitiorum, et calamitatum in tam praestanti natura. Quoties omnes sapientes errant in consiliis? Quam facile ruunt in scelera? Deinde unde sunt Mors, morbi et horrendae confusiones in vita, bella, et assiduae vastationes Gentium? Et quare iusti ab iniustis opprimuntur?

Philosophia dicit, multa casu accidere. Quaedam fatetur habere causas fatales. Deinde Mortis et morborum causas dicit esse Materiam. Causas autem scelerum dicit esse voluntatem humanam.

Sed si quaeras, unde in materia hominum, et in voluntatibus hominum tanta sit infirmitas, fontem horum malorum non monstrat. Sed principales et veras causas Deus in Ecclesia patefecit, et doctrinarum collatio ostendit, Ecclesiae doctrinam perfectiorem esse, quae et primas causas calamitatum, et firmas consolationes monstrat, ignotas Philosophiae. Et efficacia in consolationibus ostendit, Ecclesiae doctrinam a Deo traditam esse, quia liberationes sunt testimonia praesentiae Dei.

Quae est causa vitiorum, erratorum, Mortis, et aliarum miseriarum in toto genere humano?

Prima et universalis causa est Peccatum haerens in natura, iuxta dictum: Per peccatum Mors. Et accedunt deinde in tali vitiosa natura errores, et in voluntate scelera sponte electa, quae attrahunt singulares poenas.

Altera causa est Diabolus, qui impellit homines odio Dei ad horribilia scelera, et auget calamitates variis modis, iuxta dicta: Ponam inimicitias inter semen mulieris, et serpentem. Item: Satanas intravit in eum. Ut, Cain occidit fratrem impulsus a Diabolo.

Sed hic rursus quaeritur: Quare Ecclesia subiecta est ingentibus miseriis, cum sit iusta? Et obiicitur hoc argumentum.

Iustis debet bene esse, iuxta dictum: Qui fecerit ea, vivet in eis.
Ecclesia est iusta.
Ergo Ecclesia debet esse sine calamitatibus.

Respondeo primum ad Minorem. Ecclesia est iusta, scilicet, imputatione et inchoatione, sed haeret adhuc in ea peccatum. Vult autem Deus iustitiam suam et iram adversus peccata praecipue in Ecclesia agnosci, et vult quaeri remedium. Ideo magis premitur Ecclesia, iuxta dictum: Iudicium a domo Dei incipit. Item: Dedi dilectam animam meam in medium inimicorum meorum.

Simul autem revelat Deus in Evangelio futuram liberationem integram. Ideo postea ad Maiorem respondendum est: Iustis debet bene esse, scilicet, iuxta revelationem Evangelii, cum erunt prorsus liberati a peccato, non tantum imputatione et inchoatione, sed consummatione novitatis.

Causae autem praecipue sunt octo, propter quas Ecclesia durius premitur, quam reliqua pars generis humani, sicut dictum est: Iudicium a domo Dei incipit.

I. Prima causa est Peccatum haerens in natura, quod cum contemnat Mundus, Deus in Ecclesia vult conspici iram suam adversus interiora et exteriora peccata. Et ut eam agnoscamus, et nos subiiciamus iudicio suo, commonefacit nos variis modis, iuxta dictum: Filium quem diligit, corripit. Item: Innocens non erit innocens coram te. Et Iob fatetur, se coram Deo iniustum esse, etiamsi afflictionum suarum non sint causae actualia scelera, sicut amici disputant.

II. Secunda causa est: Quia Diabolus magis odit Ecclesiam, quam alios. Genesis 2. Ponam inimicitias inter semen mulieris et serpentem. Item in Iob: Diabolus stetit inter filios Dei, et insidiatur sanctis.

III. Tertia causa est, ut in cruce exerceantur et crescant Poenitentia, Fides, Invocatio, et tota Novitas, iuxta dictum: Bonum mihi quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas. Item: Vexatio dat intellectum. Item: Alienum opus facit, ut faciat proprium. Item: Qui non est exercitatus, qualia scit? Item: *Παθήματα μαθήματα.* Item: Quae nocent, docent, etc.

IIII. Quarta: Quia plurima sunt in Ecclesia etiam Actualia delicta atrocia, ut Davidis adulterium, scelera Manassae, quae punit Deus propter suam Iustitiam, et propter exemplum, et ut multos ad poenitentiam revocet.

Propter hanc causam plurimae calamitates vagantur per universam Ecclesiam. Et paulatim tota hominum natura fit deformior et languidior.

De hac causa dicitur: Iram Domini portabo, quia peccavi ei: Sed cum sedebo in tenebris, Dominus erit lux mea. Item: Cum iudicamur a Domino corripimur, ne cum hoc Mundo damnemur.

V. Quinta, ut Sanctorum mors sit testimonium de sequuturo iudicio. Quia cum Deus antea testatus sit, sibi placere Paulum, non negligeretur in morte, nisi restaret aliud iudicium, in quo ostendet damnari Neronem.

VI. Sexta, ut Sanctorum mors sit testimonium de doctrina, quod vere sic sentiant, nec sui commodi causa circumferant fictam doctrinam.

VII. Septima, Ut fiamus conformes imaginis Christi.

VIII. Octava, Ut liberationes in calamitatibus, quae non sunt extricabiles humano consilio, sint testimonia praesentiae Dei in Ecclesia, ut precatur Moises 14. Numerorum: Ne deleas nos, ut sciant Aegyptii, quod sis in hoc populo. Et I. Reg. 17. Ut sciat omnis terra, quod sit Deus in Israel. Et Iesaiae 37. Libera nos, ut sciant omnia regna terrae, quod in Israel sit Deus.

Haec doctrina de causis, propter quas Ecclesia cruci subiecta est, semper in conspectu sit, ne offensi aerumnis Ecclesiae, existimemus, coetum hunc deformem a Deo negligi.

Ex his causis, partim impulsivis, partim finalibus, sumitur et haec distinctio de generibus calamitatum. Genera sunt quatuor.

I. *Τιμωρίαι*, ut auxilium Davidis.
II. *δοκιμασίαι*, ut carcer Ioseph.
III. *μαρτύρια*, ut interfectio Baptistae, Iesaiae, Ieremiae, Pauli et aliorum.
IIII. *λύτρον*, solius Christi obedientia est.

LOCI CONSOLATIONUM.

Utilissimum est scire fontes doctrinae de causis calamitatum, et de locis consolationum, et conferre humanas et divinas consolationes.

Philosophici loci praecipui sunt septem.

I. Primus Necessitas, ut, quae mutari non possunt, minore dolore feruntur, cum cogitatio in mente flectit cor ad moderationem, sicut dicitur: Bonus animus in re mala dimidium est mali.

II. Secundus locus est Dignitas Virtutis. Non est enim iniuste faciendum propter dolorem, ut Cato discedit a Iustitia, cum fractus dolore sibi consciscit mortem. Cicero discedit a Modestia, nimium lamentans propter exilium, cum tranquillis animis tulerint exilia multi praestantes viri, Aristides, Camillus, Metellus, et alii. Et huc pertinent dicta: Tamen per ipsas lucet aerumnas decus: Item Aristoteles inquit: *ἐν δυστυχίαις λάμπει τὸ καλόν.*

III. Tertius locus est Bona conscientia, iuxta dictum: Est aliquid magnis crimen abesse malis. Est enim duplex dolor, externus cruciatus, et vulnus cordis.

IIII. Quartus: Exempla. Quia cum similia aliis multis et melioribus accidere cernimus, videtur inaequalitas et superbia esse, nihil velle communium aerumnarum ferre. *Κοινὸν γὰρ πανάγιον ἑκάστοις παραμύθιον.*

V. Quintus: Spes laeti exitus, iuxta illud: Durate et vosmet rebus servate secundis. Sed saepissime humano iudicio nullae spes cernuntur, ut in morte Socratis, et plurimis Ethnicorum calamitatibus.

VI. Sextus: Causae finales, ut, Militi facilior est Mors profutura patriae.

VII. Septimus: Collatio eventuum, ut, Melius est aegrotare, quam accedere ad convivium, et incidere in tumultum. Aeschines ait, se laetari, liberatum se ab Attica Republica, tanquam a rabiosa cane, et ait, se habere officiosum hospitem in exilio. Socrates dicit, se eo mortem facilius ferre, quia, si anima sit immortalis, optare se colloquia sapientum virorum, Palamedis, Nestoris, et aliorum, a quibus discat deinceps ea quae ignoret, etc.

Hi loci Philosophici cum ex Legis doctrina magna ex parte sumpti sint, etiam sunt Theologici. Sed

accedunt ex Evangelio alii tres, qui continent multo efficaciorem consolationem.

Sint igitur loci Theologici decem.

I. Primus, Necessitas, id est, mandatum Dei, quod praecipit, ut flectamus animos ad obedientiam in tolerandis adversis, nec irascamur Deo, iuxta dictum: Humiliamini sub potenti manu Dei. Item: Subditus esto Deo, et spera in eum, etc.

In omni consolatione autem sic tantum minuitur dolor, cum obiectum bonum intuemur. Ut, cum David scit, Deo obedientiam in exilio placere, et poenam non esse signum reiectionis, sed commonefactionem de Poenitentia. Hac bona voluntate Dei considerata fert poenas minore dolore. Sic latro conversus ad Deum levius fert poenam, scit ordinationi divinae obediendum esse, et hanc mortem non esse signum reiectionis.

II. Secundus, Dignitas virtutis, id est, Saul non recte facit, quod sibi mortem consciscit propter infelicem pugnam.

III. Tertius, Bona conscientia, ut Laurentio fit levis cruciatus propter optimam conscientiam.

IIII. Quia vero saepissime mala conscientia dolores auget, ostenditur in Evangelio quartus locus, prorsus ignotus Philosophiae, scilicet: Remissio peccatorum. David non frangitur ingentibus calamitatibus, etiamsi habet tristissima vulnera conscientiae, sed iam tenet remedia, scit dictum esse: Dominus abstulit peccatum tuum. Haec consolatio propria est Ecclesiae, prolata ex sinu aeterni Patris in voce Evangelii, et nequaquam Philosophiae nota est.

V. Quintus locus, qui etiam Evangelicus est, videlicet Agnitio praesentiae Dei in aerumnis accepta remissione, ut dicitur: Deus habitat in afflictis. Levatur ergo dolor, cum scimus nos a Deo iuvari, et spem habemus mitigationis in hac vita.

VI. Sextus locus, qui etiam Evangelicus est, videlicet: Spes ultimae liberationis et aeternae salutis, iuxta dictum: Etiamsi occidet me, sperabo in eum. Item: Scio quod Redemptor meus vivit, et rursus circumdabor pelle mea, etc.

VII. Septimus, Exempla, quae et propter Legem et propter Evangelium proponenda sunt.

Legale est: Cum patiantur alii propter peccata, ut Adam, Eva, David, Manasse, et alii plurimi, quorum poenae sunt commonefactiones de Iustitia Dei: Fateamur nos quoque Iustitiae Dei poenas debere, iuxta dictum: Tibi Domine Iustitia, nobis autem confusio faciei nostrae, sicut et hodie viro Iuda et Hierusalem. Et Elias inquit: Non sum melior Patribus meis.

Evangelicum est, quod oportet nos fieri consimiles Filii Dei in cruce et liberatione. Ideo tota Ecclesia cruci subiecta est, et expectat sequuturam vitam et laetitiam aeternam, sicut Filius liberatus est, iuxta dictum: Venite benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratum, etc.

VIII. Octavus, Causae finales, videlicet ipse Deus, et confirmatio fidei in aliis credentibus. Ut, mitigatur dolor Laurentio, cum scit, sua constantia latius spargi notitiam Dei, et confirmari fidem in aliis, sicut Paulus inquit, se immolari propter Sacrificium et Ministerium fidei aliorum, id est, quia servierit aliis recte docendo, et quia mors eius sit futura testimonium de doctrina. Nam morientes in confessione fidei ostendunt, se non simulasse professionem voluptatis aut quaestus causa. Ostendunt item, se expectare venturum iudicium.

IX. Nonus, Collatio eventuum praecipue in Ecclesia consideranda est, Quia ibi ostendit Deus et testimonia iustitiae suae, quod irascatur peccatis, et exempla misericordiae, quod poenas tamen mitiget, iuxta haec dicta: Non accendit Deus totam iram suam.

Item Oseae 11. Non faciam furorem irae meae, quia Deus ego sum, non homo, id est, quia naturae hominum impossibile est sustinere iram Dei, si sine misericordia punirem. Quanquam igitur punit Deus, mitigat tamen poenas, ne prorsus deleatur Ecclesia.

Quare semper ad caeteras accedat haec consolatio: Agnoscamus nos iuste puniri, et meritos esse atrociores poenas: Leniri tamen iram propter Mediatorem, et ne tota Ecclesia funditus deleatur. Obediamus igitur in praesentibus poenis, et petamus et expectemus mitigationem, sicut in Prophetis dicitur: In ira misericordiae recorderis. Item: Bonus est Dominus, et poenitet eum magnitudinis poenarum.

X. Decimus, Desiderium clari conspectus Dei, et liberationis a toto peccato. Haec consolatio proprie ad Mortem pertinet, de qua dicit Paulus: Cupio dissolvi, et esse cum Christo, id est: Sicut iter faciens nocte in densis tenebris, ignarus viae et locorum, maxime expetit diem,

et laetatur, cum iam aurora lucem spargere incipit: Ita omnes pii cogitantes in caligine huius vitae, qualis sit Deus, et qualis sit distinctio Personarum, maxime expetunt clarum conspectum in altera vita. Item: Quia sentiunt, se adhuc circumferre immundiciem in hac vita, quae displicet Deo, laetantur, cum sciunt in morte has exuvias immundas deponi.

Haec decem capita consolationis sint in conspectu, quae sine ulla dubitatione piis prosunt. Et qui ea diligenter considerabunt, intelligent ex veris causis sumpta esse, videlicet, ex Lege et Evangelio, et amplissimam de singulis doctrinam in scriptis Propheticis et Apostolicis propositam esse.

Erit et haec consideratio grata, videre quomodo antecellat in hac tanta re doctrina Ecclesiae remediis Philosophicis, quae non tollunt peccatum et mortem.

Certissimum sit autem, efficaciam harum consolationum experiri conversos ad Deum in vera invocatione, iuxta dictum: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te, et glorificabis me.

Item: Petite, et accipietis.

Item: Facit alienum opus, ut faciat opus proprium.

DE CHRISTIANA LIBERTATE.

Quot sunt gradus Christianae libertatis?

Docendi causa gradus distinguimus, et primum de nomine monemus. Cum Ecclesia in hac vita adhuc circumferat peccata, et sit subiecta morti et cruci, et affligatur a Diabolis, Tyrannis, et fanaticis hominibus, et in Imperiis oppressa sit tristi servitute, videtur Ecclesia falso et stulte hanc gloriosam appellationem libertatis sibi tribuere.

Sed intuenda est primum consummata libertas, cum post resurrectionem Deus erit omnia in omnibus salvatis, id est, cum Ecclesia vivet vita aeterna, et fulgebit in ea Deus ipse, communicans suam lucem, sapientiam, iustitiam, laetitiam aeternam, sine peccato, sine morte, sine ullis calamitatibus.

Hanc consummatam libertatem intuentes intelligemus utcunque, hoc vocabulo magna et vera bona significari. Sed tamen inchoari haec aeterna bona in hac mortali vita oportet. Et de inchoatione et consummatione dictum est Iohan. 8. Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis.

Liberat autem Filius Dei dupliciter: Merito et efficacia. Hinc sunt quatuor gradus libertatis in hac vita.

I. Primus est Gratia, id est, Liberatio a Lege, et a condemnatione aeterna, quod videlicet certo dantur remissio peccatorum, reconciliatio, imputatio iustitiae propter Mediatorem, gratis, fide, qua fit vivificatio et liberatio ab aeterna Morte, et donatur haereditas vitae aeternae.

II. Secundus gradus est cum priore coniunctus, videlicet: Donum per gratiam, id est, Filii efficacia in credentibus per Evangelium, et per Spiritum sanctum, quae efficacia est Vivificatio, id est, consolatio et inchoatio vitae aeternae, iuxta hoc dictum: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te Deum verum, et quem misisti Iesum esse Christum.

Est et inchoatio novae obedientiae, et Deus praesens per Filium et Spiritum sanctum mirabiliter regit, servat et defendit Ecclesiam, et mitigat calamitates. Ut hoc gradu libertatis liberi sunt tres viri in fornace Babylonica, qui etsi sunt in mediis flammis, tamen non uruntur. Sic semper Ecclesia mirabiliter inter medias flammas servatur.

Hi duo gradus comprehenduntur his dictis: Gratia et veritas per Iesum Christum facta est, id est, Reconciliatio, et vera ac aeterna bona. Item Romanos 15. Gratia Dei, et donum per Gratiam Iesu Christi in multos exuberavit.

III. Tertius gradus, ut docendi gratia non subtiliter loquamur, est liberatio a ceremoniis et forensibus legibus Moisi. Quod sic intelligatur: Cum iustitia, de qua proprie concionatur Evangelium, sit remissio peccatorum, et reconciliatio cum Deo, et consummata novitas, quam in hac vita inchoari oportet, sit ipsa aeterna vita, in qua Deus erit omnia in omnibus, et colligatur Ecclesia ex omnibus Gentibus, non sunt alligati Christiani ad ullius gentis politiam: Sed possunt uti imperiis et legibus politicis, non pugnantibus cum naturali ratione, ubicunque vivunt, Sicut spatiis dierum dissimilibus utuntur Christiani Venetiis et in Saxonia.

Ingens beneficium Dei fuit, quod Ecclesiae certam sedem dedit in politia Moisi annos mille quingentos octuaginta duos. Et ut haec politia distincta esset a Gentibus, certos ritus habuit: Quia Deus voluit notum esse locum, et notam gen-

tem, ubi nasceretur, conspiceretur et audiretur Messias.

Interea tamen valde multi etiam ex Gentibus vocati fuerunt ad agnitionem Mediatoris, et ad aeternam iustitiam, ut Nabuchodonosor, Cyrus, Cornelius, et alii. Hi intellexerunt aliud esse politiam Moisi, aliud reconciliationem et aeternam lucem, et iustitiam in mente et corde,

Hoc discrimen intelligi necesse est, quia semper fuerunt fanatici homines, qui stulte vociferati sunt: Forenses leges Moisi, quae tamen non sunt iuris Naturalis, sed Positivi, nobis necessarias esse. Et multae sunt impiae κακοζηλίαι Pontificum et Monachorum de ceremoniis. Ut, in Moise prohibiti sunt quidam cibi, Postea igitur similes prohibitiones humana temeritate institutae sunt.

Hic neganda est consequentia: Quia tunc voluit Deus politiam Moisi distinctam esse a caeteris gentibus, ut esset certus et notus locus, et certa nota gens, ubi nasceretur Mediator, ubi ederentur testimonia de promissione, etc. Postea politia illa horribili exemplo propter multas causas deleta est. Et quanquam saepe tentata est restitutio, tamen Deus seditiones Iudaeorum, et novas aedificationes oppressit. Ut, Bethoron triennio obsessa tandem ab Adriano expugnata et deleta est, et interfectus est Ben Cosban Kochab. Tempore Iuliani terrae motu disiecta sunt fundamenta novi templi, quod tunc coeperant aedificare, et simul multa millia Iudaeorum ruinis oppressa sunt. Haec alibi copiosius declarantur.

IIII. Gradus Libertatis est liberatio a traditionibus humanis in Ecclesia, videlicet primum, quod nulli creaturae liceat instituere cultus Dei, aut aliquam legem coutrariam Legi divinae condere.

Secundo etiamsi in hac vita, cum velit Deus honestos congressus publicos esse, opus est ordine temporum et lectionum, et Ecclesiae concessum est, tempora et lectiones distinguere: Tamen hoc fiat sine opinione cultus, et sine opinione Necessitatis. Et sciant homines, extra casum scandali tales ritus sine peccato omitti.

Haec regula brevissime tollit multas falsas opiniones de humanis traditionibus, quae et obscurant Evangelium de gratia, et de veris cultibus, et sunt periculosae carnificinae conscientiarum, ut alibi copiosius dicitur.

Testimonia autem regulae sint in conspectu. Haec prohibent opinionem cultus: Matth. 15. Frustra me colunt mandatis hominum. Et Ezechiel 20. In praeceptis meis ambulate, non in praeceptis patrum vestrorum, etc.

His dictis expresse prohibetur opinio necessitatis: Colossenses 2. Nemo vos iudicet in cibo, potu, vicibus dierum festorum, etc. Et Galat. 5. In libertate, in qua Christus vos vocavit, state, et non iterum iugo servitutis subiiciamini. Nec condendae nec intelligendae sunt traditiones contra hanc doctrinam in Evangelio traditam.

Contra.

Non minus debetur obedientia Ecclesiae, quam potestati politicae.

Violatio politicarum legum est peccatum. Romanos 13. Necesse est obedire, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.

Ergo, et violatio Traditionum humanarum in Ecclesia, est peccatum.

Respondeo primum ad Maiorem: Ministerio Evangelico debetur obedientia, quatenus est ministerium Evangelii, non in aliis doctrinis aut legibus extra Evangelium. Quia ministerium Evangelicum non habet potestatem condendi alias leges. Nec habet prohibitionem. Sed potestas politica habet duo mandata: Primum proponendi Legem divinam Moralem, et exequendi poenas; Alterum addendi ius Positivum, id est, determinationes circumstantiarum: Sed non pugnantes cum legibus divinis, quae ad nos pertinent.

Respondendum est etiam ad Minorem. Dissimile est: Violatio legum politicarum est peccatum, quia hoc ita divinitus sancitum est. Vult enim Deus corporalem vitam regi legibus Magistratuum, et habere eos potestatem condendi aliquas leges.

Contra vero expresse sancitum est in Evangelio, ne existimetur esse peccatum, violatio rituum, qui sunt ordinati ab Episcopis seu Pastoribus. Quia vult Deus Ecclesiam tantum suo verbo regi, quo redduntur iustitia et vita aeterna. Non vult addi humanas traditiones. Ac semper in mundo creverunt idola, cum hac persuasione hominum animi fascinati fuerunt, humanos ritus esse cultus, et esse res necessarias.

DE MAGISTRATU POLITICO.

Quid est Magistratus Politicus?

Magistratus Politicus est persona a Deo ordinata, ad conservationem Legis in externa disciplina, et quidem utriusque tabulae Decalogi, et ad pacis defensionem. Et habet potestatem puniendi vi corporali.

Quae sunt praecipua officia Magistratus Politici?

Respondeo: Quatuor sunt.

I. Primum: Sonare vocem Decalogi in genere humano. Intelligo autem appellatione Decalogi universam Legem naturae. Ac vult Deus primas normas esse omnium legum et universae gubernationis, has leges, quarum summam in Decalogo complexus est, quem recte vult intelligi. De hac norma inquit Sapientia divina, Proverb. 8. Per me Reges regnant, et Principes iusta decernunt.

II. Secundum est: Magistratus sit exequutor Legum Decalogi, in punienda earum violatione, vi corporali: Quia Deus voluit in poenis ostendere iudicium suum. Et cum velit regi hominum vitam per Magistratum, armat eos hac potestate, imo dat mandatum, ut puniant violantes Decalogum, iuxta dictum: Non parces ei, nec misereberis, etc. Et saepe repetitum est dictum Aeschinis: *οὐδὲν ἐστὶν ὄφελος πόλεως, ἥτις μὴ νεῦρα ἐπὶ τοὺς ἀδικοῦντας ἔχει.*

III. Tertium est addere aliquas leges Decalogo, id est, legibus naturae de civilibus negotiis. Sed hae additiones non pugnent cum legibus naturae: verum sint determinationes certarum circumstantiarum, additae communibus notitiis naturalibus.

Ut: Notitia naturalis est: Fur est puniendus: Sed modum poenae determinat Lex addita a Magistratu: Talem habent potestatem condendi novas leges Politici Magistratus, ac tantum de civilibus negotiis.

Non condant dogmata in Ecclesia, nec instituant cultus, ut fecit Nabuchodonosor. Et recens in scripto, cui titulus est Interim, potestas politica extra metas egressa est. Sicut Imperatori Constantio dixit Episcopus Leontius: *ἕτερα διέπειν ταχθεὶς ἑτέροις ἐπιχειρεῖς.*

Non sunt confundendae functiones, ut Paulus dicit: Propria facite. Et Petrus dicit: Non sitis *ἀλλοτριοεπίσκοποι.* Et Aristoteles dixit, Beatam fore vitam hominum, si artifices de artibus iudicarent.

IIII. Quartum officium est, Magistratus sit exequutor etiam suarum legum in poenis, vi corporali. Et habent poenae suos gradus.

Estne concessum homini christiano Magistratus gerere, iudicia exercere, accusare, et respondere in foro, militare, legitimas poenas exequi? etc.

Respondeo. Concessum est, sicut manifesta exempla ostendunt. Cornelius et alter Centurio, de quo dicit Dominus: Non inveni tantam Fidem in Israël. Servius Proconsul, etc. Et omnibus temporibus a principio generis humani fuerunt, sunt et erunt aliqui Magistratus a Deo ad aeternam salutem electi, et ad societatem verae Ecclesiae vocati.

Abraham magno praelio vicit Chaldaeos. Abimelech Rex fuit auditor Abrahae. Deinde Ioseph et Daniel gubernaverunt maxima regna inter Ethnicos. Et cum inquit Baptista: Contenti estote stipendiis vestris, approbat Militiam. Et Rex Iosaphat inquit: Iudicium Domini exercetis, etc. Et Psalmus 148. Reges terrae, et omnes populi, Principes, et omnes Iudices terrae laudent nomen Domini.

Contra.

Iniuriae non placent Deo.
In imperiis multae sunt iniuriae.
Ergo imperia non placent Deo.

Respondeo. Nego consequentiam, et ratio est, quia plus est in Conclusione, quam in praemissis. Quia debebat sic inferri: Ergo iniuriae, quae accedunt ad imperia, non placent Deo.

Postea de minore respondendum est. In Imperiis multae sunt iniuriae. Hic necesse est discerni Imperia, id est, totum ordinem politicum, a vitiis et confusionibus, quas addunt Diaboli et homines, ut, Societas generis humani, coniugium, generatio, educatio sobolis, contractus, artificia, iudicia, imperia, defensio, militia, poenae homicidarum, blasphemorum, incestorum, et aliorum sceleratorum. Haec omnia nomi-

nantur ordo politicus, et sunt res sapientia et iustitia Dei in genere humano ordinatae.

Et quanquam Diaboli et impii homines, organa Diabolorum, horribiliter turbant hunc pulcherrimum ordinem: Tamen quantum ordinis manet, servatur potenter a Deo. Et haec ipsa conservatio est testimonium de Deo et providentia, et de praesentia Dei in genere humano. Quia manifeste videmus, retrahi homicidas ad supplicia, iuvari Cyrum, Alexandrum, Augustum, et similes. Item: Universaliter praesidia humana infirmiora esse, quam ut possint custodire politias, nisi Deus custodiret, quas vult incolumes esse. Ideo Psalmus inquit: Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.

Longe igitur discernatur ordo politicus a vitiis, quae Diaboli, et organa Diabolorum addunt, ut discerni oportet custodiam gregis a lupis, latrunculis, et servis, qui ipsi furantur oves. Deus ut fidelis Pastor servat politias, et dat aliquos fideles custodes. Sed Diaboli, latrones, et Tyranni sunt velut lupi. Rapaces Domini sunt velut fures. Hi turbant politias, tanquam gregem: Et tamen interea Deus servat magnam partem, et depellit lupos, Tyrannos, latrones, homines seditiosos et rapaces. Haec imago utcunque monstrat discrimen ordinis politici et confusionum, quae aliunde admiscentur.

Quod est discrimen Boni Principis et Tyranni?

Bonus Princeps est, qui habet προαίρεσιν recte faciendi, et plerunque et in praecipuis partibus officii sui recte facit, etiamsi aliquando labitur.

Hac forma definiendi in hac vita utendum est de omnibus Gubernatoribus et ministris, in quocunque genere officii. Et sumitur prima pars definitionis ex dicto Pauli: Hoc requiritur, Fideles ut simus. Secunda pars ex dicto Salomonis: Non est iustus in terra, qui bene faciens etiam non peccet. Ac placet Deo gerens magistratum, seu Dux, seu Iudex, seu Miles, habens Fidem et bonam conscientiam, iuxta Pauli regulam: Qui et in officio bonam conscientiam retinet, videlicet προαίρεσιν recte faciendi. Nec ruit contra conscientiam, contra leges officii, Nec indulget sibi affectata ignorantia, et affectata omissione.

Contra vero Tyrannus est, et Deo displicet, qui non habet προαίρεσιν recte faciendi, et plerumque scelerate facit, etiamsi interdum iusta facit, ac negligit praecipuas officii partes, seu sciens seu affectata ignorantia, seu affectata omissione, ut Saul, Cambyses, Sardanapalus etc.

An iure potuit Naboth recusare, se Regi petenti venditurum esse vineam, id est: An distinctio dominiorum sit iuris divini inter facultates Regum et Subditorum?

Respondeo. Praeceptum, Non furtum facies, obligat omnes homines, et distinguit et munit omnium hominum dominia, Regum et Subditorum. Iohannes dicit Regibus et Principibus: Contenti estote Stipendiis vestris: Neminem concutiatis, neque calumniamini. Item: Non plus exigite, quam constitutum est. Propria sunt igitur Regum et Principum Stipendia, id est, tributa et vectigalia legitima. Et ab his distinguantur facultates Subditorum, nec conturbentur dominia, nec praeter legitima stipendia, et sine iusta causa sumant Reges ex facultatibus subditorum, quantum ipsis libet, Briarei manibus, ut Nazianzenus loquitur.

Hunc locum *De magistratu politico* in hac editione Examinis Ordinandorum, quam hic recudendam curamus, sequitur locus *De coniugio*, qui iisdem verbis iam in Locorum theologicorum latinorum tertia aetate legitur (vide Vol. XXI. Appendix I. p. 1051—1076. conf. p. 1051. nota 1.), quapropter h. l. eum omittimus, illico transgredientes ad *Responsionem de controversiis Stancari*, quae illum de coniugio locum in hac editione subsequitur.

RESPONSIO PHILIPPI MELANTHONIS DE CONTROVERSIIS STANCARI.

Quod Filius Dei Dominus noster Iesus Christus crucifixus pro nobis et resuscitatus oravit aeternum Patrem in agone suo, ut faciat, ut unum simus in ipso, idem haud dubie semper orat. Ad huius summi Sacerdotis precationem nostra vota etiam adiungamus, et petamus idem, ut mentes et corda

omnium docentium in his Ecclesiis copulet, ut unum simus in Deo. Sit in nobis quoque pium studium concordiae, non quaeramus incensi odiis, quod calumniose in speciem exagitari possit, quaedam etiam praetereamus, quae moveri non est utile.

Postquam igitur a me petitum est, ut de scriptis Musculi et Stancari meum iudicium exponam, tantum praecipuas eorum controversias attingam, non agitabo alia, quae obiter aspersa sunt. Saepe ex parvis initiis magna dissidia oriuntur, sicut his proximis annis multa exempla vidimus. Ideo si possem, praesens certamen tollere mallem, quàm accendere maiores contentiones. Ac Filium Dei oro, ut nos doceat et gubernet.

Sunt autem duae controversiae praecipuae, quantum ego quidem intelligo, Altera de modo loquendi in communicatione Idiomatum, Altera de Mediatore.

De priore controversia, haec mihi videtur esse iusta et plana via concordiae, ut nos omnes retineamus formas loquendi approbatas gravi autoritate in Ecclesia, quia mutatio aut errores aut dissidia parit.

Vidi Musculi propositiones, editas mense Maio anni superioris, in quibus recte loquitur de duabus naturis in Christo nato ex virgine. Et utrunque, Musculum et Stancarum scire non dubito, qui modi recepti sint.

Ecclesia recte et vere dicit de Christo: Deus est natus ex virgine, passus, mortuus, resuscitatus. Non dicit: Natura divina est passa, mortua, resuscitata, quia in concreto persona intelligitur. In abstracto tantum altera natura.

Etsi autem multi, qui fontes horum discriminum ignorant, putant esse inanem subtilitatem, hos modos loquendi discernere: tamen eruditi sciunt gravissimas esse causas.

Nestorius negabat has propositiones, Deus est natus ex virgine, crucifixus etc. Ideo dicebat: Noli gloriari Iudaee: non enim Deum, sed hominem crucifixisti. Hinc aut ipse, aut alii hoc exstruebant, Christo affuisse naturam divinam per societatem seu assistentiam, sicut affuit Eliae, aut aliis Prophetis, nec fuisse unionem hypostaticam, seu non fuisse unam personam.

Patiente Iohanne Baptista, quanquam adest ei Deus, et metaphorice dicitur Deus pati, tamen vulnus est personae, quae non est Deus. Relatio tantum, id est, contemtus ad Deum pertinet, ut cum Legatus violatur, relatio ad Regem pertinet. Sed Christo patiente, alio modo dicitur Deus pati, quia haec persona patitur, quae est Deus.

Hanc formam sermonis discimus ex ipso Filio sic loquente in Propheticis et Apostolicis scriptis, ut Ioh. 8. Amen amen dico vobis, priusquam Abraham natus est, ego sum.

Iohan. 1. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.

Zach. 12. Aspicient me, quem confoderunt.

In his et multis similibus dictis manifestum est, de uno et eodem Christo dici, et tamen intelligi discrimina naturarum oportet. Hic Christus fuit ante Abraham, secundum naturam divinam, ac nunc idem est subsistens seu eadem persona, quanquam natura humana assumpta est.

Ut igitur discernatur hic Filius ab aliis sanctis, et aliquo modo conspiciatur discrimen inter hypostaticam unionem in Christo, et societatem seu auxilium Dei in aliis sanctis, recte tradita est doctrina de communicatione Idiomatum, quae est forma sermonis, in qua proprietas uni naturae congruens, dicitur in concreto de persona, ut vulnerari, posse mori. Dicimus igitur in concreto, Christus est homo, λόγος est homo, Christus est vulneratus, Christus est mortuus, Deus est mortuus.

Propria vero divinae naturae sunt aeternitas, omnipotentia, immortalitas. Ita dicitur, Christus est λόγος aeterni Patris, coaeternus Patri, Christus est omnipotens, immortalis.

Diserte autem dictum est, communicationem fieri in concreto, non in abstracto. Ut enim necesse est retineri unitatem personae seu unionem hypostaticam: ita necesse est, agnosci duas naturas in Christo nato ex virgine. Nec facienda est naturarum confusio. Nequaquam igitur dicimus: Natura divina dormit, vulneratur, moritur.

Et Athanasius in libro de Incarnatione vere inquit: Cum non esset possibile ipsum Verbum mori, quippe immortalem Patris Filium, corpus sibi, quod mori posset, accepit, ut id corpus Verbi particeps factum, et moreretur pro omnibus, et inhabitans Verbum incorruptibile maneret. Sic ille locutus est.

Ac certum est, Ecclesiam sic loqui: Natura divina non moritur, Et tamen verae sunt propositiones in concreto, Christus est mortuus, Deus est mortuus. Addidit autem Petrus declarationem, 1. Petri 4. Christus passus est carne. Ac Paulus usus est particula distinctiva, secundum, Rom. 1. et Rom. 9. Et in Actis cap. 2. dicitur: Ex fructu lumborum eius secundum carnem. Sic postea Atha-

nasius et Cyrillus utuntur particula, secundum, tanquam distinctiva. Saepe sic loquitur Athanasius, ut in lib. cui titulus est, De assumptione hominis, inquit: Nonne haec omnia secundum humanam naturam sustinuit? etc. Sic et Hieronymus loquitur in expositione fidei: Passus est secundum id, quod pati poterat, videlicet non secundum naturam quae assumpsit, sed secundum illam quae assumpta est. Ac mox addit: Mortuus est Dei Filius, iuxta scripturas, secundum id, quod mori poterat.

Vigilius Martyr Episcopus Tridentinus lib. 4. inquit: Ipse igitur unus idemque Dei Filius, Dominus Iesus Christus mortuus est secundum formam servi, et non est mortuus secundum formam Dei. Denique passim obvia sunt talia dicta.

Nusquam autem invenitur haec forma sermonis, Christus secundum utramque naturam, divinam et humanam est mortuus.

Discrimen naturarum sic illustri forma verborum monstrat Irenaeus, pag. 185. Sicut enim homo erat, ut tentaretur, sic et verbum erat, ut glorificaretur, Requiescente quidem verbo, ut posset tentari, crucifigi et mori. Usus est Irenaeus singulari consilio hac insigni descriptione, Quiescente verbo, id est, Tunc non exerente suam potentiam in repellenda passione et morte, sicut ad Philippenses dicitur: Exinanivit sese, etc. Non ait, naturam divinam mortuam esse, sed quievisse, ut natura assumpta mori posset.

Audio autem eos, qui dixerunt Christum secundum utramque naturam mortuum esse, nunc addere interpretationem huic suae formae loquendi. Sed consulo, ut phrasin Pauli, quam et postea imitata est Ecclesia, retineamus, nec in re tanta novae et ambiguae formae loquendi spargantur. Ubi autem praedicatum convenit utrique naturae in abstracto, ibi recte sic loquimur, ut, Christus est vivus in coelo secundum utramque naturam etc.

Tota haec doctrina de modis loquendi nota est his, qui legerunt Synodi Ephesinae disputationes, quarum habemus summas in Apologia Cyrilli.

Et extat adhuc in Bibliotheca Phorcensi Synodus Ephesina integre scripta Graece, in qua singulorum, qui sententias dixerunt, integrae orationes recitantur, quam ante annos aliquot inspexi, ut melius cognoscerem controversiam Nestorii, in qua multi sunt labyrinthi.

Nec tantum rixae de modis loquendi fuerunt, sed certamen de rebus maximis fuit: An λόγος adsit humanae naturae tantum per societatem seu assistentiam, sicut Eliae aut Elisaeo affuit, aut an alio modo, An sint duo filii, λόγος et natus ex virgine, An sit sacerdos tantum secundum naturam humanam. Expresse enim in Apologia Cyrilli refutatur haec obiectio Nestorianorum: Si Christus secundum naturam divinam esset Sacerdos, sibi ipsi offerret. Item, An una adoratione adorandus sit Filius, et quomodo invocandus sit Filius.

Fons autem doctrinae de communicatione Idiomatum, est doctrina de unione Hypostatica. Ideo enim praedicata communicantur, quia est unum ὑφιστάμενον, ut dicimus, Hic homo numerat, quanquam tantum mente numerat. Considerandum igitur est aliquo modo discrimen unionis hypostaticae in hac persona, et aliorum modorum praesentiae Dei.

Primum igitur sciendum est, esse universalem praesentiam Dei, qua tres personae adsunt omnibus creaturis, quod ad conservationem substantiae, tantisper donec conservantur.

Et hanc esse separabilem praesentiam, manifestum est, quia Deus destruit Pharaonem et alios, cum vult.

Secundo, est alia praesentia, qua adest Deus beatis Angelis et hominibus, qua non solum substantias conservat, sed etiam praebet eis lucem, ita ut coram cernant Deum, et sit Deus omnia in omnibus, accendens dilectionem, iustitiam et laetitiam. Quanquam autem a beatis non discedit, tamen beati sunt tantum hospitia et templa Dei, a quibus discedere Deus posset, et excepto Christo, quilibet beatus est ὑφιστάμενον, non est Deus.

Tertio, est praesentia alia, qua adest renatis in hac vita, non tantum conservans substantias, sed etiam per Filium et Spiritum sanctum inchoans in eis novam lucem et iustitiam. Nec tamen cernitur Deus, ut in vita aeterna, sed per verbum fide agnoscitur. Hanc praesentiam separabilem esse affirmat scriptura, et ostendunt tristissima exempla. Sicut dicitur Matth. 12. Fiunt novissima hominis illius peiora prioribus.

Quarto, longe alia est praesentia, qua tantum haec persona λόγος assumit humanam naturam, non solum inseparabiliter, sed etiam tali unione, ut sit unum ὑφιστάμενον, et sustentetur assumpta natura, et quasi gestetur in λόγῳ. Etsi autem exemplum huius unionis nullum in creaturis ostendi potest, quod prorsus congruat, tamen et veteres, Athanasius, Cyrillus et Iustinus, ut aliquo modo hanc unionem declararent, hominem ostenderunt. Sicut anima hominis et corpus, sunt unum ὑφιστάμενον completum, et corpus dissolvitur desertum ab anima: Ita λόγος et assumpta natura, sunt unum ὑφιστάμενον, et redigeretur in nihilum humana natura, si non sic gestaretur in λόγῳ.

Verba Iustini haec sunt: Aliqui unionem, velut animae ad corpus cogitantes, sic declaraverunt. Id exemplum concinnum quidem est, quanquam non prorsus congruit, sed tamen secundum aliquid congruit. Haec Iustinus. Paulus hunc modum nominat σωματικῶς in Christo habitare Deitatem, id est, non effective tantum, sed ut sit unum σῶμα, id est, una persona, ut nos loquimur.

Multo longius abest similitudo, et ut ita dicam pictura, cum dicunt, humanam naturam insertam esse divinae, ut surculi inseruntur alienae arbori. Sed his qualibuscunque picturis vetustas voluit aliquo modo beneficia huius copulationis ostendere. Massa assumpta sustentatur a λόγῳ, et accipit ab eo, ut sit et subsistat. Deinde nos quasi pendentes de illo surculo gestamur. Reverenter considerandum est consilium Dei, et gratiae Deo agendae sunt, quod misit Filium, et hac miranda assumptione foedus nobiscum fecit, et ostendit ingentem amorem erga nos.

Ac pium est uti modis loquendi usitatis, et non procul quaerere prophanas quaestiones, et modos loquendi inusitatos.

Saepe autem cogito hanc ipsam ob causam in homine sic copulata esse animam et corpus, ut sit unum ὑφιστάμενον, ut aliquo modo typus esset huius arcanae copulationis, qua λόγος assumpsit humanam naturam et vivificans illam suam massam, restituit vitam membris suis.

DE ALTERA CONTROVERSIA, AN CHRISTUS SIT MEDIATOR TANTUM SECUNDUM HUMANAM NATURAM.

Discernendae sunt appellationes, quae naturarum proprietates significant, ab officii appellationibus. Deus omnipotens, immortalis, sunt appellationes ad naturam divinam referendae: Homo, passus, vulneratus, mortuus, sunt appellationes ad naturam humanam referendae. Sed nomina officii sunt, Mediator, Redemptor, Salvator, Rex, Sacerdos, Pastor etc. Haec nomina officii competunt personae, non tantum naturae humanae. Ac dissimilitudo est inter has propositiones, Filius Dei est mortuus, Et: Filius Dei est Mediator, Rex, Sacerdos, Pastor. Hanc dissimilitudinem attente cogitet pius lector. Quanquam enim actiones quaedam sunt in natura humana propriae, ut dolores omnes et agones in passione, tamen missio Filii Dei ab initio fit ad Ecclesiam, Et Filius perpetuo adest Ecclesiae, et vult obedientiam, ad quam mittitur, profert Evangelium ex sinu aeterni Patris, intercedit pro Ecclesia, servat et vivificat eam, et patres agnoscunt eum esse Mediatorem et Redemptorem, propter futuram obedientiam personae post assumptionem humanae naturae. Nec missio et obedientia tollunt aequalitatem potentiae, sicut expresse inquit Cyrillus.

Nec intelligantur Mediator, Rex, Sacerdos, tantum de natura patiente et moriente, sed de persona placante, victrice, exaudiente, exhibente promissiones Novi Testamenti, sicut de se Pastore inquit Dominus: Ego pono animam meam pro ovibus. Item: Ego vitam aeternam do eis.

Agnoscamus igitur Mediatorem, Redemptorem, Salvatorem, Regem, et Sacerdotem hunc Christum, Deum et hominem, et gratias agamus Deo pro hoc immenso beneficio, quod Filium voluit assumere humanam naturam, et hunc Filium Deum et hominem voluit esse Redemptorem et Salvatorem et caput Ecclesiae, quod omnia perficit.

Huius nostrae Fidei testimonia sunt manifesta. Ioh. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut mundus salvetur per eum. Haec neque de sola natura humana intelligi possunt, neque sic accipi possunt, quasi λόγος nihil agat apud Patrem pro nobis, aut nihil agat nobiscum.

Item, veteres promissiones manifeste comprehendunt utramque naturam. Semen mulieris conteret caput serpentis. Item, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Et Ierem. 23. dicitur: Suscitabo germen Davidi, et regnabit Rex, Et hoc est nomen, quo vocabunt eum, Iehova iustitia nostra.

Secundo, Sic et in Symbolo dicitur: Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis. Iam si tantum natura humana est Redemptrix, quare dicitur Filius descendisse de coelis propter nostram salutem?

Tertio. Epistola ad Ebraeos promiscue utitur his vocabulis de Messia. Mediator novi Testamenti, et summus Sacerdos. Cumque discernit summum Sacerdotem novi Testamenti, a summo Sacerdote veteris Testamenti, inquit: Lex homines constituit summos Sacerdotes, habentes infirmitatem, Sermo autem Iuramenti post legem, Filium in aeternum consummatum.

Ostendunt autem officia summi Sacerdotis et Mediatoris novi Testamenti, non tantum intelligi naturam humanam, sed personam, quae est Deus et homo, habentem actiones in utraque natura. Est

enim summus Sacerdos novi Testamenti persona immediate missa a Deo ad patefactionem Evangelii, ad placandam iram Dei suo sacrificio, et ad precandum pro nobis, habens testimonium quod exaudiatur, per quam et exhibentur bona promissa in novo Testamento. Huius descriptionis membra recitari et declarari in Epistola ad Ebraeos, agnoscit pius lector. Et haec congruunt ad appellationem Mediatoris.

Dicit autem Epistola ad Ebraeos, personam missam ad sacerdotium esse hunc Filium, de quo inquit aeternus Pater: Filius meus es tu, Ego hodie genui te. Ac missus est hic Filius statim initio ad Ecclesiam, ad patefaciendam promissionem: Semen mulieris conteret caput serpentis. Ideo scriptum est: Filius qui est in sinu aeterni Patris, ipse enarravit nobis. Et quidem dicitur λόγος, quia per eum Pater se nobis patefacit. Ac propter eum et per eum immediate semper initio collecta est Ecclesia, semper affuit singulari modo patribus, sicut Iacob inquit: Deus coram quo ambulaverunt patres mei, Abraham et Isaac, Deus qui nutrivit me, quamdiu fui usque in hunc diem, Angelus qui redemit me ex cunctis malis, benedicat pueris istis. Hic non dubium est, Angelum intelligi Filium Dei, missum ad Redemptionem et Benedictionem.

Et Paulus expresse inquit, Christum affuisse patribus in deserto: Biberunt ex spirituali comitante eos petra, petra autem erat Christus.

Iosuae 5. Prope Iericho videt Iosua Dominum coram, et eum adorat, et alloquitur.

Iob 19. dicitur: Scio quod redemptor meus vivit. Nominat Filium Dei redemptorem tunc viventem, Et hunc ait resurrecturum esse, et fore instauratorem vitae.

Hic Filius inde usque ab initio ad Ecclesiam missus, quid agit? Docet, orat pro Ecclesia, vivificat dato Spiritu sancto credentes, exaudit invocantes, protegit et servat eos. Sicut de precatione expresse scriptum est, Psalmo 2. Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem. Ideo recipit nos divinitas, quia hic Filius est deprecator inde usque ab initio.

Et Psalmo 16. dicitur: Ad sanctos, qui sunt in terra, omnis mea voluntas. Et de impiis dicitur: Non assumam nomen eorum super labia mea. Omni tempore pro sanctis precatus est, et precatur, et detestatus est blasphemos. Nominatur ergo Sacerdos in aeternum.

Et capite 7. ad Ebraeos: dicitur, Semper vivens, ut interpellet pro eis. Et Danielis 12. In tempore illo stabit Princeps magnus Michael pro filiis populi tui etc.

Zach. 1. Orat Angelus, qui loquitur in Zacharia, videlicet, λόγος: Usquequo non misereberis Ierusalem, etc.

Quarto, huius Mediatoris proprietas est, videre corda invocantium, discernere veram invocationem, et hypocrisin, exaudire invocantes, et ingredi in consilium arcanum aeterni Patris, id est, videre voluntatem aeterni Patris, et pro nobis deprecari. Haec propria sunt naturae omnipotentis.

Nec dubium est Christum loqui de se, tanquam de Mediatore cum ait: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Hic vult nos accedere fiducia Mediatoris. Et vult ipse in quantum Mediator, agnosci, qui exaudit et perfert preces nostras in arcanum consilium Patris. Sic et nos ad sese accedere iubet, inquiens: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Hic certe utramque naturam complectitur, quia natura humana non recreat sine divina.

Cumque de Invocatione cogitamus, perspicue intelligitur hanc quaestionem non esse rixas de verbis, sed de re maxima agi, scilicet de honore Filii Dei.

Quaerit mens, quid alloquaris in Invocatione, quis exaudiat, quis opem ferat, quo obiecto debeat niti fides.

Cum dicis: Miserere mei Fili Dei, Domine Iesu Christe, non tantum alloqueris humanam naturam, sed hanc personam Deum et hominem, et petis, ut intercedat pro te, et ipse opem ferat, id est, ut per ipsum divinitas tibi opem ferat. Sicut inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, merito et efficacia. Et fides nititur hac persona, quae est Emmanuel, credis cerni gemitus cordis tui, quia haec persona est Deus, credis te recipi a Deo propter meritum et deprecationem huius personae, credis hanc personam efficacem esse. Ideo Synodus Ephesina recte decrevit, una latria adorandum esse Christum Deum et hominem.

Sic et Psalmi docent, Psalmo 2. Osculamini Filium. Et Psal. 47. Et concupiscet Rex decorem tuum, quia ipse est Deus tuus, et adorabis eum. Et Psalmo 72. Et adorabunt eum omnes Reges terrae. Et Esaiae 11. In die illa stabit Radix Iesse, ut sit signum populis, gentes ad eum confugient, et requies eius erit gloria. Ieremiae 23. nominatim fit mentio Invocationis: Suscitabo Davidi germen iustum, etc. Et hoc est nomen quo vocabunt eum, Iehova iustitia nostra, id est, Haec per-

sona germen Davidis et Deus sic invocabitur, quod sit Deus, et iustificet invocantes, det remissionem peccatorum et vivificet.

Quod autem obiicitur: Nemo est mediator sui ipsius. Item: Nemo est deprecator apud se ipsum: Responsio perspicua est. Haec vera sunt eodem respectu, et ubi unica persona est. Sed hic discerni oportet inter mittentem Divinitatem et Filium missum. Filius in quantum missus est, est Mediator et Sacerdos.

Recitat Cyrillus prorsus similem obiectionem Nestorii. Si Christus secundum naturam divinam esset Sacerdos, sibi ipsi offerret.

Respondeo, officium est personae. Haec missa persona est mediatrix apud mittentem divinitatem. Et tamen verum est, Filium esse ὁμοούσιον aeterno Patri, et aequalem potentia. Sed manet personarum distinctio. Filius assumpsit humanam naturam, non Pater, Filius perfecte novit et honorat Patrem, et liberrima voluntate vult obedientiam, et congruunt voluntates divina et humana in deprecatione, Sicut in Iohanne dicitur in precatione ante agonem: Sit in eis tua dilectio, qua me diligis.

Quinto, Mediator, Rex, Salvator, non tantum intelliguntur de natura patiente et moriente, sed de persona victrice. Sicut personam victricem comprehendit promissio: Semen mulieris conteret caput serpentis. Conterit haec persona non tantum merito in passione, sed etiam quia vincit mortem in suo corpore, et in nobis, et restituit vitam et iustitiam aeternam.

Et Matth. 1. Pariet filium, et vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim salvabit populum suum a peccatis suis, salvabit non tantum merito in passione, sed etiam efficacia.

De Rege manifestissimum est, comprehendi utramque naturam, ut Psalmo 2. Ego constituo Regem meum super Zion, Ego hodie genui te. Et nota sunt testimonia, ac Regis proprietas est vincere.

Quod autem obiicitur, Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa. Victoria igitur et salvatio est Patris, Filii, et Spiritus sancti, ac tantum passio est Christi propria. Respondeo simpliciter ad Regulam: Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa, servata cuiusque personae proprietate, Filius assumpsit humanam naturam, non alia persona, Filius et Spiritus sanctus mittuntur. Agit Filius non a se, sed per se, ut inquit Augustinus. Salvat et vivificat Pater, sed hoc ordine per Filium, ut Paulus inquit: Deo gratia, danti nobis victoriam per Dominum Iesum Christum. Et Filius inquit: Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio, Quod manifestum est sic accipiendum esse, Patrem iudicare non solum, sed per Filium iudicare, et patefacere iudicium. Per Filium patefit Evangelium, servatur Ministerium, datur Spiritus sanctus, Ephes. 4. Ac dicitur Ecclesia regnum Christi, quia verbo colligitur inde usque ab Adam per Filium. Postea inquit Paulus: Tradet regnum Deo Patri, id est, nunc per verbum cernimus Patrem, postea divinitas coram conspicietur, et regnabit in ministerio Evangelii, sed immediate.

Vetustas causas quaesivit, quare Salvator non tantum sit homo, et causae recensentur, quia sola humana natura nec videre, nec sustinere magnitudinem irae Dei potuerit, nec vincere mortem, nec reddere vitam et iustitiam aeternam. Item, congruebat, ut pretium maius esset peccato. Nec humana natura sola videret voluntatem Dei in intercessione pro aliis. Hae causae nihil sunt apud illos, qui dicunt, tantum naturam patientem et morientem esse mediatricem, et salvationem eodem modo esse Patris, Filii et Spiritus sancti, cum promissio expresse dicat: Semen mulieris conteret caput serpentis.

Chrysostomus loquens de Mediatore, hanc causam ponit, quare Mediatorem oporteat communicare ambobus, quorum est Mediator, quia Mediatorem oporteat cum Deo colloqui. Verba eius haec sunt: Nec homo tantum esse Mediator potuisset, quia cum Deo Mediatorem colloqui oportebat: ἄνθρωπος οὐκ ἂν ἐγένετο μεσίτης, ἔδει γὰρ καὶ τῷ θεῷ διαλέγεσθαι.

Irenaeus loquitur hoc modo, lib. 3. Oportebat Mediatorem Dei et hominum per suam ad utrosque cognationem in amicitiam et concordiam utrosque reducere, et facere, ut Deus reciperet hominem, et homo restitueretur Deo. Qua enim ratione filii adoptionis esse possemus, nisi per Filium, et nisi Verbum caro factum esset, et nostrae naturae sociatum esset? Dicit in Mediatore duas esse naturas, quia nos non possemus esse filii adoptionis, nisi is, qui natura Filius est, assumpsisset nostrae naturae massam.

Et Vigilius sic ait: Talis hostia requirebatur, quae ita media esset inter Deum et homines, ut et morti succumberet per illud quod hominis habebat, et mortem vinceret, eo quod divinitatem in se tenebat. Item: Nisi talis Mediator existeret, qui de coelestibus veniens, couniretur terrenis. Unde etiam medius erit, si utrumque non habuerit, quia nisi talem dederis inter Deum et homines, qui ita sit medius, ut ex utroque utrumque sit, id est, ut et Deus sit propter divinitatis, et idem homo sit propter humanitatis naturam, humana divinis quemadmodum reconcilientur, non ostendis.

Cyrilli longa est commemoratio in Thesauri libro 12. Mediator Dei et hominum Iesus Christus est, non solum quia reconciliavit homines Deo, sed etiam, quia naturaliter et substantialiter et Deus et homo est in una hypostasi. Item, Est autem Christus Mediator Dei et hominum, quia in eo uno Deus et homo coniunguntur.

Ambrosius: Ut Mediator Dei et hominum esset, homo Christus Iesus, non sine divinitate, quia in Deo homo erat, et Deus in homine, ut ex utroque esset Mediator.

Sic Epiphanius et Hieronymus loquuntur. Nec his antiquis testimoniis anteferatur mutilatum dictum in Longobardo distinctione 19. libro tertio, quod ex Augustino citatur, quod ait, Christum esse Mediatorem secundum humanitatem, non secundum divinitatem. Et tamen in eodem loco pugnantia mox citantur, unde nata est otiosa distinctio de Medio et Mediatore. Fatentur Christum secundum utramque naturam medium esse, sed Mediatorem secundum humanam. Manifestum est autem, ideo dictum illud insufficiens esse, quia tantum de passione loquitur, non de victoria, non de intercessione perpetua, quae fit coram Patre, non de perpetua conservatione Ecclesiae.

Nec dictum in Epistola ad Timotheum excludit divinam naturam, quia nominat personam: Unus Mediator Dei et hominum, Homo Christus Iesus. Christus autem est nomen personae, in qua sunt duae naturae, quasi dicat: Hic homo Christus est Mediator, non alii homines, Abraham aut Moises, de quo etiam scriptum est Deut. 5. Ego steti inter Deum et vos etc. Sed hic unicus filius Dei est Mediator, quia hic assumpta natura humana est propitiator. Non igitur inde sequitur, solam naturam humanam mediatricem esse.

Ideo et enarrationes veterum monent, non excludi divinam naturam. Ac miror, quas causas esse cogitent, cur duae naturae unitae sint, qui solam humanam naturam contendunt esse Mediatricem et Redemptricem, certo non frustra facta est haec copulatio. Nec frustra dictum est: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium unigenitum daret. Item, Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis.

In Stancari scripto quaedam etiam de iustificatione inseruntur, ubi tamen non recitatur integra doctrina de eo articulo. Nobis autem magnum crimen, sed falso obiicit, Ait nostram doctrinam ex Pelagiana extructam esse. Extant Confessiones consentientes multarum Ecclesiarum nostrarum de praecipuis Articulis, quas non dubito veras esse. Ipse quid sentiat, et cuius Ecclesiae civis sit, nondum scimus. Si publicis scriptis oppugnabit doctrinam Ecclesiarum nostrarum, non deerunt qui veritatem tueri studebunt, nec deterrebuntur eius maledicentia.

Haec scripsi meo nomine. Nam aliis attrahere certamina cum homine maledico non volui. Causa haec amplissima est, et multas gravissimas disputationes continet, quarum explicatio illustrat doctrinam de Filio Dei, et utilis est ad consolationem et ad invocationem. Nunc autem fui brevior, et quaedam praeterii, quia video quosdam undique arripere calumniandi occasionem. Nec vero defugio iudicia Ecclesiarum, et maxime optarim de multis rebus colloqui me posse cum pluribus viris doctis et piis, qui sine acerbitate animorum sententias conferrent.

Subiicio igitur et me ipsum, et omnia mea scripta, et hanc ipsam responsionem iudicio omnium Ecclesiarum, quae Augustanam confessionem amplectuntur, et oro Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, Deum et hominem, qui dixit: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, ut semper Ecclesiam sibi in his regionibus colligat et gubernet, et nos doceat et regat, Amen.

Scripsit manu propria Philippus Melanthon, in die Festo Iohannis Baptistae, in arce Dessaensi. M. D. LIII.

QUAESTIO.

An, sicut vera est propositio, Christus est mortuus secundum naturam humanam, non secundum divinam naturam: ita sit vera propositio, Christus est Mediator tantum secundum naturam humanam, non secundum utramque naturam. An vero differentia sit inter propositiones quae loquuntur de proprietatibus unius naturae, et alias propositiones, quae loquuntur de officio, quod convenit personae, ut Christus est Rex, secundum utramque naturam.

Alia Quaestio.

An Christus tantum sit Salvator, quia partitur, et non eo quod simul sit efficax, an sit Salvator merito et efficacia.

Deo Gratia.

VERBA AMBROSII IN EPISTOLA PRIORE AD TIMOTHEUM.

Unus enim Deus, unus et Mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus. Dei et Christi unam significat esse voluntatem in salvandis hominibus, Unde Deum Patrem, quia ab ipso est omnis autoritas, unum esse fatetur, et unum Mediatorem Dei et hominum, Christum Iesum. Missus enim a Patre, factus arbiter reconciliavit Deum et homines reformando eos ad agnitionem eius, quia enim unus est Pater et Filius, non persona, sed indifferenti natura, ut arbiter esset Dei et hominum, Filius Dei assumpta carne, homo natus est, ut Mediator Dei et hominum homo esset Christus Iesus, id est, non sine divinitate, quia in Deo homo erat, et Deus in homine, ut ex utroque esset Mediator, et utrumque reconciliaret.

FINIS.

Hanc *Responsionem de controversiis Stancari* in eadem Examinis Ordinandorum editione subsequuntur *Definitiones multarum appellationum, quarum in Ecclesia usus est, traditae a Philippo Melanthone Torgae et Vuitebergae. Anno* 1552. *et* 1553. Has iam in Appendice II. tertiae aetatis Locorum theologicorum latinorum (Vol. XXI. p. 1075—1106. conf. p. 1075. nota 39.) edidimus, quam ob causam hoc loco omittuntur.

III. CATECHESIS PUERILIS
AUCTORE PHILIPPO MELANTHONE.

Hic liber Melanthonis, quod equidem scio, prodiit hisce Editionibus:

Catechesis Poerilis, id est, institutio puerorum in sacris.

Philippvs Melanchthon ad pueros.

Quae sint iussa Dei, quae lex, quae summa voluntas,
Chare puer, praesens cuncta libellus habet.
Hunc lege, qui verae pietatis amore teneris,
Coelestique cupis complacuisse Patri.
Tradit enim solidae summam pietatis ad unguem;
Utque Dei possis filius esse, docet.
Talia qui recte teneris addiscit ab annis,
Crede mihi, ex omni parte beatus erit.

sine loci annique indicio. $2\frac{1}{2}$ plagg. 8. *)

Catechismvs Poerilis, Id est, Institutio Puerorum in sacris.
Philippvs Melanchthon ad Pueros.
Si qua Dei tangit puram reverentia mentem etc.
(In fine:) *Wittebergae per Georgium Rhaw. M. D. XXXII.* 5 plagg. 8.
Catechesis Poerilis recognita. Hagenoae 1532. 8. **)
Catechismvs Poerilis, id est, Institutio Puerorum in sacris.
Philippvs Melanchth. ad Pueros.
Quae sint iussa Dei, quae lex, quae summa voluntas etc.
Vitebergae a. 1536. — (In fine:) *Vitebergae, per Georgium Rhau, a.* 1536. 5 plagg. 8. ***)
Catechismvs Poerilis. Basileae 1538, 8. †)

In his Editionibus ex Melanthonis epigrammate adscripto intelligitur, eundem libri auctorem esse, in sequentibus vero Editt. ipse in titulo auctor nuncupatur.

Catech | esis Poeri | lis. | Avtore Philippo | Melanthone. | Halae Sueuorum ex officina | Petri Brubacchij Anno | XL. — (In fine:) *Halae Svevorvm | Ex officina Petri Brubacchij, | Anno M.CCCCC. | XXXX.* $8\frac{1}{4}$ plagg., quarum prima dimidia &, seqq. $7\frac{3}{4}$ plagg. litt. A—H (H 6 folia cont.) signatae sunt, prima 4 foll. non num., seqq. 62 foll. num., 8. min. (fol. & 2^{a} — 4^{a} Ioannis Brentii editoris epistola ad lectorem; fol. & 4^{b} vacat; fol. 1^{a} — 62^{a} [A 1^{a} — H 6^{a}] Catechesis, cum 34 annotatt. marginal., quarum maxima pars sunt voces textus repetitae; fol. 62^{b} Clausulam continet). ††)

---

*) Haec Ed. et subsequens in Bibliotheca senat. Norimb. exstant. Harum prior recensetur a Panzero in Annalibus typogr. Vol. IX. p. 185. nr. 248., altera ibid. p. 92. nr. 240. atque a Feuerlino in Bibliotheca symbol. ed. Riederer I. p. 368. nr. 43.

**) Haec Ed. in Biblioth. regia Dresdensi invenitur.

***) Hanc Ed. Bibliotheca senat. Norimb. asservat. Recensetur a von der Hardt in Autographis Lutheri aliorumque Tom. I. p. 334., a Feuerlino l. l. I. p. 368. nr. 44., atque Panzero l. l. IX. p. 98. nr. 306.

†) Haec Ed. in Biblioth. acad. Gotting. est.

††) Hanc Ed. ex Biblioth. regia Berolin. in manibus habeo. Reperitor quoque in Bibliothecis acad. Vratislav. et Erlang., atque in Biblioth. senat. Norimb. — Recensetur a Ge. Veesenmeyero in l. Literarisch-bibliographische Nachrichten von einigen Evangelischen catechetischen Schriften etc. (Ulm 1830. 8.) p. 95 sqq., ubi, Brentii praefatione recensita atque Melanthonis praefatione ex Operibus Witeberg. ipsius verbis allata, p. 99. haec addit: „Man sieht hieraus (scil. ex Mel. praefatione), daß Melanchthon selbst diese Catechesis nicht ganz in dieser Form, wie sie Brenz herausgegeben, geschrieben habe, daß er gewünscht, Brenz möchte sie vor der Herausgabe noch ausgefeilt, und einiges abgeändert haben. Wie kam aber nun Brenz zu dieser un-

Cateche- | sis Pveri- | lis, | Avtore Philippo | Melan. | Cum Praefatione Ioannis Brentij. (Infra haec est Insigne typographi, corona cinctum: Angelus scutum tenens, in quo litterae .MB. coniunctae, cum tribus punctis subscriptis leguntur.) *M. D. XL.* — (In fine:) *Lipsiae in officina typo- | graphica Michaelis | Blum, Mense Maio. Anno | M. D. XL.* 8½ plagg. litt. A—I (1½ plag.) signatae, 132 pagg. num., penult. fol. non num., ult. fol. album, 8. min. (pag. 3—9. Ioannis Brentii editoris epistola ad lectorem; pag. 10—132. Catechesis, cum 36 annott. margin.; antepenultimi folii àntica pag. continet Clausulam subiuncto Insigni, in quo duo angeli scutum tribus floribus insignitum tenent; postica pagina imaginem Christi crucifixi, Maria et Iohanne adstantibus; ult. folium album est.) *)

Cate- | chesis Pveri- | lis, Recognita | a Philippo | Melanth. | Vite bergae | 15 40. (sic) Hic titulus figuris ligno incisis cinctus est, inter quas etiam est Christi crucifixi imago, inferiori tituli parti interposita, quo loci nomen annorumque numeri in duas partes sic dirimuntur: *Vite* | *bergae* 15 | 40. — (In fine:) *Vitebergae excv- | debat Nic. Schir.*[lentz.] | *Anno* 1. 5. 43. 11 plagg. litt. A—L sign., prima 2 foll. non num., seqq. 86 foll. num., ult. fol. non num., 8. min. (fol. A 2 Melanthonis praefatio; fol. A 3ª [fol. 1ª] — L 8ª Catechesis, cum 31 annott. margin., Cuius fini Clausula subiuncta est; fol. L 8ᵇ vacat.) **)

Cate | chesis | Pverilis Recog- | nita a Philippo | Melanth. | Vitebergae | 1543 (Hic titulus fere iisdem figuris ligno incisis cinctus est, ac titulus Ed. praecedentis, ab illo autem eo differt, quod Christi crucifixi imago omissa est.) — (In fine:) *Vitebergae excv- | debat Nico. Schir.* | *Anno* 1. 5. 43. 11 plagg. litt. A — L sign., prima 2 foll. non num., seqq. 86 foll. num., ult. fol. non num., 8. min. (fol. A 2 Melanthonis praefatio; fol. A 3ª [fol. 1ª] — L 8ª Catechesis, cum 27 annott. margin., in cuius fine Clausula addita est; fol. L 8ᵇ vacat). ***)

Cate- | chesis Pve- | rilis. | Recognita à Phi- | lippo Melanth. | Vitebergae Ex- | cudebat Nico. Schirl. | 1543 (Hic titulus figuris ligno incisis cinctus est, quae a figuris praecedentium Editt. diversae sunt) — (In fine:) *Vitebergae excv- | debat Nico. Schir.* | *Anno* 1. 5. 44. 12½ plagg. litt. A—N (N½ plag.) sign., 100 foll. non num., 8. min. (fol. A 2 Melanthonis praefatio; fol. A 3ª — N 4ª Catechesis, cum 265 annott. margin., quarum maxima pars sunt voces e textu repetitae et loci Scripturae S.; in fine Clausula addi a est; fol. N 4ᵇ vacat). †)

Cate- | chesis Pverilis, | recognita à Philippo Melan- | thone. (Infra haec sunt tria foliola et idem Insigne Blumii typographi, quod supra in Ed. Lipsiensi anni 1540. descripsi, punctis autem in eo omissis. *Lipsiae | Michael Blvm | excudebat.* | *Anno M. D. XLV.* 10 plagg. litt. A—K sign., 2 foll. non num., 152 pagg. num., ult. 2 foll. alba, 8. min. (fol. A 2 Melanthonis epistola ad lectorem [praefatio]; fol. A 3ª — K 6ᵇ [pag. 1 — 152.] Catechesis, cum 31 annott. margin.) ††)

— — (Idem Index?) *Lipsiae* 1547. 8½ plagg. 8. †††)

Cate- | chesis Pverilis, | recognita à Philippo | Melanthone. | Vitebergae. | Anno M. D. XLIX. (Hic titulus, cuius lineae 1. 2. 5. rubro colore expressae sunt, figuris ligno incisis cinctus est.) — (In fine:) *Vitebergae | Ex officina literaria | Georgii Rhav. | M. D. XLIX.* 10 plagg. litt. A—K sign., prima 4 foll. non num., seqq. 75 foll. numeris 3—77 numerata, ult. fol. album, 8. min. (fol. A 2 Melanthonis praefatio; fol. A 3ª — K 7ª Catechesis, cum 31 annott. marg., in fine Clausula subiuncta est; fol. K 7ᵇ — 8ᵇ vacant). †*)

---

vollkommenen Arbeit? Wahrscheinlich erhielt er sie von jemand, der als Zuhörer Melanchthons diese Vorlesung, welcher er mehr die erotematische, als akroamatische Form gegeben, nachgeschrieben hatte, zur Herausgabe, deren er sie werth hielt. Dieß war nicht der einzige, und nicht der erste Fall, daß auf diese Art Aufsätze Melanchthons in das Publicum kamen, wie sich leicht beweisen ließe, wenn es nöthig wäre. Einen eigentlichen Catechismus kann man diese Arbeit nicht nennen, aber, wie die Benennung mit Bedacht gewählt ist, eine Catechesis" u. s. w.

*) Haec Ed. ex Biblioth. ducali Guelferbyt. mihi ad manus est.

**) Hanc Ed. ex Biblioth. acad. Vratislav. in manibus habeo.

***) Hanc Ed. ex Biblioth. ducali Guelferbyt. in manibus teneo, etiam in Biblioth. senat. Norimb. exstat. Haec aut subsequens Ed. quoque in Bibliothecis regiis Berolin. et Dresdensi invenitur.

†) Haec Ed. in meis libris est. — Recensetur in Hirschii Millenario III. p. 75. nr. 767.

††) Hanc Ed. ex Biblioth. regia Berolin. in manibus habeo.

†††) Hanc Ed., quae in Biblioth. senat. Norimb. est, nondum vidi.

†*) Haec Ed. ex Biblioth. ducali Guelferbyt. ad meas manus est.

— — (Idem Index?) *Lipsiae* 1549. 9 plagg. 8.*)

Cate- | chesis Pue | rilis, | Recognita à Phi- | lippo Melanth. | Vitebergae | Excudebat Iohan- | nes Crato, | Anno M. D. LI. (Hic titulus figuris ligno incisis cinctus est.) 10 plagg. litt. A — K sign., 79 foll. non num., ult. fol. album, 8. min. (fol. A 2 Melanthonis praefatio; fol. A 3 ª — K 7 ᵇ Catechesis, cum 30 annott. margin.; fol. K 8 vacat). **)

— — (Idem Index?) *Budissinae* 1551. 8.***)

Catechesis | Puerilis, Recogni- | ta A Philippo Me- | lanthone.

(Infra haec, Melanthonis imago figuris cincta, cui subscriptum est hoc epigramma:)

Ioan. Cregelius

Quem deus innumeris virtutum dotibus auxit,
Pictus ibi vera fronte Melanthon adest.
Ingeniosa manus potuit depingere vultum.
Quae mentem pingat non quoque Apellis erit.

Lipsiae. | In officina Georgii | Hantzsch | M. D. LV. 9 plagg. litt. A—I sign., 71 foll. non num., ult. fol. album, 8. min. (fol. A 2 Melanthonis praefatio; fol. A 3 ª — I 7 ᵇ Catechesis, cum 25 annott. margin.; fol. I 8 vacat). †)

Cateche- | sis Puerilis. | Recognita | A | Philippo Melanth. (Infra haec, Melanthonis imago circulis cincta) *Wittebergae | Excudebat Iohannes | Crato | Anno M. D. LVII.* 10 plagg. litt. A—K sign., 79 foll. non num., ult. fol. album, 8. min. (fol. A 2 Melanthonis praefatio; fol. A 3 ª — K 7 ᵇ Catechesis, cum 21 annott. margin.) ††)

Cateche- | sis Pueri- | lis. | Recognita | A | Philippo Melanth. (Infra haec, Melanthonis imago circulis inclusa) *Vitebergae | Excudebat Iohannes | Crato. | Anno M. D. LVIII.* 10 plagg. litt. A —K sign., 79 foll. non num. ult. fol. album. 8. min. (fol. A 2 Melanthonis praefatio; fol. A 3 ª — K 7 ᵇ Catechesis, cum 20 annott. margin.). †††)

Cateche- | sis Puerilis. | Recognita | A | Philippo Melanthone. (Infra haec, Melanthonis imago circulis inclusa). *Budissinae. | Per Iohannem | Wolrab. | Anno. M. D. LXI.* 10 plagg. litt. A—K sign., 79 foll. non num., ult. fol. album, 8. min. (fol. A 2 Melanthonis praefatio; fol. A 3 ª — K 7 ª Catechesis; fol. K 7 ᵇ — 8 ᵇ vacant). †*)

Ex his Editionibus illa, quam Brentius a. 1540 curavit, recusa est in *Operum Melanthonis*, quae *Basileae apud Ioan. Hervagium* 1541. in Fol. prodierunt, Tomo III. p. 211 — 258., Ioannis Brentii praefatione praefixa p. 211 sq.; p. 213—258. Catechesin cum 10 annotatt. margin. exhibent. Ipsius Melanthonis vero Editio extrema Witebergensis a. 1558. repetita est in eius *Operum Collectione*, quam *Wittebergae Io. Crato* a. 1562—1564. in Fol. excudit, Parte I. p. 1—27. cum Melanthonis praefatione, quae in folii proxime praecedentis non num. B ij pagina aversa legitur. Catechesi in margine 122 annotationes appositae sunt. In horum Operum *altera Editione*, quam *Witebergae haeredes Io. Cratonis* a. 1580. in Fol. excudebant, hic liber cum iisdem annott. margin. in Parte I. p. 1—27., praefatio Melanthonis in fol. proxime praecedente non num. B ij ᵇ reperitur. — De hoc libro legatur Strobelii tract. Verdienste Melanchthons um die Katechetik, in Ioh. Rud. Gottl. Beyeri Allgem. Magazin für Prediger (Leipzig 1783—96. 12 Bde) Tom. IX. fasc. 6., cuius legendi occasio mihi non data est.

Quaedam huius libri Editiones latinae etiam in germanicam linguam translatae sunt. Ex prima Ed. confecta interpretatio prodiit hisce Editionibus:

Philipps Melanchthons Handtbüchlein, wie man die kinder zu der geschrifft vnd lere halten sol. Wittemberg M. D. XXiiii. 3 plagg. 8. †**)

---

*) Haec Ed. in Biblioth. regia Dresdensi et senat. Norimb. asservatur.

**) Haec Ed. in Biblioth. senat. Hamburg. et in meis libris est.

***) Haec Ed. olim, Catalogo teste, in Bibliotheca Orphanotrophei Halensis erat. — Fortasse vero annorum numerus 1551. calami errore scriptus est pro 1561., quo anno Editio infra recensenda prodiit.

†) Hanc Ed. ex Biblioth. acad. Heidelberg. in manibus habeo.

††) Haec Ed. in Biblioth. regia Dresdensi et in meis libris est.

†††) Hanc Ed. ex Biblioth. senat. Hamburg. in manibus habeo.

†*) Haec Ed. in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est.

†**) Haec Ed. recensetur a Feuerlino l. l. I. p. 359. nr. 9 et a Panzero in l. Annalen der ältern deutschen Litt. T. II. p. 296. nr. 2386.

— — (Idem Index] Wittemberg 1527. 3 plagg. 8. *)

Ex eadem vel ex Ed. anni 1532. aut anni 1536. facta esse videtur haecce:

Ein buchlin fur die leyen vnd kinder. Phil. Melanchthons handtbüchlin, wie man die kinder zu der geschrifft vnd lere halten sol. Straßburg bey Wolffg. Köpphel. sine anni indicio. 5 plagg. 8.

Ex Ed. Witeberg. anni 1543. Casp. Bruschenius hanc interpretationem perfecit:

Catechismus, das ist, ein Kinderlehr Ph. Melanthonis, aus dem Latein ins Deutsch gebracht durch Gaspar Bruschen. Leipzig 1544. 20 plagg. 8. **)

Catechismus, das ist, ein Kinderlehr Herrn Ph. Melanthonis, auß dem Latein ins Deutsch gebracht durch *Gaspar Bruschen Poeten.* Nürnberg Hans Güldenmundt 1544. 8. 20 (?) plagg. ***)

— — (Idem Index) Nürnberg, sine anni indicio. 20 plagg. 8. †)

— — (Idem Index) Nürnberg 1567. 8. ††)

Nota. Ab illa Catechesis puerilis interpretatione german. „Phil. Mel. Handtbüchlein ꝛc." inscripta, diversae est haecce: Manual oder | Handtbüchlin, Darin- | nen die fürnembste Haubtartickel der | warhafftigen Christlichen Lere, in Frage | vnd Antwort gestellet seind, gemehrt, | Sonderlich mit einer nötigen Frage vnd | klarer Vnterrichtung von den graden der | Sipschafft vnd Schwagerschafft, | welche im Freyen verbo- | ten seind. | *Philip. Melant.* | Gedruckt zu Franckfurdt | am Mayn, bey Peter Braubach, nach der Geburt Christi | M. D. LV. Jar. $14^3/_4$ plagg. 8. min. **Hic enim liber, quem ex Biblioth. senat. Hamburg. in manibus habeo, non Catecheseos puerilis, sed Examinis Ordinandorum interpretationem continet, vide Prolegomena in hoc Examen supra proposita.**

Praeter has *interpretationes germanicas* h. l. memoranda est haecce *expositio huius libri ab* Alexandro Alesio scripta:

Epitome | Expositi- | onis Catechismi | D. Philippi Melanthonis | Relata ad Interro- | gationes et Re- | sponsiones, | Vt vere sit id | quod dicitur Catechesis: cui addita est | expositio symboli, et orationis Dominicae, | ut nihil, quod ad iustam formam Ca- | techismi pertinere uideatur, | desiderari possit. | Ab Alexandro Alesio, | S. Theologiae D. | Psal. CXIX. | Et ne auferas de ore meo uerbum ueritatis. | Francoforti | ad Viadrvm in Officina | Ioannis Eichorn, | Anno | M. D. L. — **(In fine:) *Excvdebat | Iohan. Eichorn Francforti ad | Viadrum, Anno | M. D. L.* 7 plagg. litt. A — G sign., prima 4 foll. non num., seqq. 52 foll. num., 8. min. (fol. A 2ᵃ — 4ᵇ Alesii epistola nuncupat. ad Modestinum, Christophorum et Abrahamum Ludovici Fachsii filios; fol. A 5ᵃ — G 8ᵃ Epitome expositionis Catechismi D. Phil. Melanthonis, relata ad interrogationes et responsiones, in cuius fine Clausula addita est; fol. G 8ᵇ vacat). †††)**

Ab hac Melanthonis catechesi distinguendae sunt duae aliae, in quarum titulo item Melanthonis nomen occurrit:

1. Othonis Brunfelsii *Catechesis* anno 1529. primum edita, cum hocce titulo:

***Catechesis Puerorum, in fide, in literis, et in moribus. Ex Cicerone, Quintiliano, Plutarcho, Angelo Politiano, Rodolpho Agricola, Erasmo, Philippo Melanch. atque aliis probatissimis quibusque autoribus, Tomis digesta quatuor, per Othonem Brunfelsium. Argentorati* 1529. 8. Haec Catechesis Iac. Sturmio, Nic. Kniebsio, et Iac. Meyero, Senatoribus, urbis Argentinae Scholarum praefectis dedicata est.). †*)**

— — (Idem fere Index). *Coloniae Anno M. D. XXXII.* 8. 10 plagg. (In hac altera Ed. dedicatio prioris anno 1529. scripta repetita est). †)**

---

*) Haec Ed. et subsequens in Biblioth. senat. Norimb. asservantur.

**) Haec Ed. in eadem Biblioth. senat. invenitur.

***) Hanc Ed. recenset Riederer in Feuerlini Biblioth. symbol. ab ipso edita I. p. 370.; de plagularum numero addit: „nicht gar ein Alphabeth."

†) Sic haec Ed. affertur in Catalogo librorum Melanthonis, qui in Biblioth. senat. Norimb. sunt. Nescio, utrum haec eadem sit ac proxime praecedens, an illius repetitio.

††) Haec Ed. affertur in Mart. Lipenii Bibliotheca reali theologica. Tom. I. (Francof. ad M. 1685. Fol.) p. 250.

†††) Haec Epitome in meis libris est.

†*) Haec Catechesis affertur a von der Hardt l. l. I. p. 262.

†**) Haec altera Ed. recensetur a Feuerlino l. l. I. p. 386. nr. 42.

Catechesis puerorum, in fide, literis et moribus. Ex probatissimis quibusque authoribus. Per Othonem Brunfelsium. Francof. apud Christi. Egenolphum. sine anni indicio. 8. 13 plagg. (cum dedicatione primae Editionis a. 1529.). *)

In hoc libro, teste Feuerlino, nonnisi Tomus III. et IV. sunt proprie catechetici argumenti.

2. *Catechesis* ex Corpore doctrinae Philippico a Professoribus Wittembergensibus Crypto-Calvinistis, inprimis Christophoro Pezelio contexta, quae vulgo *Catechismus Crypto-Calvinianus Wittembergensis* nuncupatur. Haec primum a. 1571. prodiit sic inscripta:

Catechesis ex Corpore doctrinae Christianae Ecclesiarum Sax. et Misn. quae sunt subiectae ditioni Ducis El. Sax. edita in Acad. Witeberg. et accommodata ad usum Scholarum puerilium. Witebergae 1571. $10\frac{1}{2}$ plagg. 84 foll. non num., 8. **)

Cateche- | sis | Continens Expli- | cationem simplicem, | et breuem, Decalogi, Symboli Apostolici, | Orationis Dominicae, Doctrinae de Poe- | nitentia, et de Sacramentis, con- | textam ex | Corpore Do- | ctrinae Christianae, | Quod amplectontur ac | tuentur Ecclesiae regionum Saxonicarum et | Misnicarum, quae sunt subiectae ditio- | ni Ducis Electoris Saxo- | niae etc. | Edita in Academia | Witebergensi. et accommodata ad | vsum Scholarum pu- | erilium. | Cvm gratia et pri- | uilegio. | Witebergae. | Anno M. D. LXXI. — (In fine:) *Witebergae | Excvdebat Iohan- | nes Schwertel.* | 1571. $9\frac{1}{2}$ plagg. litt. A—K (K $\frac{1}{2}$ plag.) sign., prima 8 foll. non num., seqq. 136 pagg. num., 8. min. (fol. A 1 b loco privilegii exhibet insignia Electoralia Saxon.; fol. A 2 a — 8 b Decani, Senioris et Doctorum Theologicae facultatis in Academia Witembergensi epistola ad omnes pios et doctos viros, gubernantes studia iuventutis in Scholis puerilibus, Witebergae Cal. Ian. 1571. scripta; fol. B 1 a — K 4 b [pag. 1 — 136.] Catechismus cum 8 figuris ligno incisis textui interpositis, in fine Clausula adiuncta est). ***)

Catechesis | Continens Ex- | plicationem sim- | plicem et brevem, Decalogi: | Symboli Apostolici: | Orationis Dominicae: | Doctrinae de | Poenitentia et de | Sacramentis: | Contextam ex scriptis reuerendi viri D. Phi- | lippi Melanthonis, et | Corpore Do- | ctrinae Christianae, | Qvod amplectvntvr ac | tuentur Ecclesiae regionum Saxonicarum et Mis- | nicarum, quae sunt subiectae ditioni Ducis | Electoris Saxoniae etc. | Edita in Academia Wi- | tebergensi: et accommodata ad usum | Scholarum puerilium. | Et iam denvo recognita | addita consignatione, in quibus partibus scriptorum | D. Philippi extent loca, hactenus ab aliqui- | bus impugnata in hac Catechesi. | Cvm gratia et privilegio. | Witebergae M. D. LXXII. — (In fine:) *Witebergae | Excvdebat Iohan- | nes Schwertel.* | 1571. (sic) $9\frac{1}{2}$ plagg. litt. A—K (K $\frac{1}{2}$ plag.) sign., prima 8 foll. non num., seqq. 136 pagg. num., 8. min. (fol. A 1 b eadem insignia Elector. ac Ed. proxime praecedens continet; fol. A 2 a — 8 b Praefatio eadem ac in illa legitur, scripta Witeb. Cal. Ian. 1571.; fol. B 1 a — K 4 b Catechismus cum iisdem 8 figuris, quae in praecedente Ed. inveniuntur, et 19 annotationibus marginalibus.). †)

— — (Idem Index) *Witebergae M. D. LXXII.* — (In fine:) *Witebergae, excudebat Iohann Schwertel.* 1572. $9\frac{1}{2}$ plagg. 8. ††)

Germanice hic Crypto-Calvinianorum Catechismus bis prodiit sic inscriptus:

Kurtze vnd nöthige Fragen vnd Antwort, so neben dem Catechismo des Ehrw. Herrn Doct. Mart. Lutheri für kleine Kinder vnd schlechte einfeltige Leute mögen gebraucht werden, welche andere lange Auslegungen nicht fassen noch behalten können. Wittenberg 1571. 8. †††)

Christ. Pezelii kurtze vnd Notwendige Fragen, so neben dem Catechismo Lutheri in der Kirchen zu Wittemberg gebraucht werden, auch Form einer gemeinen Danckſagung vnd Gebets, aus den Schrifften *Phil. Mel.* Wittem-

---

*) Hanc Ed. Riederer alteri a Feuerlino recensitae l. l. adscripsit.

**) Sic, ut suspicor, minus accurate haec Ed. recensetur a Feuerlino l. l. I. p. 182. nr. 1046, ubi haec adscripsit: „Haec editio constat $10\frac{1}{2}$ plagulis, et caret numeris paginarum et foliorum, ut ferme prior videatur tribus editionibus a D. Balthasare recensitis in Greifsw. Wochen-Blättern 1743., p. 336 sqq. conf. D. Loescheri Hist. Mot. P. III. p. 144, ubi etiam Pezelius e consilio Langueti hunc Catechismum scripsisse dicitur, consilia tamen Peuceri addenda sunt e pag. 161."

***) Haec Ed. altera anni 1571. in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est. — Recensetur in Ioh. Vogtii Catalogo libror. rar. Ed. 3. (Hamburgi 1747. 8.) p. 182.

†) Hanc Ed. ex Biblioth. acad. Vratislav. in manibus habeo; etiam in Biblioth. senat. Norimb. haec vel subsequens invenitur. — Recensetur a Feuerlino l. l. I. p. 182.

††) Hanc alteram anni 1572. Editionem, quae a proxime praecedente eo tantum differre videtur, quod etiam in fine annorum numerum 1572. habet, Riederer ad illam a Feuerlino recensitam. l. l. adscripsit, et Vogtius l. l. in recensione sua attulit.

†††) Haec Ed. recensetur a Voigtio l. l. p. 182. Conf. Gregor. Langemack Historiae Catechet. T. II. p. 331 sqq. et 373.

berg, durch Hans Lufft, 1573. 8. (Post Catechismum ante Formulas Precum haec leguntur verba: Ende der Fragstück, den Einfeltigen zu gut gestellet a. 1571.). *)

Huius *catechismi crypto-calv.* historiam et fata legas apud Hutterum in *Concordia concorde* cap. II. p. 138 sqq., Rethmeyerum in *Histor. Ecclesiast. Brunsvic.* P. III. p. 373., Leuckfeldium in *Histor. Heshusiana* p. 94 sqq. Ioh. Melch. Krafftium in prodromo *Historiae versionis german. Biblior.* cap. 2 §. 3. p. 15—18. et in Hist. vom Exorcismo p. 402 et alios. — Ad hunc librum spectant haecce scripta: Ausschreiben der theol. Facultät zu Wittemberg wegen des ausgegangenen Catechismi. Wittemberg 1571. 2 plagg. 4. (in Biblioth. senat. Norimb.) — Bericht eines gottseeligen Lehrers von dem Wittemberger Catechismo. 1571. 2 plagg. 4. (in eadem Bibl.) — Index Cinglianorum quorundam errorum in Catechesi Witebergensi annotatus a Ministris ecclesiae Hallensis in Saxonia. 1571. 1½ plagg. 4. (in eadem Bibl.) — Einhellige Bekentniß vieler hochgelarten Theologen vnd fürnemer Kirchen in etlichen Fürstenth. der alten Augsb. Conf. von dem newen Wittenb. Catechismo u. s. w. Jhena Anno M.D.LXXII. 54 plagg. 4. (in eadem Bibl.).

His memoratis, ad Melanthonis Catechesin redeamus, quam hic ex *Editione Witebergensi anni* 1558. recudendam curamus, quoniam haec ipsius Melanthonis extrema est. Priusquam vero ad librum ipsum aggredimur, Brentii et Melanthonis *praefationes* exhibemus, quippe ex quibus et editoris et auctoris de hoc libro iudicia optime cognoscantur.

1. Brentii praefatio in duabus Editionibus anni 1540. ab eo curatis Catechesi praefixa.

Ioannes Brentius Lectori S. D.

Nihil opus esse arbitror, hunc libellum κατηχήσεως longa concione commendare. Nam si autoris tantum nomen indicavero, nihil reliquum erit, quod apud verae pietatis studiosos commendationi desit. Scripsit enim hunc libellum Philippus Melanthon, quo uno verbo duas illas virtutes de hoc libello praedico, quae ad docendam religionem maxime omnium requiruntur. Altera est, ut quod doces, perspicua methodo doceas. Hac autem virtute Philippus ita valet, ut vix habeas quem ipsi conferas. Altera est, ut quod doces, pie, et quemadmodum Paulus ait, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως doceas, quod certe hic libellus ita praestat, ut ad docendam pietatem, nihil magis pium; nihil saluti utilius afferri queat. Etsi enim profiteatur titulo suo puerilem tantum doctrinam, attamen ea talis est doctrina, ut ex ipsa fiant vere filii Dei, cives coelestes, et haeredes regni Christi. Magnae sunt admirationi veterum Philosophorum libri, qui docent civiles virtutes, et pollicentur ἐφόδιον ad senectutem, ac remedia adversus omnes animi perturbationes, sed quod illi prolixe quidem pollicentur et conantur, perficere autem revera non possunt, id parvus hic libellus egregie absolvit. Continet enim summam eius doctrinae, quae non tantum docet civilem honestatem, nec affert tantum ἐφόδιον ad senectutem, sed docet veram iustitiam coram Deo, et affert ἐφόδιον per omnia adversa, per mortem ipsam, ad perpetuam vitam et foelicitatem. Adolescentes omnino non sunt a studio verae philosophiae, quam Ethnici tradiderunt, abducendi. Habet enim ea philosophia suam dignitatem, habet suam utilitatem. Sed ut recte et utiliter philosophentur, primum omnium hac Christiana doctrina imbuendi sunt. Nisi enim haec pietatis fundamenta probe iacta fuerint, nullum, quod superstruxeris aedificium constabit. Nec fieri potest, ut vera Evangelii doctrina, quae hoc tempore, divino beneficio in ecclesia renovata est, conservetur, nisi pueritia et adolescentia in his praecipuis religionis nostrae capitibus diligentissime erudiantur. Vetus dictum est, convicia cuncta dixeris, cum ingratum hominem dixeris. Quare, si noluerimus erga Deum ingrati esse, necesse habemus magno studio contendere, ut pueri haec pietatis rudimenta non discant tantum, sed etiam ediscant et semper in ore habeant. Maiores nostri diligenter curarunt, ut pueri domi recitarent decalogum, symbolum, quod vocant, apostolorum, et orationem dominicam. Ac non dubito, quin Deus in tam horrendis tenebris, quibus doctrina religionis hactenus obruta fuit, hoc domestico Catechismo ecclesiam conservarit. Quid enim, obsecro, in publicis templis docebatur, praeter Missas, Indulgentias, commendationes humanorum meritorum, Invocationes sanctorum, et alias id genus nugas et impietates? Nec alia erat publica ecclesiae facies, quam quae quondam in Israel regnante cultu

*) Sic haec Ed. affertur a Feuerlino l. l. p. 182. nr. 1048. — Non prodiisse Catechismum hunc germanicum, Loescherus arbitratur in Hist. Motuum P. III. p. 153.

Baalitico. Quare, qui servati sunt, quo minus has impietates corde suo adoraverint, hi certe divina clementia, per domesticum catechismum, qui pueris purus ac simplex initio tradebatur, servati sunt, ut hic catechismus, optimo iure, a vita nostra religio dicendus sit. Et omne nunc studium nostrum in hoc solum collocatur, ut homines per renovatam Evangelii doctrinam revocentur ad eam religionem, quam maiores nostri ab apostolis acceperunt, et nobis domi tradiderunt, hoc est, ut, quemadmodum propheta ait, cor filiorum convertatur ad patres ipsorum. Nec aliud conatur Satan per impios Pontifices et tyrannos, qui Evangelion persequuntur, quam ut rursus hunc catechismum in ecclesia obscuret. Multa quidem alia sunt, quae impii praetexunt persecutioni, ut ingeniosus artifex est Satan, ad transfigurandum se in angelum lucis. Sed mihi crede, hoc agunt, ut catechismum, hoc est, decalogum, symbolum apostolorum, et orationem dominicam e medio tollant. In decalogo docemur agnoscere peccatum, et corruptionem nostram. At qui docent merita humana expiare peccatum, et vires humanas implere posse legem Dei, hi gravitatem peccati obscurant. Tollunt igitur decalogum, etiamsi verba ipsa inviolata relinquant. In Symbolo apostolorum credis in Christum pro te passum et mortuum, propter quem habeas Deum patrem, placatum, et remittentem peccata. In oratione dominica invocas Deum, patrem, et petis per clementiam patris in filio exhibitam debitorum remissionem. At qui docent et urgent, quod persecutores Evangelii faciunt, Deum remittere peccata, non propter Christum filium suum, per fidem, sed propter merita nostrorum operum, hi nec Deum patrem, nec filium eius vere agnoscere docent, ideoque, quantum in ipsis est, abolent, tam symbolum apostolorum, quam orationem dominicam. Quare cum defendis eam doctrinam Evangelii, quam DOMINUS hoc tempore ecclesiae suae clementer restituit, scito te ad retinendum decalogum, Symbolum apostolorum, et orationem dominicam, pro vera patria religione, ac coelesti salute pugnare. Non pudeat autem nos omni, quo possumus, studio pueros hac catechesi erudire. Plato dicit *τὸν τῆς παιδείας ἐπιμελητὴν* esse maximum summorum in civitate magistratum. Et addit: *παντὸς γὰρ δὴ φυτοῦ ἡ πρώτη βλάστη καλῶς ὁρμηθεῖσα, πρὸς ἀρετὴν τῆς αὐτοῦ φύσεως, κυριωτάτη τέλος ἐπιθεῖναι τὸ πρόσφορον.* Nostrae literae testantur angelos esse custodes puerorum. Quod si angeli serviunt pueris, quanto magis nos debemus eis cum omni officiorum genere, tum praecipue eruditione pietatis servire. Horum, inquit, est regnum coelorum. Pertinet igitur ad ipsos coelestis doctrina, quam cum hic libellus docte et pie explicet, *ἀμφοτέραις χερσὶν* ab omnibus pietatis studiosis excipiendus, et ad manum semper habendus est. Vale.

2. Melanthonis praefatio libro suo in Editione Witebergensi a. 1540—1543. praefixa et in sequentibus Editt. repetita.

Philippus Melanthon pio Lectori S. D.

Utinam Typographi in deligendis materiis, quas edunt, diligentiores essent, ac non tantum sui compendii, sed etiam publicae utilitatis rationem haberent, praesertim in edendis scriptis de doctrina Christiana. Extant aliorum libelli, qui haec elementa pietatis continent, quae initio pueris proponuntur in Catechesi, ut vulgo vocant. Cum autem prosit, pueros ad unam, simplicem et similem doctrinae formam adsuefieri, optarem ex illis libellis eum tantum versari in manibus iuventutis, qui est locupletior caeteris. Nunc subinde alii novi nascuntur, non perinde foeliciter scripti. Hunc vero libellum, qui mei nominis titulo editus est, prorsus nollem esse publicatum. Etsi enim inter Scholasticos quaedam de his elementis pietatis fere in hanc sententiam disserui, tamen nec scripsi ipse totum libellum, nec recognovi. Et quaedam dicta sunt, quae congruunt ad iuventutem, quae in piis Ecclesiis versatur, non inter adversarios. Ideo optarim Brentium, qui et eruditione excellit et egregia pietate praeditus est, si tamen vidit has pagellas ante editionem, limam adhibuisse, et quaedam mutasse. Postquam autem editus est sine emendatione, cum abolere totum libellum non possim, duxi recudendum esse, et pauca quaedam dicenda distinctius. Tenue scriptum est, quod si quis putabit utile esse pueritiae, non prohibeo, quo minus utatur. Sed optarim in hoc genere aliorum legi uberiores libellos. Bene vale pie Lector.

CATECHESIS PUERILIS.

Ex Editione Witebergensi anni 1558.

Quid significat Catechesis?

Verbum graecum κατηχέω est erudio seu doceo. Olim autem erant in Ecclesia non solum Episcopi et Pastores, sed etiam κατηχηταὶ, quorum erat proprium munus erudire novitios, priusquam baptisabantur. Unde Catechesis adhuc dicitur, quaedam prima institutio, in qua compendio traditur summa Evangelii. Talis autem docendi ratio erat. Non solum proponebant κατηχηταὶ doctrinam, sed ab auditoribus reposcebant dictata, quod in docendo utilissimum est. Ita enim exploratis auditoribus animadverti potest, quid quisque intelligat, et errantes admoneri possunt. Et haec ratio docendi, in qua dictata reposcuntur, proprie est κατηχεῖν, maximeque prodesset in Ecclesia manere hanc consuetudinem, explorare rudiores, ut iudicia de necessariis rebus formarentur. Prodest et illud, unam quandam simplicem et certam formam doctrinae extare, et tenere certos loquendi modos, qui nihil habent ambiguitatis, et sunt consentanei scripturae, sicut et Paulus praecipit Timotheo, ut conservet ὑποτύπωσιν sanae doctrinae, id est, certam formam. Nam dissimiles et ambigui modi loquendi pariunt multas (cum alius aliud intelligit) dissensiones. Saepe etiam pariunt errores.

DECALOGUS.

Quid praecipit primum Praeceptum?

Apte orditur Lex ab agnitione Dei. Nam primum praeceptum docet esse Deum, et requirere obedientiam, benefacere obedientibus et punire inobedientes. Ac simul tradit modum, quo Deus vult apprehendi, et cultum, quo coli. Docet enim Deum esse verbo et aliquo ipsius testimonio apprehendendum. Ideo sic ait: Ego sum Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Quasi dicat: Ecce, hunc Deum agnosces et coles, qui tibi hoc verbum proponit, et qui tibi proposuit testimonium de se, scilicet hoc ipsum opus, quod eduxi populum ex Aegypto. Ita et nos debemus apprehendere Deum verbo, quod nobis datum est, et testimonio, scilicet, quia exhibitus est nobis Christus. Hunc Deum, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi, agnoscere et colere debemus. Cultus vero sunt timor et fides, et perfecta dilectio. Est enim emphasis in particula, Deus tuus, id est, curans te. Zelotes, id est, qui non patitur alteri tribui gloriam Dei, non patitur alios Deos confingi aut invocari. Visitans iniquitatem etc. hic requirit timorem. Rursus requirit fidem et dilectionem, cum ait: Faciam misericordiam diligentibus me. Sicut et alibi declaratur hoc praeceptum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde. Item, Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies. Ita primum praeceptum tradit et modum agnoscendi Dei, et veros cultus. Suntque veri et primi cultus interiores, timor, fides et dilectio. Et quia magis intelligi possunt hi motus timor et fides, ideo cum quaeritur, quid praecipiat primum praeceptum, commodissimum est respondere, timorem Dei et fidem. Quomodo autem fides pariat dilectionem, alias dicetur.

Satisfaciuntne homines huic Praecepto?

Lex Dei requirit perfectam obedientiam, perfectum timorem, perfectam fiduciam Dei, perfectam

dilectionem Dei, iuxta illud: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde. Sed quia natura hominis corrupta est vitio originis, ideo haeret in nobis dubitatio, carnalis securitas, concupiscentia, quae magis amat carnalia, quam Deum. Ideo haec infirma natura nunquam potest satisfacere huic legi, et semper accusat nos haec lex. Nunquam enim tantum timemus aut diligimus Deum, quantum oportuit. Imo ne inchoari quidem potest obedientia huius praecepti, nisi prius audiamus Evangelium de Christo, et de remissione peccatorum.

Quomodo inchoatur haec obedientia?

Ad inchoandam hanc obedientiam, necesse est addere Evangelium de Christo, et de remissione peccatorum. Non enim possunt humana corda Deo credere, non sentiunt se exaudiri, non diligunt Deum, nisi prius intelligant Deum esse placatum. Cum igitur perterrefacti agnitione peccatorum nostrorum, audimus nobis donari remissionem peccatorum, propter Filium Dei, Iesum Christum, qui pro nobis factus est victima. Hac consolatione eriguntur mentes, et incipiunt credere et confidere Deo, quod sit nobis propitius. Agnoscunt igitur ipsius misericordiam, et statuunt nos recipi, nos exaudiri. Ideo incipiunt eum diligere. Ita in his, qui agunt poenitentiam, sunt terrores, timor, fides, dilectio. Et haec obedientia tantum inchoata est, placet autem Deo, quia fide propter Christum sumus facti filii. Ita legis finis est Christus. Non enim potest fieri lex, nisi agnito Christo placeat, quia credimus Christo. In hanc sententiam inquit Paulus: Lex stabilitur per fidem. Sed de hac inchoata obedientia infra iterum dicendum erit, nunc attigi tantum, ut consideretur, quatenus obediant pii huic legi. Oportet enim pios habere inchoatam obedientiam in cordibus, nec satis est huic praecepto nosse, et profiteri ea quae docet Symbolum, et observare externam disciplinam, in cultu huius Dei, quem praedicat Evangelium. Haec obedientia est civilis disciplina, qualis esse etiam potest in Hypocritis, Sed oportet in corde verum timorem, veros pavores, et rursus veram fidem et consolationem existere. Et qui sic agnoscunt Deum, ut apprehendant eum per hoc signum, quod nobis propositum est, id est, per CHRISTUM, et per hoc verbum nobis datum, hi vere agnoscunt Deum, quemadmodum monemur in hoc praecepto.

Quae sunt peccata contra primum Praeceptum?

Gradus multi sunt, sed omnes pugnant cum timore aut fide.

Primus gradus est Epicureorum, videlicet esse ἀθέους, negare quod sit Deus, aut quod sint ei curae res humanae.

Secundus est Idololatrarum, tribuere creaturis honorem Dei, videlicet omnipotentiam, invocationem etc. Sicut Gentes fingebant esse multos Deos, et nunc Sancti invocantur.

Tertius est Iudaeorum, Mahometistarum et omnium haereticorum, qui non apprehendunt Deum iuxta verbum Dei propositum, sed fingunt sibi suos Deos, contra verbum Dei. Item, confidunt certis ordinationibus contra ordinationem et mandatum Dei.

Quartus est Magicorum, qui faciunt pacta cum Diabolo, credunt Diabolo contra mandatum Dei. Item confidunt certis ordinationibus contra ordinationem et mandatum Dei.

Quintus est eorum, qui alligant Deum ad certas statuas humana autoritate positas, aut etiam vim ipsis statuis tribuunt. Nam Esaias docet, credendum esse, quod in omni loco pariter exaudiat Deus agentes poenitentiam. Item impietas est, alligare Deum humana autoritate ad certas statuas, aut certa opera, humana autoritate excogitata.

Sextus est Hypocritarum, qui quamvis non sunt palam ἄθεοι, tamen vivunt in carnali securitate, et contemnunt iudicium Dei, nec habent verum timorem Dei. Item, magis diligunt opes aut voluptates, aut gloriam, quam Deum. Item, non agnoscunt, quod Deo debeatur gratitudo et obedientia, quia sit Creator, et quod fruimur eius beneficiis.

Septimus est desperatio et odium Dei, quemadmodum Saul desperat, et cum vidit se abiectum, irascitur Deo, et odit Deum.

Octavus est impia fiducia propriae iustitiae coram Deo, ut Pharisaei illius Luc. 18. Nam Hypocritae dupliciter peccant. Non intelligunt iudicium Dei adversus peccatum. Itaque non vere timent Deum. Rursus etiam transferunt gloriam, quam debebant Christo, in propria opera et propriam dignitatem.

Nonus, dubitatio perpetua in animis, an exaudiamur, an Deus respiciat nos, an Deus velit nobis ignoscere. Huic dubitationi repugnant sancti, et fide se erigunt. Sed in impiis manet dubitatio et diffidentia, quae et ipsa gignit contemptum et odium Dei, quia imaginatur Deum aut otiosum esse, aut iniquum, crudelem, qui tot modis affligat hanc naturam infirmam, nec velit eam liberare.

Decimus est impatientia. Nam Deus subiecit humanam naturam afflictionibus. Quare Patientia est obedientia erga voluntatem Dei.

Econtra, Impatientia est, repugnare voluntati Dei, et irasci Deo, et crudelitatem aut iniustitiam Deo tribuere. Ac diligenter meminerimus impatientiam esse peccatum contra primum praeceptum, iuxta illud: Irascimini et nolite peccare. Nam haec admonitio in magnis doloribus prodest, ut discamus dolori et iracundiae repugnare. Etsi autem erumpunt etiam sanctis interdum hi affectus, tamen hi repugnant eis, et subiiciunt se voluntati Dei.

Undecimus, negligere et contemnere verbum Dei, deficere a vera doctrina, seu metu, ut Petrus deficiebat, seu propter scandala, hominum gratiam, seu quascunque alias causas.

Duodecimus, fiducia propriae potentiae et sapientiae, ut Sennaherib confidebat sua potentia se eversurum esse regnum Iudaicum, nec curabat auxilium Dei, nec petebat. Denique generaliter peccata sunt contra primum mandatum omnis contemptus Dei, videlicet deficere a Deo, et contra mandata Dei facere atque ita praeferre creaturas Deo. Quare in omni peccato simul inest violatio primi praecepti. Nam omnis inobedientia est contemptus Dei, seu deficere a Deo.

E regione colligantur bona opera primi praecepti. Credere omnes articulos fidei, nec assentiri Epicureis, Idololatris, Mahometistis, Haereticis, non tribuere sanctis honorem Dei, non invocare sanctos, non alligare Deum ad certas statuas. Non facere pacta cum Diabolo, non confidere observationibus contra ordinationem divinam. Habere verum timorem Dei, et veram fiduciam erga Deum, propter Dominum nostrum Iesum Christum, Diligere Deum, hoc est, agnoscere, quod Deo debeatur gratitudo et obedientia, quia sit Creator, quia fruamur beneficiis eius, quia per Filium suum nos redemerit etc. Ac propterea non esse faciendum contra mandatum Dei, propter voluptates, opes, gloriam aut ullam creaturam. Non habere fiduciam propriae iustitiae, sed petere misericordiam, et certo credere, quod per misericordiam propter Christum, Pater sit nobis propitius. Repugnare impatientiae, et agnoscere, quod obedientia in cruce sit praestanda Deo. Non confidere potentia aut sapientia, sed auxilium Dei in omnibus negotiis petere. Non deficere a verbo Dei propter metum aut scandala, aut alias ullas causas. Haec sunt opera primi praecepti. Et in omnibus bonis operibus debet addi hic finis, ut fiant propter Deum, hoc est, quia cupiamus Deo grati esse et obedire. Ita omnia bona opera aliorum praeceptorum fiunt opera primi praecepti. Et virtutes proprie pertinentes ad primum praeceptum, sunt fides, timor, spes, dilectio, gratitudo erga Deum, id est, tota obedientia erga Deum. Et haec opera atque virtutes, sunt cultus Dei interiores, qui sunt vere spirituales cultus.

Quae est poena violati primi praecepti?

Toti Decalogo additae sunt promissiones et comminationes, etsi non repetuntur nominatim in singulis praeceptis.

Primum igitur sciendum est, aeterna morte puniri violationem Decalogi, sicut Christus inquit Matth. 5. Nisi iustitia vestra abundaverit etc. Item, Si vis in vitam ingredi, serva mandata.

Secundo accedunt et poenae temporales. Estque primo praecepto peculiaris comminatio addita, puniens in tertiam et quartam generationem etc. Quod enim dicit vagari poenas per multos, intelligatur de temporalibus. Itaque magnitudo poenarum commonefaciat nos, ut fugiamus Idololatriam et impios cultus, et conemur obedire huic praecepto. Et exstant exempla, ubi Deus propter peccata maiorum delevit et ipsos et posteros. Ut Saul cum tota posteritate deletus est. Propter idololatriam Salomonis regnum Israël distractum est, et secuta perpetua discordia duorum regnorum, et impii cultus in Israël instituti sunt. Ita unum peccatum peperit et infinitas calamitates et infinita peccata. Haec exempla recitantur, ut magnitudinem irae Dei adversus peccata consideremus, et Deum timeamus. Horrendum est enim poenas vagari per multos propter unius peccatum. Ita unus fit reus exitii multorum.

Sed obiiciet aliquis: Filius non portabit iniquitatem patris, haec comminatio minatur filiis propter maiorum delicta, ergo est iniusta? Respondeo ad Maiorem. Maior debet intelligi de iudicio magistratus. Is tantum autorem delicti debet punire, non alios. Sed hac regula non tenetur Deus. Et sicut humanus captus non videt, quantum mali sit in contemptu Dei, imo hoc peccatum ducit esse honestissimum. Ita Deus sancit poenam supra humanum captum, et ipsius decretum eo est iustum, quia ipse decrevit. Deinde et hoc addendum est, poena aeterna non infligitur, nisi propter proprium

peccatum. Sed poenae temporales vagantur per plures. Sic Ezechiel docet de Evangelio, quod tradit exceptionem huius sententiae legis. Ezechiel enim accommodat sententiam illam ad iudicium spirituale, Filius non portabit iniquitatem patris, videlicet si intelligatur de aeternis poenis. Haec enim est propria Evangelii doctrina, quod Deus remittat peccata agentibus poenitentiam. Item, quod nemo aeterna poena puniatur, nisi propter proprium peccatum. Item, quod etiam temporales poenas mitiget Deus propter poenitentiam. Itaque has duas interpretationes hic observemus, videlicet alteram de poenis temporalibus, alteram de exceptione Evangelica, videlicet comminatio est vera, et manet in mundo, sed excepti sunt illi, quos eximit Evangelium, scilicet, qui agunt poenitentiam. Impiis vero haec comminatio non est abolita, Lex Dei est aeterna. Quare et haec sententia adversus impios manet et durat omnibus temporibus. Ideo punit Deus mundum, erroribus, bellis, dissipationibus rerum publicarum, et aliis ingentibus calamitatibus, praecipue propter peccata contra primam tabulam.

Quae est promissio addita primo Praecepto?

Promissio est in his verbis: Faciens misericordiam in millia diligentibus me. Ut enim idololatris minatur poenas, ita econtra pro veris cultibus promittit ingentia beneficia, sicut pacem, victorias, defensionem, fertilitatem, foelicitatem in consiliis et rebus gerendis. Sed de promissionibus legalibus haec quatuor moneri oportet. Primum quomodo contingat praemia, cum promissiones sint conditionales, et legi non satisfiat. Secundum addi debet doctrina Evangelii de cruce et spiritualibus praemiis. Tertium quo ordine petenda sint praemia corporalia. Quartum quod expectatione praemiorum sit exercenda fides.

DE PRIMO.

Promissiones legis sunt conditionales, dantur enim praemia pro nostra obedientia. Quanquam autem re ipsa nemo legi satisfacit, tamen quia Deus approbat inchoatam obedientiam propter Christum, ideo etiam praemia dat pro illa obedientia, sicut clare inquit Christus: Merces vestra copiosa est in coelis.

DE SECUNDO.

Evangelium interpretatur legem, docet enim de cruce, videlicet in hac vita pios affligi, et tamen post hanc vitam habituros esse praemia. Praeterea in hac vita docet contingere piis praemia spiritualia, et quaedam corporalia, quia Deus vult etiam in hac vita conservare Ecclesiam.

Ex lege hoc argumentum sumitur: Iustum est, ut piis dentur praemia, impiis poenae, Pii sunt subiecti cruci, Ergo iniuste affliguntur. Hic respondendum est ad Maiorem: Maior est sententia legis, quam postea Evangelium interpretatur, quod docet ordinationem Dei esse, ut differantur praecipua praemia et praecipuae poenae. Praeterea docet ideo pios in hac vita subiectos esse cruci, quia adhuc habent reliquias peccati, quas oportet per mortem aboleri, tametsi sunt imputatione iusti. Quanquam igitur sancti in hac vita subiecti sunt cruci, tamen afficientur praemiis post hanc vitam, Praeterea multa etiam redduntur in hac vita. Et quanquam lex non satis clare concionatur de spiritualibus praemiis, tamen ex Evangelio discamus proposita esse pro bonis operibus praemia spiritualia, quae etiam in hac vita contingunt, videlicet incrementa plurimarum virtutum et donorum, sicut Augustinus inquit: Dilectio meretur augeri dilectionem. Et docet idem parabola de negotiantibus in Evangelio. Promittit Christus et corporalia praemia, cum inquit: Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis. Item, Accipietis centuplum, sed cum persecutione. Et Paulus: Pietas habet promissionem praesentis vitae et futurae. Quia enim Deus in hac vita etiam vult conservare Ecclesiam, addit etiam corporalia praemia. Huc pertinet historia Davidis, Ezechiae, et similium Regum, qui gloriosis victoriis ornati sunt adversus idololatras, sicut promittit Deus: Glorificantes me glorificabo.

DE TERTIO.

Deus iussit peti et expectari etiam corporalia praemia. Sed modum, quo daturus est Deus, nos praescribere illi non debemus. Item gradus servandi sunt, ut gloriam Dei pluris faciamus quam nostram utilitatem. Quare non debemus a Deo deficere, etiamsi differt, aut non videtur dare praemia. Non enim in totum removenda est mentio praemiorum, sed gradus servandi sunt, quia constat mandatum Dei esse, ut praemia ab ipso petamus.

conscientia agnoscens peccata sua, non audet sperare et petere bona a Deo. Ideo necesse est scire, quod propter Christum Pater sit propitius et ignoscat nobis, quod propter ipsum certo exaudiamur, et quod ipse sit pontifex, qui interpellat pro nobis, et nostras preces offert Patri. Haec fides in Christum in oratione addenda est, ita et hic videmus, legem non fieri sine Christo.

Gratiarum actio est externa professio, quae etiam oritur ex primo praecepto. Nam supra praecipitur, ut mens agnoscat Deum esse Creatorem, Salvatorem, et autorem omnium bonorum, Ac propterea deberi ei gratitudinem et obedientiam. Hic igitur praecipitur externa praedicatio beneficiorum Dei, ut alios invitemus, ut et ipsi sentiant Deum esse Creatorem, Salvatorem, autorem beneficiorum, et incipiant eum timere, et illi credere.

Glorificatio est, vitare blasphemias et scandala, et referre omnes actiones eo, ut exempla nostra praeluceant aliis, invitent eos ad pietatem, ornent gloriam Dei, reddant gratiorem et commendatiorem doctrinam, sicut praecipit Christus: Luceat lux vestra coram hominibus.

PECCATA CONTRA SECUNDUM PRAECEPTUM.

I. Omittere invocationem Dei, et gratiarum actionem.

II. Invocare idola et sanctos.

III. Falsam doctrinam spargere aut defendere, et veram depravare, calumniari, obscurare.

IIII. Impios cultus instituere aut retinere.

V. Non confiteri veram doctrinam, cum interrogamur.

VI. Non docere Evangelium, ubi postulat vocatio.

VII. Non consulere ambigenti Ecclesiae, nec diiudicare ambiguas controversias, si postulet vocatio. Nam hoc est praecipuum Episcoporum officium, curare, ut diiudicentur ambiguae controversiae. Nam dubitatio est horribilis carnificina conscientiarum, et parit desperationem et impietatem.

VIII. Pugnant cum hoc praecepto et blasphemiae, maledicta adversus Deum, quae sunt varia, ut sermones Epicurei, quibus impii et securi superbe derident Deum, et iudicant Evangelium esse fabulosum. Item maledicta Hypocritarum adversus verum Deum, et veros cultus Dei, ut impiae voces Pharaonis et Rabsacis, et Pharisaeorum adversus Christum et Apostolos. Item maledicta desperantium. Denique omnes sermones, quibus concutitur fides in infirmis, et deformatur gloria Dei, sicut hoc tempore homines calliidi saepe alienant animos hominum ab Evangelio calumniis artificiose excogitatis.

IX. Violant secundum praeceptum et periuria, primum quia utuntur nomine Dei, cum peccent, praetextu nominis divini conantur tegere peccata. Secundo, cum Deus ibi tanquam testis invocetur, periurus laedit gloriam Dei, quia quantum in ipso est, Deum facit falsum testem. Tertio periurus clare profitetur se contemnere iudicium Dei, quia iurans imprecatur sibi iram Dei, si fallat. Cum igitur fefellit sciens ac volens, palam contempsit iudicium Dei. Hunc manifestum contemptum et Deus punit, et debent leges magistratuum punire. Cum igitur tam multa peccata sint in periurio, consuetudo saepe iurandi sine magna causa et gravi deliberatione valde periculosa est.

X. Violant hoc praeceptum et execrationes, quia in his invocatur Deus contra suum mandatum, ut noceat aliis. Hic abusus quam sit flagitiosus, clarius perspici potest, si consideretur quam multa peccata sint in execratione. Primum est irreverentia. Nam nuncupare Deum, est invocare Deum. Est autem Deus serio et magna reverentia invocandus. Ita et nomen appellandum est serio et reverenter. Plerumque effundit execrationes vanitas quaedam aut iracundia sine reverentia. Secundo, Deus non est invocandus, ut noceat illis, quos praecepit a nobis amari. Iam in illis vulgaribus execrationibus invocatur Deus contra mandatum suum, ut noceat illis, quibus debemus bona precari. Prophetae interdum execrantur ac maledicunt, sed tantum blasphemis et obstinatis, qui non desinunt persequi veram doctrinam et veros cultus. In re tanta fit serio imprecatio seu execratio. Et magnitudo huius exempli admoneat nos, ne transferamus execrationes ad vulgaria negotia, quia in usu temerario recidunt in caput eius, qui abutitur nomine Dei.

XI. Violant secundum praeceptum et mores mali omnium, quorum exempla nocent aliis. Item deformant Evangelium.

An liceat iurare Christianis?

Respondeo: Concessum est Christianis iusiurandum. Id primum exempla ostendunt, quia Paulus aliquoties iurat, ut 2. Corinth. 1. Ego testem Deum invoco adversus animam meam etc. Et Hebr. 6. Omnis controversiae finis est iusiurandum. Et Lex inquit: In nomine Dei tui iurabis. Cum igitur Lex docet iurare et extant exempla, constat, quod liceat dare iusiurandum. Sed hic obiicitur dictum Christi Matth. 5. Ego autem dico vobis, non iurate omnino etc. Respondeo simplicissime: Necesse est τὸ ῥητὸν in Matthaeo non ita acerbe intelligi, ut tollat et dissipet iudicia et Respublicas, quia Evangelium manifeste approbat in aliis locis politias et iudicia, Quare tota illa concio Christi loquitur de privata cuiusque mundicie, non loquitur de politiis et negotiis vocationum. Improbat igitur iuramenta, quae sine vocatione dantur, et sine mandato magistratus. Interim non prohibet iuramento uti, quod defert magistratus, aut quo uti cogit vocatio, ut Paulus iurabat propter vocationem. Imo ex aliis scripturae locis et exemplis discamus iuramentum ἐπακτὸν, aut quod fit vocante vocatione, licitum esse. Evangelium enim non abolet politias et iudicia. Est autem iuramentum vinculum iudiciorum et politiarum. Sicut ad Hebraeos clare dicitur: Omnis controversiae finis est iusiurandum. Ergo Evangelium etiam talia iuramenta concedit. Quare iuramenta delata a iudice, vel facta propter vocationem, sunt concessa, et sunt cultus Dei, iuxta illa verba legis: In nomine Dei iurabis. Econtra, sine causa iurare, est abusio nominis Dei, quia nomen Dei invocatur sine reverentia. Hunc abusum Christus vult tollere, ideo addit, quod amplius est, a malo est, id est, ab irreverentia, videlicet, cum iuratur sine causa, sine vocatione, sine mandato. Alii respondent, Christum non prohibere simpliciter iuramenta, sed iuramenta facta non per nomen Dei, quia honos Dei non est transferendus ad creaturas. Nam in iuramento tribuitur Deo, quod sit iudex et inspector cordium. Tribuitur etiam potentia puniendi. Haec non sunt tribuenda creaturis.

Quae est comminatio addita huic praecepto?

Expressa comminatio est, scilicet, Qui vane usurpaverit nomen Dei, hunc non habebit Deus insontem, propter hoc dictum: Deus conservat in hoc mundo poenam periurii. Estque haec vox testimonium, quod Deus periuros puniat multis magnis calamitatibus, etiam cum magistratus non puniunt eos. Ideo omnes historiae plenae sunt exemplorum, quae testantur tristes exitus fuisse illorum, qui iusiurandum aut foedera violaverunt. Et sunt infinitae sententiae scriptorum de poena periurii, ut apud Tibullum:

Ah miser et si quis primo periuria caelat,
Sera tamen tacitis poena venit pedibus.

Huiusmodi sententiae sunt acceptae a patribus et comprobatae experientia. Denique sunt vox Decalogi. Cum igitur huic secundo praecepto annexa sit comminatio, sciamus semper in iuramento contineri duas res. Altera est, quod Deus citatur testis. Altera est, quod iurans imprecatur sibi poenam. Ideoque invocat Deum, ut puniat fallentem. Haec enim est sententia cuiuslibet iurisiurandi: Invoco Deum ac peto, ut, si fallo, vere me puniat. Et hac ipsa forma olim concipiebantur ἐπάραι in foederibus. Est igitur duplex peccatum in periurio, scilicet quod Dei gloria laeditur, cum citatur tanquam falsus testis, et quod periurus contemnit Deum, nec putat fore ultorem. Hanc horrendam impietatem sciamus non fore impunitam, et iuraturi toto pectore metuamus illam imprecationem, et sciamus haud dubio ratam fore, propter hoc testimonium secundi praecepti. Quare magna religione serventur iuramenta. Praeterea sciendum est Deum hic minari poenas, non solum periuris, sed etiam blasphemis, sicut exempla testantur publicas blasphemias, ut Rabsacis et similium, manifestis poenis statim punitas esse. Sic et Cherinthum balneae oppresserunt, cum ibi contumeliosos sermones diceret in Christum. Ut autem comminatio proposita est blasphemis et periuris, ita econtra intelligatur promissio proposita iis, qui ornant gloriam Dei, sicut in libro Regum dicitur: Glorificantes me glorificabo. Quare haud dubio iuvat pios, qui blasphemias prohibent, qui pios cultus defendunt, et tollunt impios cultus. Item, qui periuria puniunt, Item, qui reverenter servant Iusiurandum. Quare et Hesiodus dixit: ἀνδρὸς δ' ἐνόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων.

Debentne Magistratus punire periuria?

Pertinet ad officium magistratuum punire periuria. Et ratio in promptu est. Magistratus debet tueri omnia vincula societatis et iudiciorum, Iura-

mentum est praecipuum vinculum politici status, Ergo eius autoritas maxime defendi debet per Magistratus. Quare omnium gentium leges constituerunt supplicia in periuros. Et Lex XII. Tabularum laude dignissima est, quae falsum testem de saxo Tarpeio deiici iubebat. Porro haec ratio de Magistratu sumitur tantum a corporali necessitate, ideo alia ratio, quae sumitur a gloria Dei, addenda est. Nam Magistratus non tantum est defensor corporis, sed etiam gloriae Dei, quod ad externam disciplinam attinet. Tenendum est igitur hoc Argumentum: Magistratus est custos totius legis, quod ad externam disciplinam attinet, sicut Paulus inquit: Lex est posita iniustis, prophanis etc. Ergo debet punire delicta externa adversus omnia praecepta. Puniat igitur et periuria et alias contumelias externas nominis divini, videlicet, Epicureos sermones, atroces execrationes, et tollat idololatrias et cultus, quos intelligit esse impios. Item puniat haereticos serentes falsa et impia dogmata, postquam res a piis et doctis rite iudicata est. Hae poenae omnes sunt officia huius praecepti, et habent exemplum in lege, Levit. 24. Qui blasphemaverit nomen Domini, morte morietur.

An illicita iuramenta sint servanda?

Illicita iuramenta intelligi debent, in quibus promittitur aliquid, quod est peccatum, aut sine peccato praestari non potest. Ut si quis promitteret sciens se facturum iniustam caedem. Talia iuramenta non sunt servanda. Primum autem peccat iurans de re illicita, quia Deus non vult autoritate sui nominis fieri quod prohibuit. Deinde maius peccatum est praestare talia iuramenta, sicut Herodes simulavit se coactum iureiurando, interficere Iohannem. Hinc facile est iudicium de votis Monachorum. Irrita sunt vota, in quibus haerent impiae opiniones, quae laedunt gloriam Christi, et transferunt beneficium Christi in opera ab hominibus excogitata, videlicet, cum fingunt Monasticas ceremonias esse cultus Dei, qui mereantur remissionem peccatorum etc.

DE TERTIO PRAECEPTO.

Quid praecipit tertium praeceptum?

Observationem Sabbati, hoc est, conservationem ceremoniarum, quae sunt divinitus traditae. Sabbatum enim institutum fuit causa docendi. Ideo Lex diserte inquit: Sanctificabis diem Sabbati, id est, in res sanctas collocabis, videlicet, ad celebrandas publicas ceremonias, et audiendum verbum Dei. Haec sunt vera opera Sabbati. Item, iam diligenter considera ordinem praeceptorum primae Tabulae. Primum praeceptum concionatur de cultibus interioribus, de timore, fide et dilectione Dei. Secundum de externa testatione, scilicet, invocatione. Tertium de ceremoniis et usu ceremoniarum, scilicet, quod conservandae sint propter ministerium verbi. Oportet enim existere aliquas ceremonias, quae sunt notae et testimonium verbi Dei. Non poterat magis concinnus ordo excogitari.

Estne abrogatum praeceptum de Sabbato?

Respondeo: Genus quod in hoc praecepto continetur, non est abrogatum, quae quidem est principalis sententia huius praecepti, et continet causam finalem institutae speciei, Species vero est abrogata, hoc est, semper Deus requirit conservationem ceremoniarum, sicut eas praecipit. Prodest autem aliquos esse certos dies destinatos ceremoniis, et ministerio verbi.

Hoc genus est immutabile, et est principalis sententia huius praecepti. Sed species, videlicet, ut septimus dies observetur, abrogata est, quia Christiani sunt liberi a ceremoniis Mosaicis. Interim tamen genus, quod in hoc praeceptore quiritur, est morale. Ac propterea quod ad hoc genus attinet, Christiani tenentur hoc praecepto, quia Deus praecepit omnibus hominibus, ut suum officium singuli conferant ad conservationem publici ministerii. Ita quidam erudite dicunt: Tertium praeceptum, quod ad genus attinet, est morale et perpetuum, sed quod ad speciem attinet, id est, septimi diei observationem, est ceremoniale. Et de hac ceremonia iudicandum est, sicut de caeteris ceremoniis Iudaicis. Ergo peccant, qui contumaciter negligunt politicum ministerium et ceremonias divinitus institutas. Primum, quia nolunt uti beneficio Dei, quia Deus ibi nos erudiri et exerceri vult. Deinde, quia officium suum non conferunt ad conservationem publici ministerii. Postremo, quia exemplo suo alios abducunt a ceremoniis, et minuunt earum reverentiam. Haec peccata non sunt extenuenda, Ideo docendi sunt homines de observatione huius praecepti. Sed quoniam Evangelium non alligat nos ad diem certum, piae conscientiae erudiendae

stis, non sunt reprehendenda, modo ut ministerio publico suum honorem tribuamus.

ALIA QUAESTIO.

Quid sentiendum est de ordinationibus Ecclesiasticis?

Regula tenenda est, quae extat apud Esaiam, et a Christo repetita est: Nullum opus esse cultum Dei, quod Deus non praecipit suo verbo. Nam ne erremus de voluntate Dei, et de veris cultibus, Deus tantum illos cultus approbat, quos ipse suo verbo instituit. Sicut Christus inquit: Frustra colunt me mandatis hominum. Ac statim horrenda caligo offunditur hominum animis, cum obstrepit opinio ex consiliis humanis posse iudicari de voluntate Dei, et institui cultus. Hoc initium fuit in mundo idolorum. Hic error depellit mentes a vera consolatione, quia abducit eas a verbo Dei, et a vera doctrina fidei. Intelligunt autem impii cultum Dei opus, quod meretur condonationem peccatorum, et alia praemia divinitus, Sed vera definitio est, cultum Dei esse opus mandatum a Deo et Deo placens, cuius finis est proximus, ut Deus per id opus honore adficiatur.

Teneatur ergo regula, Ceremonias institutas ab hominibus non esse cultus Dei, nec mereri condonationem peccatorum, nec alia praemia.

Porro ut constat fugienda esse idola, ita tales traditiones abiiciendae sunt, quae proponuntur cum hac superstitione, quod sint necessariae, aut quod ritus illi sint cultus, aut placent Deum, aut mereantur praemia, ut messis ubertatem, victoriam, depulsionem morborum, aut similia. Constat enim ita crevisse idola, dum animi ignari doctrinae de fide, confugientes ad ceremonias, quaesiverunt auxilium in variis periculis. Ideo alius testatus se petere bonas tempestates, invocavit Iovem tonantem. Alius testatus se petere victoriam, invocavit Martem bellatorem. Deinde positae sunt statuae, additi certi ritus, per quos putabant Deum placari. Sic initio crevit idolomania, quam postea imitatus est orbis in invocatione sanctorum, et aliis superstitiosis traditionibus, Monastica, ieiuniis, missarum applicatione. De his superstitionibus omnibus servanda est regula: Fugite idololatriam. Caeterum sunt aliqui utiles ritus, quorum finis est politicus, videlicet, quia efficiunt ordinem seu εὐταξίαν in hac communi vita. Est enim intellectus ordinis homini proprius, et actiones humanae in hac varietate aetatum et negotiorum, postulant discrimina quaedam temporum, locorum, et exercitiorum, ut in scholis distinctae sunt classes, sunt gradus lectionum. Ita ut sciat populus, quando conveniendum sit ad audiendas conciones, et ad usum Sacramentorum, aliqui dies nominatim his rebus destinati sunt. Hic ordo potest sine superstitione servari. Et quia servit ministerio Evangelii, non est violandus. Et qui violant, ita ut vel propter odium Evangelii absint a concionibus, vel alios abducant suo exemplo, graviter peccant. Nec iuventuti concedenda est licentia negligendi publicas ceremonias. Nam consuetudo illa adfert prophanitatem Ethnicam. Ideo disciplinae causa sunt cogendi, ut intersint publicis ceremoniis, et audiant conciones, ut his primis exercitiis adsuefiant ad reverentiam verae religionis, et ad discendum Evangelium.

De Obligatione.

Alii sapientiores, ut Philosophi, quanquam dicebant Deum, unam quandam mentem esse, tamen diversissimas opiniones habuerunt, ut Stoici alligarunt Deum causis secundis, ac dixerunt eum, non aliter agere posse, quam sicut cient causae secundae. Imo et voluntati humanae libertatem ademerunt, ac senserunt eam necessario sequi impulsiones obiectorum, et Deum una ciere illas impulsiones ad scelera. Haec turpis opinio de Deo, non minus impia et execranda est quam Epicurea. Alii eruditi alia finxerunt. Euripides dubitat an Deus sit coelum ipsum, an vero aliud quiddam.

Haec ideo recensui, ut tam horribili errorum varietate considerata, expavescamus, et quaeramus in Ecclesia patefactionem divinam, et Deo reverenter gratias agamus, qui se patefecit, et verum Deum qui prodiens ex arcana sede sua, certis se testimoniis revelavit, et dedit promissiones suas, supra et extra conspectum creaturarum positas, agnoscamus, eumque in omni invocatione intuentes, discernamus ab omnibus aliis de Deo imaginationibus, et pectora nostra constanter muniamus contra illa spectra prophanarum imaginationum, et Deum oremus, ut sua luce nos regat, ne a veritate aberremus.

Alterum discrimen est verae et falsae invocationis de voluntate Dei. Errant Ethnici, Iudaei, et Mahometistae, et alii hostes Evangelii de voluntate Dei, quia nec possunt statuere, nec statuunt se exaudiri, cum promissiones ignorent et aspernentur, et accedere ad Deum sine Mediatore volunt. At filius Dei expresse dicit: Nemo potest venire ad Patrem, nisi per Filium. Cum igitur mens sine promissione, et sine agnitione Mediatoris non possit ad Deum accedere, manifestum est invocationem aliarum gentium, quae promissiones et Mediatorem contemnunt, damnatam esse.

Hanc admonitionem de discrimine verae invocationis et falsae, necessariam esse non dubium est, quam ut familiarem nobis faciamus, quoties incipimus precationem et gratiarum actionem, mente intueamur Baptismum Christi, et cogitemus tunc Deum clarissime se patefecisse, nec frustra aut solius Iohannis causa eam patefactionem factam esse existimemus, sed propter universam Ecclesiam.

Nec est otiosum spectaculum illa admiranda revelatio, cuius nulla similis legitur, sed est testimonium, quo manifeste ostendit Deus, vere sibi curae esse Ecclesiam, se adesse in Ecclesia, et velle nobis opem ferre. Mens igitur sciat hunc esse aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, qui ibi de Filio edit hanc vocem: Hic est Filius meus dilectus. Deinde Filium esse scias, hunc stantem in flumine, Spiritum sanctum vero specie columbae insidentem Filio.

Hanc patefactionem intuens, hunc Deum qui se illustri testimonio ibi ostendit, alloquaris, et tuam invocationem ab aliarum gentium invocatione seiungas, et ut te ad cogitationem huius discriminis magis exuscites, locum et tempus patefactionis illius cogites, et velut mente ingrediaris in illum hortum in ripa Iordanis, ubi inter Angelos et multos sanctos, qui una adfuerunt in Baptismo Christi, spectatorem et auditorem tantae revelationis te esse cogites, sicut vere sumus, cum fide nostram invocationem dirigimus ad Deum, qui ibi se Ecclesiae ostendit. Nec putemus solum Baptistam, spectatorem vel auditorem fuisse. Sed non dubium est, ibi magnos angelorum Deo placentium exercitus fuisse, et consentaneum est, adfuisse matrem Mariam, et multos Baptistae auditores.

Ad hanc patefactionem adiungito omnes alias in eductione ex Aegypto factas, quarum cogitatione fidem confirmes, et dirigas invocationem ad illum verum Deum, qui se ab initio in Ecclesia patefecit, et verbum et promissiones eius intuearis, et scias te non aliud numen invocare, nisi hunc verum Deum semper in Ecclesia patefactum, sapientem, veracem, iustum, castum, misericordem, sicut Prophetae et Apostoli nos ad has patefactiones deducunt, ut Act. 3. inquit Petrus, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob glorificavit Filium suum Iesum, quem vos tradidistis.

Sicut autem in invocatione cogitari hoc discrimen veri Dei a commenticiis numinibus necesse

est, ita in Symbolo, cum dicitur, Credo in unum Deum fides intueatur illas patefactiones, ut sciat quem Deum alloquamur, et cogitet testimonia omnium temporum ac promissiones, ut statuat vere nos recipi et exaudiri.

Primum autem sciendum est, nomen Dei usitate essentiam divinam significare. Primum igitur definitio Dei constituenda est, et de unitate essentiae dicendum.

Cum autem humanae rationi in creatione indita sit notitia Dei firma, quae cum post depravationem naturae non prorsus extincta sit, manet reliqua scintilla eius notitiae in toto genere humano, quia vult Deus in nobis manere legem, quae monstret ipsum, et deinde nostram inobedientiam horribilem arguat, accuset, et damnet. Ideo passim leguntur descriptiones Dei etiam extra Ecclesiam scriptae, apud alios aliae, quae prudenter diiudicandae sunt. Nam Stoica longius recedit a veritate, quae etiamsi dicit, Deum esse mentem aeternam tamen infundi eam in mundi corpora, eamque causis secundis sic alligatam esse, ut nec possit aliter movere, quam cient causae secundae.

Platonica, etsi est insufficiens, tamen eas proprietates continet, quae utcunque luce naturali de Deo sine patefactione divina cerni possunt. Est autem haec descriptio: Deus est mens aeterna, causa boni in natura. Tantum ratio naturalis utcunque videt, Deum esse substantiam, sine mole corporea, intelligentem, sapientem, veritatis amantem, iustam, beneficam, castam, vindicem atrocium scelerum, causam ordinis et bonarum rerum omnium in hac universitate mundi. Haec multi legentes in Philosophis, cogitant nullum discrimen esse inter Philosophiam et doctrinam Ecclesiae. Admonendi sunt igitur imperitiores, Platonicam descriptionem mutilam esse. Integram vero de Deo doctrinam, non in Philosophia, sed in Ecclesia Dei quaerendam esse, ubi se certis et illustribus testimoniis patefecit, ac suam doctrinam per scripta Prophetarum et Apostolorum servari et propagari voluit.

Sit igitur haec definitio Dei integra, sicut a Deo monstrata et per Prophetas, Christum et Apostolos propagata est. Deus est essentia spiritualis, intelligens, aeterna, verax, bona, iusta, misericors, casta, liberrima, immensae potentiae et sapientiae, Pater aeternus, qui Filium imaginem suam ab aeterno genuit, et Filius, imago Patris coaeterna, et Spiritus sanctus procedens a Patre et Filio, sicut patefacta est divinitas certo verbo, quod Pater aeternus, cum Filio et Spiritu sancto condiderit et servet coelum et terram, et omnes creaturas, et in genere humano condito ad imaginem suam et ad certam obedientiam, elegerit sibi Ecclesiam, ut ab ea haec una et vera divinitas patefacta certis testimoniis, et per verbum traditum Prophetis et Apostolis, agnoscatur, invocetur, et colatur, iuxta verbum illud divinitus traditum, et damnentur omnes cultus, qui fingunt alios Deos, et haec vera divinitas in tota aeternitate celebretur. Hanc definitionem sciamus non esse natam in ratione humana, ut Platonica definitio, sed doctrinam esse in Ecclesia revelatam inde usque ab initio.

Quod enim Deus sit essentia spiritualis, adfirmat Christus, inquiens, Iohan. 4. Deus est spiritus, id est, non est elementis, cut coeli natura conflatus. Sed alia quaedam essentia, quam in hac misera caligine mortalis vitae nondum intelligere possumus. Sed cernemus in illa aeterna consuetudine coram, ad quam nunc Ecclesia vocatur et colligitur.

Deinde quod sit Essentia intelligens, testantur haec verba in creatione, Dixit Deus. Dicere autem est substantiae intelligentis, non brutae.

Quod sit omnipotens, confirmatur ex eadem narratione in Genesi, In principio creavit Deus coelum et terram. Cum enim omnia condiderit, et quidem sine priore materia, sed dicendo, declaravit ipsa creatione suam omnipotentiam. Et Esai. 44. Ego sum Dominus conditor omnium, extendens coelos solus, stabiliens terram, et nemo alius est, qui mecum id faciat.

Et voluntatem Dei liberrimam esse, et libere condidisse omnes creaturas, nec alligatam esse causis secundis, testatur dictum Psalmi, Omnia quaecunque voluit, fecit.

Deinde esse bonum et beneficum, veracem, iustum, misericordem, castum, probatur ex ipsa lege, quam non solum illustribus testimoniis in monte Sina terribili voce proposuit, sed inde usque ab initio generis humani saepe repetivit, et omnibus temporibus testatus est et testabitur exemplis horribilibus, displicere sibi facta contraria legi. Et in Psalmo dicitur, Non Deus volens iniquitatem tu es.

Sic et narratio de creatione hominis docet, qualis sit Deus. Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Cum igitur mentibus humanis insitae sint leges praecipientes veritatem, iustitiam, beneficentiam, castitatem, necesse est in Deo tale iudicium et tales virtutes esse. Etsi autem hae notitiae in depravatione humanae naturae obscuriores sunt, et adsensio languidior est, tamen haec lux non est prorsus extincta, ut doceat nos, et esse Deum, et qualis sit, et sit testimonium de iudicio Dei.

Sequitur in definitione recitatio personarum. Haec vero est arcana et miranda sapientia longe extra et supra conspectum omnium creaturarum posita. Quare necesse est meminisse testimonia, in quibus se Deus ita patefecit, ut sciamus vere tres esse personas, quae sint tamen ὁμοούσιαι.

Ut autem haec recitatio intelligatur, necesse est primum enarrari haec vocabula οὐσίαν et personam. οὐσία est essentia quae vere est, non ut accidens in alio haerens. Persona vero est substantia, individua, intelligens, incommunicabilis. Initio autem Graeca Ecclesia nominavit ὑπόστασιν, quod Latini personam dixerunt, postea etiam, ne a Latinis dissentire viderentur, adpellarunt πρόσωπον, etiamsi hoc nomen Graecis aliud in veteri lingua significat.

Nunc igitur ad Symboli doctrinam redeo, et hunc primum articulum recito. Una est Essentia divina, aeterna, Pater aeternus, Filius λόγος qui est imago aeterni Patris, et Spiritus sanctus. Ac diligenter considerandae sunt hae regulae: Quoties divinitas intra sese describitur, discernuntur personae. Sed cum opponitur creaturis, mentio fit unius aeternae Essentiae. Altera regula est, Creatio et alia opera divina extra divinitatem, sunt communia opera trium personarum.

Cum autem de omnibus articulis aliqua perspicua testimonia semper meminisse necesse sit, addam hic unum atque alterum testimonium, de hoc primo articulo, videlicet, de unitate Essentiae divinae.

Deut. 6. Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est. Hoc dictum de essentia loquitur, et excludit a divinitate omnes creaturas, et omnia quae non sunt hic Deus, patefactus in hoc populo Israel. Non enim otiose posita est particula, Iehova, sed discernit hunc Deum in Israel patefactum, ab aliarum gentium commenticiis numinibus, quasi dicat, Hic Iehova patefactus in hoc populo Israel, et non alii, quos fingunt Aegyptii, Chaldaei, et alii. Ita monet, ut quaeramus Deum, qui se patefecit in vera Ecclesia.

Deut. 32. Videte, quod ego sim solus, et non est alius Deus praeter me.

Extant passim in Prophetis multa similia testimonia, quae prodest meminisse et saepe cogitare ut bene confirmentur mentes contra Ethnicos furores, et contra Valentinianos et Manichaeos, qui horribiliter lacerarunt veram doctrinam de unitate divinae Essentiae.

DE TRIBUS PERSONIS DIVINITATIS.

Sequitur altera pars Articuli de divinitate, quod videlicet tres sint personae ὁμοούσιαι, aeternus Pater, Filius λόγος, qui est εἰκὼν aeterni Patris, et Spiritus sanctus. Hic primum tenenda est definitio personae supra recitata, nec concedendum petulantibus ingeniis, ut praestigiis cavillationum corrumpant doctrinam, quam Deus ipse de sese patefecit.

Quaerat autem aliquis, quare tres personas divinitatis, et non plures aut pauciores esse adseveramus? Hic respondendum est, quia Deus sic se patefecit, cui necesse est adsentiri.

Describamus igitur personas, et testimonia certa colligamus, ut in invocatione Deum recte alloquamur. Pater aeternus, est persona divina, aeterna, non nata aliunde, sed cogitatione sui gignens ab aeterno Filium coaeternum, imaginem suam. Ac manifeste discernit se Pater a Filio in hac voce, cum dixit: Hic est Filius meus dilectus, quo delector. Haec verba perspicue Patrem et Filium discernunt, quae quidem saepe cogitanda sunt, et ut nos confirment de hoc articulo, et ut nos commonefaciant de ingenti amore aeterni Patris erga suum Filium. Magna enim vis est horum verborum. Delector hoc Filio. Diligi a se hunc Filium adfirmat, et se eo laetari, et in eo acquiescere. Hoc autem ideo praedicat, ut cum docuerit, Ecclesiam propter hunc Filium recipi, fides fiat ardentior, cogitans vero et ingenti amore nos quoque diligi a Deo, quia Filii haereditas sumus, et propter eum recipimur, et eum audimus et celebramus.

Sunt autem eadem verba de Filio, quae edidit Pater in Baptismo Filii, apud Esaiam cap. 42. Ecce servus meus, sustentabo eum, electus meus, quo delectatur anima mea.

Difficile est homini statuere de providentia, curae esse Deo homines, sed hoc multo difficilius est, statuere, nos vere diligi, sicut pius pater vero amore erga liberos suos adficitur. Id autem statuere discamus, hac dulcissima voce confirmati, cum inquit Pater: Hic est Filius meus dilectus, quo delector. Ideo enim impressit Deus στοργὰς parentibus, ut sint commonefactiones de amore Dei, primum erga Filium, deinde erga genus humanum, quod condidit propter Filium. Cum igitur manifeste adfirmet vere a se diligi Filium, et non dubitandum sit amorem hunc verum, ardentem, et non frigidam cogitationem esse, ut Stoici imaginantur, statuamus nos quoque vere et ardenter diligi, cum Filium agnoscimus et celebramus. Haec verissima

sunt, etiamsi humanae mentis caligo et tristis dubitatio tantam magnitudinem amoris non satis agnoscit. Sed quoties de nostra στοργῇ erga liberos cogitamus, veniat in mentem hunc nostrum adfectum, vestigium Dei esse nobis impressum, ut nos de amore aeterni Patris erga Filium, et erga nos commonefaciat.

Nunc recito Filii descriptionem. Filius est Persona divina, genita a Patre cogitante ac intuente se ipsum, imago coaeterni Patris et ὁμοούσιος, non ex nihilo condita, ut Ariani dixerunt, sed genita ex Patris substantia, qui Filius postea fuit intercessor, inter Deum et Adam ac Hevam lapsos, et constitutus Mediator, adsumsit humanam naturam, ut pro nobis victima fieret, et crucifixus ac resuscitatus colligit aeternam Ecclesiam, et cum Patre in aeternum regnat.

TESTIMONIA.

Etsi passim sparsa sunt testimonia in scripturis Propheticis et Apostolicis de Filii divinitate, tamen in primo capite Iohannis, narratio maxime illustris Ecclesiae proposita est ad hunc articulum confirmandum, ubi etiam nomen Filio tribuitur, λόγος.

Vocatur autem λόγος, quia cogitatione nascitur, et est imago Patris. Nam Pater sese intuens et cogitans, gignit imaginem sui, communicata ipsi essentia.

Quanquam autem in creaturis, nihil huius generationis prorsus simile est, tamen cum Deus utatur adpellationibus humanis, aliquo modo umbras tantae rei in nobis vult considerari. Mens humana cogitans aliquid, pingit rei cogitatae imaginem, ut quoties cogitamus homines notos absentes, mente quasi deliniamus corporum figuras. Talis imago in nobis dicitur λόγος, verbum mentis, ut usitate in scholis dici solet. Sed nos non transfundimus substantiam in imagines illas in mente formatas, quae re ipsa sunt in nobis subitae et evanescentes actiones. At Pater aeternus gignit imaginem communicata ipsi essentia. Ex hac qualicunque collatione humanae mentis et cogitationis nostrae discamus adpellationes aliquo modo enarrare.

Est et alia usitata adpellatio, videlicet, imago aeterni Patris. Sic Paulus nominat Filium in Epistola ad Colossenses. Ut autem in nobis cogitatio format imagines, ita cum Filius cogitando gignatur, sitque λόγος, simul intelligi potest, esse eum Patris imaginem, quia et in humana mente λόγος est imago rei cogitatae.

Cum hac adpellatione congruunt duae, quae recensentur in Epistola ad Ebraeos, χαρακτὴρ substantiae Patris, et ἀπαύγασμα gloriae. Haec vocabula prorsus idem significant, quod imago. Et qualis sit imago, ostendit descriptio, quae additur. Imago substantiae, id est, substantialis, non evanescens, sed persona. Idem ἀπαύγασμα gloriae, id est, fulgor claritatis, hoc est, substantiae paternae. Ac similitudine illa fulgoris transmissi, significatur Filium esse ex substantia Patris, non ex nihilo, seu ἐκ μὴ ὄντων, ut Ariani dicebant. Sed, ut dicit Nicenum Symbolum, φῶς ἐκ φωτός. Postquam adpellationes utcunque declaratae sunt, nunc testimonia recitentur, quae ostendunt in Christo duas naturas esse, et divinam, videlicet λόγον, personam distinctam a Patre, et tamen ὁμοούσιον πατρὶ, et natura Deum esse.

Etsi autem passim sparsa sunt testimonia in Propheticis et Apostolicis scriptis, tamen Iohannes ideo suam narrationem ab hoc articulo exorsus est, ut in illustri loco extaret testimonium, ac omnibus in conspectu esset. Et quia in ipso exordio ponitur, magis adparet, non obiter aut casu ei haec verba excidisse, sed consulto institutam esse hanc narrationem, ut Ecclesia certa esset de Filii substantia. Estque consentaneum eo tempore oppositam esse hanc confessionem Hebioni et Cerintho, qui negabant in Messia naturam divinam esse. Semper igitur in omni invocatione sit in conspectu haec narratio.

In principio erat λόγος, videlicet, haec persona, quae est Filius Dei, et nominatur λόγος. Cum autem dicitur fuisse in principio, intelligitur fuisse ante creationem rerum, quasi dicat, In illo principio, de quo loquitur Moises, inquiens, In principio creavit Deus coelum et terram. Tunc inquam erat λόγος. Non igitur creatus est. Deinde addit, Et λόγος erat apud Deum. Hic personae discernuntur, quia dicit λόγον fuisse apud Patrem, testatur ergo duas esse personas.

Et Deus erat λόγος, Posito discrimine personarum, hic expresse iam adseverat, Filium esse natura Deum. Et ut huius propositionis membra recte ordinentur, necesse est consuetudinem Graeci sermonis nosse. Articulus additur subiecto. Ideo sciendum est, hic λόγον revera subiectum propositionis esse, et θεὸν praedicatum, sicut convenit in docendo et in definiendo vocabulum communius ponere loco praedicati, ut dicimus, Malva est herba, ita hic sciamus praecipuam vocem definitionis positam esse in praedicato, monstrantem, quae sit

Filii substantia. λόγος est Deus, quasi dicat, non est imago evanescens, ut humana cogitatio, nec est imago creata, sed revera et substantialiter est Deus. Caeterum nomen Deus, ut communius, convenit etiam Patri et Spiritui sancto. Haec quae de membris propositionis hoc modo ordinandis dixi, adferunt lucem narrationi, et necessario sic ordinari membra cogit Articulus.

Nec locus est hic cavillationi de vocabulo Dei: Nomen Dei interdum significare non natura Deum, sed gubernatorem ornatum divinis donis. Ad hanc cavillationem respondendum est, non faciendam esse ambiguitatem vocabuli in ea narratione, ubi Dei essentia describitur, et non dicitur de hominum gradibus. Ac textus ipse hanc refutat hanc calumniam, cum declarat, quid nominet Deum, scilicet creatorem. Haec est proprietas soli divinae essentiae conveniens. Dicit autem de Filio, Omnia per ipsum facta sunt. Ergo Filius cum sit creator cum Patre, est ὁμοούσιος πατρὶ, et natura Deus, non metaphorice, non nuncupatione tantum.

Hoc testimonium, quod in exordio narrationis apud Iohannem recitatur, semper in conspectu sit, et in huius articuli defensione, caeteris argumentis praeponatur, quia hoc loco non obiter de duabus naturis in Messia, aut obscure, aut ambigue dicitur, sed narratio hanc ipsam ob causam instituta est, ut de tanto articulo Ecclesia certam et expressam sententiam teneret.

Deinde adiungantur alia testimonia, quae passim in scripturis Propheticis et Apostolicis sparsa sunt, ut Iohan. 1. statim repetitur insigne testimonium, In mundo erat, et mundus per ipsum factus est. Constat autem mundum non esse conditum per humanam naturam Christi. Ergo necesse est in Christo nato ex virgine Maria, et esse et manere alteram naturam conditricem cum Patre.

Ac ut adpareat perpetuum consensum esse huius tantae revelationis, saepe haec ipsa sententia repetita est, videlicet, per Filium omnes creaturas conditas esse, quia haec proprietas clarissime testatur, Filium omnipotentem esse, et natura Deum. Coloss. 1. Omnia per ipsum, et in ipsum condita sunt, et ipse est ante omnia, et omnia consistunt per ipsum. Et Ebrae. 1. Per Filium, quem posuit haeredem omnium, per quem et secula fecit, qui est fulgor claritatis et effigies substantiae eius, ferens omnia verbo potentiae suae. Haec dicta manifeste testantur, esse et manere in Christo divinam naturam conditricem cum Patre. His testimoniis addat pius lector pleraque collecta in aliis scriptis.

Adiuvatur autem Ecclesia in hoc articulo perspicua confessione veterum, qui proximi fuerunt Apostolis, et eorum discipulos audierant. Extat enim in Eusebio libro 7. confessio Gregorii Neocaesariensis scripta, cum Antiochiam contra Samosatenum accersitus esset, Unus Deus, Pater Verbi viventis, sapientiae subsistentis, et imaginis suae, integer integrae genitor, Pater Filii unigeniti. Unus Dominus, solus ex solo, imago Patris, verbum efficax, filius sempiternus ex sempiterno. Unus Spiritus sanctus ex Deo substantiam habens, qui per Filium apparuit, sanctificans, per quem Deus super omnia et in omnibus cognoscitur.

Etsi autem non propter humanam autoritatem, de re tanta, de Dei essentia statui potest, sed fides verbo Dei, quod per Prophetas et Apostolos traditum est, nititur, tamen confessiones primae Ecclesiae, sunt tanquam narrationes historicae, testantes quid senserint Apostoli. Imo Deus semper vult aliquos testes esse verae sententiae in Ecclesia. Ideo talia dicta primae et incorruptae antiquitatis a probatis doctoribus accepta, non sunt negligenda. Nam et commonefaciunt nos de sententia Prophetarum et Apostolorum, ut in ipso verbo Dei quaerantur firma testimonia, et confirmant nos sua confessione, cum intelligimus eos nativam sententiam Prophetici et Apostolici sermonis retinuisse, et adfirmare eam ab Apostolis acceptam esse.

Sunt et apud Irenaeum perspicua testimonia, qui audivit Polycarpum auditorem Iohannis, et multo ante Nicenam Synodum vixit, tempore imperatoris Severi, et deinde in Syrmio, regnante Maximino, admodum senex, propter confessionem Evangelii, supplicio adfectus est. Extant autem haec verba in libro tertio Irenaei, cap. 2. Ostenso manifeste quod in principio λόγος existens apud Deum, per quem omnia facta sunt, qui et semper aderat humano generi, hunc novissimis temporibus secundum praefinitum tempus a Patre, unitum suo plasmati, passibilem hominem factum misit.

Et extat longa epistola Alexandri Episcopi Alexandrini, qui ante Nicenam Synodum refutavit Arium, adseverans λόγον esse natura Filium Dei, et repetens sententiam in Synodo Antiochena editam contra Samosatenum. In ea epistola verba haec sunt: Et secundum hoc credimus, Filium semper quoque existere cum Patre, ἀπαύγασμα enim est etc.

Deinde testimonium universae Synodi Nicenae sit in conspectu, quam secuti Athanasius, Basilius et alii multi constantissime defendunt tres esse personas divinitatis, sicut inquit Epiphanius contra Sabellianos, ἐνυπόστατος ὁ πατὴρ, ἐνυπόστατος ὁ υἱὸς, ἐνυπόστατον τὸ ἅγιον πνεῦμα.

Et nominatim Synodos Nicena damnavit Arii

dicta, qui contendit, Filium, λόγον, ex nihilo conditum esse, ἐξ οὐκ ὄντων, item fuisse aliquando Patrem, cum nondum esset Filius, ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν.

Extat Basilii brevis concio, cui titulus est de Fide. Extat et enarratio in exordium Iohannis, ubi perspicue adseverationes sunt huius sententiae, quam recitavi.

Haec ideo recito, ut vetera testimonia non negligantur, quae pios confirmare possunt. Nam ut ante dixi, etsi fides et invocatio nituntur verbo Dei per Prophetas et Apostolos tradito, tamen confirmantur bonae mentes, cum audiunt veteris et purioris Ecclesiae testimonia, quae adfirmat hanc ipsam doctrinam ab Apostolis acceptam esse, et eorum auditores testari hanc sententiam ab Apostolis sine ulla ambiguitate traditam esse.

Cum autem iam dictum sit, Filium non ex nihilo conditum esse, sed revera de substantia Patris natum, sicut ait Symbolum, Deum de Deo, Lumen de Lumine, paucis hic etiam de hac propositione dicam, non ut inanis contentio moveatur, sed ut Filius Dei rectius agnoscatur, scilicet, an recte dicatur, Essentia generat, item, Essentia generatur. Non dubium est, sequentes propositiones veras esse, Pater generat, Filius nascitur seu natus est. Nam hic cogitatio successionis, qualis est in tempore, excludenda est.

Sed cum recentiores reiiciunt hanc propositionem, Essentia generatur, offundunt imaginationem quasi alia quaedam res nascatur, et essentia communicetur non nata. Haec imaginatio procul ex mentibus eiicienda est, et sciendum, cum Filius nascitur, vere eum de essentia Patris nasci, et ita nasci essentiam, quae Filius est, ut hoc ipsum dictum vult, Deus de Deo, Lumen de Lumine.

Hac vera sententia considerata, facile est iudicium de illis quaestionibus recentiorum, ubi quaerunt, an in Filio differant realiter essentia, et relatio. Et an relatio generetur, si essentia non generatur. Verum est enim, essentiam et relationem in qualibet persona non differre realiter, nec esse duas res essentiam filii et relationem, sed revera Filium esse genitam essentiam, non aliam quampiam rem genitam.

Haec vera sunt, et pios qui dextre haec accipiunt, utiliter erudiunt, ut agnoscant Filium Dei vere esse genitam a Patre essentiam, non duas res esse, nec tantum relationem natam esse. Basilius inquit, Si Filius non esset natus, duae illae personae essent duo ἀδελφά. Ut autem vere sit Filius, necesse est de substantia Patris natum esse. Et plura apud Graecos congruentia huic nostrae enarrationi dicta sunt, quae ex ipsis fontibus petenda sunt.

Postquam autem haec fundamenta recte percepta sunt, considerandum est argumentum gravissimum, quod videlicet tota Scriptura veteris et novi Testamenti adfirmat invocandum et adorandum esse Filium Dei Messiam, et iubet ab eo petere auxilium in omnibus periculis, et vitam aeternam, et acquiescere fiducia ipsius, tanquam exaudientis et opem ferentis. Hoc est autem tribuere ei infinitam potentiam, quod ubique adsit, corda inspiciat, exaudiat, quod det iustitiam et vitam aeternam. Necesse est igitur in Messia divinam naturam esse.

Perspicua sunt autem testimonia in novo Testamento.

Iohan. 10. Ego vitam aeternam do eis, et nemo rapiet eas ex manu mea.

Iohan. 5. Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Quae ille facit, et Filius similiter facit.

Item, Sicut Pater exuscitat mortuos, et vivificat, sic et Filius quos vult, vivificat.

Iohan. 14. Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Hic aperte testatur se exaudire petentes, et largiri sese ea quae petimus, quorum utrumque proprium est divinae et immensae naturae.

Iohan. 15. Sine me nihil potestis facere. Haec sententia testatur Christum adesse, protegere, iuvare, gubernare invocantes, quae sunt Dei propria.

Matth. 18. Ubicunque sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Adesse ubique, exaudire et opitulari ubique, propria sunt divinae naturae.

Iohan. 20. Christus suo halitu dat Spiritum sanctum, quod etiam solius divinae naturae proprium est.

Iohan. 10. Ego pono animam meam, et rursus sumam eam.

Iohan. 6. Ego suscitabo eum in novissimo die.

Iohan. 8. Priusquam Abraham natus est, ego sum. Hic testatur se fuisse, antequam adsumeret humanam naturam.

Iohan. 17. Glorifica me Pater ea gloria, quam habui apud te, antequam esset mundus.

Coloss. 1. Omnia per ipsum et in ipsum con-

dita sunt, et omnia per eum consistunt. Est ergo in Christo natura divina conditrix rerum. Ideo postea in capite 2. inquit, In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, quasi dicat, In aliis habitat Deus spiritu suo, novam lucem et novos motus accendens, sed in Christo habitat non solum spiritu, sed etiam ita, ut personali unione humanae naturae divina unita sit. Nam σωματικῶς significat substantialiter seu personaliter, quia ut nunc personam dicimus, ita veteres Graeci σώματα dixerunt.

Ad Ebrae. 1. Quem posuit haeredem omnium, per quem et secula fecit, qui est fulgor gloriae, et effigies substantiae eius, sustentans omnia.

Act. 7. Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Haec petitio tribuit Christo, quod morientium animas custodiat, et rursus coniungat animas et corpora.

1. Thess. 3. Ipse Deus et pater noster, et Dominus noster Iesus Christus dirigat viam nostram.

EX VETERI TESTAMENTO.

Esai. 7. Vocabitur nomen eius Emanuel, id est, nobiscum Deus. Sed firmius est quod sequitur cap. 9. vocabitur nomen eius, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater vitae perpetuae.

Etsi enim hic Iudaei depravant vocabulum El, et dicunt ἀμφίβολον esse, tamen sequens proprietas addita refutat Iudaicam cavillationem. Cum enim Messias dicitur esse Pater vitae perpetuae, manifeste tribuitur ei omnipotentia. Nam dare vitam aeternam, solius est divinae naturae. Congruit autem hoc dictum cum eo quod supra citavimus, Ego vitam aeternam do eis.

Ierem. 33. Et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Iehova iustificator noster. Hic tribuit Messiae nomen, quod in illa lingua proprium est Dei, et adfirmat Messiam esse iustificatorem. Tribuit igitur ei gloriam, quae soli Deo competit. Nam iustificare, tollere peccatum, et reddere iustitiam, et vitam aeternam, nemo potest nisi Deus. Eludere autem Iudaei hac cavillatione tam illustre testimonium conantur, dicunt hoc nomen non esse substantiae adpellationem aut descriptionem, sed descriptionem esse beneficii aliunde dati per eum, ut apud Ezechielem in postremo versu dicitur: Hoc erit nomen civitatis, Dominus ibidem. Ita hanc adpellationem aiunt tribui Christo, tanquam alieni beneficii significatori, Deus est iustificator noster.

Sed haec Sophistica elusio refutari potest collatione aliorum testimoniorum, quae supra citavimus, quae cum perspicue adfirment, Filium esse natura Deum, et de substantia Patris genitum, recte intelligitur et hoc loco, tribui ei adpellationem et potentiam Dei, propterea quod sit natura Deus.

Deinde verbum, vocabunt, in hoc loco Ieremiae, significat, invocabunt, id est, ipsum Messiam perpetuo Ecclesia invocabit hoc modo, nominans ipsum, Iehova et iustificatorem. Ipsa autem invocatio testatur eum esse natura Deum. Et cum in ipsa invocatione ad ipsum Messiam directa, nominetur ipse Iehova et iustificator, non dubium est eum natura Deum esse.

Micheae 5. Egressus eius ab initio ante dies mundi. Etsi brevitas talium testimoniorum auget obscuritatem, tamen quia eaedem sententiae saepe repetuntur, collatio singula dicta illustrat et confirmat. Dicit hunc Messiam egressum esse ante dies mundi, quo dicto aut hoc significatur Filium natum esse ante conditionem mundi, aut egressum, id est, promissum, ostensum in verbo, et conspectum esse Patribus in ipso mundi principio, et deinceps, et inde usque ab initio fuisse deprecatorem pro Ecclesia, et defensorem Ecclesiae. Luctatur cum Iacob, et Iacob de ipso dicit, Benedicat vobis Deus, et Angelus qui eripuit me ex cunctis malis. Hoc praeconium est Messiae, qui liberat a veris et aeternis malis, a peccatis, ab ira Dei, a morte. Haec beneficia maiora sunt, quam custodia corporum, quae fit per Angelos creatos. Loquitur et cum Moise, Iosua, et Daniele.

Ideo et 1. Corinth. 10. expresse adfirmat Paulus, Christum adfuisse populo in deserto. Bibebant ex spirituali comitante eos petra. Petra autem erat Christus.

Psal. 45. Et concupiscet Rex decorem tuum, quia ipse est Deus tuus. Hic adfirmat Messiam, quem venturum esse praedicat, Deum esse, et nomine utitur Adonai, quod proprie Deo tribui solet. Est autem dulcis consolatio in hoc dicto. Cum Psalmus laudat Ecclesiae pulcritudinem, quae non solum iudicio mundi propter crucem squalida videtur, sed etiam revera adhuc languida est, et multas sordes, ignorantiam, et vitiosos adfectus multos circumfert. Interea tamen sciamus nos, quanquam imbecilles, propter immensam misericordiam, tamen huic nostro Regi placere, et praedicari pulcritudinem, id est, aliquas esse virtutes Deo placentes, veram invocationem, propagationem verae doctrinae, et reliquam inchoatam obedientiam.

Psal. 72 dicit Messiam sempiternum esse, et semper adorandum. Fuit nomen eius semper, Ante solem manet nomen eius, et benedicentur in eo

Christus autem mortuus est,
Non est igitur natura Deus.

Ad hanc obiectionem necesse est respondere, quia absurdissimum videtur dicere Deum lacerari et mori. Est igitur haec responsio.

Etsi haec tota causa longe extra omnium creaturarum conspectum posita est, tamen cum testimonia divinitus tradita in scriptis Propheticis et Apostolicis, adfirment duas naturas esse in Messia natu ex virgine Maria, ut scriptum est, Et verbum caro factum est, regula haec tenenda est.

Quaedam propria uni naturae, non impediunt, quo minus adsit altera natura. Propria autem sunt haec humanae naturae, lacerari membra, pati, mori. Ideo Petrus diserte dixit, Christum passum esse carne. Et Irenaeus pie et perspicue inquit, pagina 185. Christum crucifixum et mortuum esse, requiescente verbo, ut crucifigi et mori posset. Id est, divina natura non est quidem lacerata aut mortua, sed fuit obediens Patri, quievit, cessit irae aeterni Patris adversus peccatum generis humani, non est usa sua potentia, non exeruit suas vires. Interea lacereta et mortua est natura, quae potuit lacerari et mori.

Congruit autem hoc Irenaei dictum ad verba quae sunt in epistola ad Philippenses cap. 2. Qui cum esset in forma Dei, id est, sapientia et potentia aequalis Patri, non rapuit aequalitatem Dei. Id est, cum missus esset, ut obediret Deo in passione, non fecit contra vocationem, non est usus sua potentia contra vocationem, Sed se ipsum exinanivit, id est, non exeruit suam potentiam, et humiliavit se, formam servi accipiens, id est, induens cum humana natura mortalitatem, habitu inventus ut homo, id est, adfectibus et destructione, gaudio, pavoribus, tristitia, dolore, morte. Etsi igitur ita unitae sunt duae naturae, imago aeterni Patris, et humana natura ex virgine adsumta, ut sint una persona, tamen naturae retinuerunt suas proprietates.

Et conspicitur in hac admiranda passione, magnitudo irae Dei adversus peccatum. Non est leve dictum, Christum crucifixum esse, requiescente verbo, id est, cum ira aeterni Patris effunderetur in Filium, quievit λόγος, et fuit obediens, non exeruit vires contra Patrem, et interea lacerata est humana natura. Haec humilitas, qua se Filius ita subiecit Patri, nunc non potest comprehendi, sed in vita aeterna considerabitur. Nunc vero hoc cogitemus, veram et ingentem iram Dei esse adversus peccatum, cum filius Dei hoc modo factus sit supplex et subiectus.

Secunda obiectio, Pater maior me est. Hoc dictum Ariani praecipue opposuerunt adversus veritatem, cum vera et simplex sit expositio. Alia dicta loquuntur de essentia, alia de officio Christi missi ad docendum et ad hanc obedientiam, ut pro nobis victima fieret. In primo cap. apud Iohannem dicitur: Et Deus erat verbum, omnia per ipsum facta sunt. Hoc testimonium perspicue adseverat Filium esse Deum, et potentia aequalem Patri.

At alibi saepe dicitur de officio doctoris missi ad hanc obedientiam a Patre, ut hic, Pater maior me est. Pater glorifica me. Haec ideo sic dicuntur, quia Christus tunc, cum in illa visibili et mortali consuetudine Evangelium traderet, voluit se agnosci, non ut fanaticum doctorem, aut qui sine Patre, et sine missione aeterni decreti doceret, Sed, ut constaret promissionem gratiae et vitae aeternae, certo decretum esse immotum divinitatis, adfirmat se personam esse a Patre missam, nec adferre se doctrinam a se uno excogitatam, sed tanquam Legatum, vocem aeterni Patris arcanam exponere.

Itaque in narratione de autoritate doctrinae et de ministerio, fit collatio Mittentis et Missi. Mittens est fons doctrinae, et adprobator et defensor. Hunc vocat maiorem Misso, scilicet, ministro, qui a Mittente accepit doctrinam, et nunc est infirmus, subit crucem, nec exerit suam potentiam, sed expectat testimonia, quibus Pater ornabit hunc Filium, et doctrinam confirmabit, scilicet, Resurrectionem, et deinde missionem Spiritus sancti, et omnia miracula universae Ecclesiae, et extremum iudicium.

Haec enarratio dicti, Pater maior me est, vera, nativa et perspicua est, quia certe necesse est discerni dicta quae loquuntur de essentia, a dictis quae loquuntur de officio, ut hic, Deus quare dereliquisti me, hic certe non loquitur de essentia, sed de se tanquam victima sustinente tunc poenas nostrorum peccatorum, ubi lamentatur in sese iram aeterni Patris effundi, sicut et in Esaia dicitur: Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Hae descriptiones aliquo modo significant, quanta sit ira Dei, vera et horrenda adversus peccata, et quales dolores sustinuerit Filius Dei, scilicet, non tantum corporis lacerationes, sed etiam illos ingentes dolores, qui sunt sensus irae Dei. Harum maximarum rerum cogitatione pii expavescant, et magnitudinem earum pia meditatione considerent, quod si facient, facilius discernent dicta dissimilia, et agnoscent aliquo modo utrumque magnitudinem irae Dei adversus peccata, et magnitudinem misericordiae in filio Dei, qui etsi natura Deus est, tamen ibi sese abiecit, ac prostratus coram aeterno Patre pro universa Ecclesia sua fuit intercessor.

In talibus narrationibus officia describuntur, de quibus saepe commonefieri Ecclesiam necesse est.

Alibi testimonia extant, quae proprie tantum de essentia loquuntur, ut Iohan. 1. Et verbum erat Deus. Etsi autem testimonia de essentia etiam passim sparsa sunt, tamen saepius de beneficiis dicitur, quod eorum consideratione accendi fidem in mentibus piorum, et vitam aeternam oporteat.

Norunt et diaboli ac fatentur Filium Dei natura Deum esse, eumque horribiliter timent, sed doctrinam de beneficiis summo cum dolore cogitant, quia sciunt ea non pertinere ad se, sed ad genus humanum, sicut in ipso Symbolo scriptum est: Qui propter nos homines, et propter nostram salutem etc. Et Rom. 5. dicitur: Sicut per unius delictum condemnatio in omnes homines, sic per unius iustitiam ad omnes homines iustificatio vitae pervenit.

Ut igitur in conspectu piis sit doctrina de ira Dei, ac deinde consolatio quae accendit iustitiam et vitam aeternam in nobis, ideo in Prophetis et concionibus Filii Dei et Apostolorum saepius repetita est doctrina de miranda humilitate Messiae et passione, et de intercessione, et deinde resurrectione, regno et praesentia Messiae in Ecclesia.

Tenenda est et haec distinctio. Alia dicta loquuntur de arcana gubernatione cum patre, aut de regnante Messia, ut, Quae pater facit, haec et Filius similiter facit. Alia de humiliato seu patiente Christo, ut cum vocatur maledictum. Ita enim decretum fuit in illo arcano consilio Dei, ut Filius certo tempore fieret victima, quo tempore praestitit hanc mirandam obedientiam aeterno Patri, ut quiesceret et sineret in se effundi horrendam iram, nostra peccata punientem. De huius certi temporis obedientia loquuntur multa dicta, quae ad suum tempus accommodata, non pugnant cum aliis dictis, quae loquuntur de potentia regnantis Filii Dei.

Plura autem de humana natura in Christo dicenda erunt, cum veniemus ad sequentes Symboli articulos. Nunc pauca addam, quae proprie ad doctrinam de divina natura Christi pertinent.

Interdum Filius Dei vocatur sapientia Patris, scilicet, quia cum eo deliberat Pater, ut Genes. 1. significatur: Dixit pater, Faciamus hominem ad imaginem nostram. Item, quia Filius ostendit Patrem, et arcanum consilium eius de redemtione protulit, sicut ipse inquit: Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui Filius volet revelare. Caeterum hoc sciendum est, Pater suo intellectu intelligit, sua voluntate vult, sua sapientia est sapiens. Ita et Filius suo intellectu intelligit, sua voluntate vult, sua sapientia est sapiens. Sic et Spiritus sanctus suo intellectu intelligit, sua voluntate vult, et sua sapientia est sapiens.

Etsi autem phrasis illa, qua Filius nominatur sapientia Patris, scriptoribus usitata est, tamen non sic locuti sunt Prophetae et Apostoli, sed Iohannes nominat Filium λόγον, Paulus εἰκόνα. Hae appellationes sunt illustriores.

Removenda est etiam temporis et morae cogitatio a generatione divina. Gregorius hac phrasi utitur: Filius semper natus est. Alii: Filius semper nascitur. Sed removeantur hae temporis et nostrorum motuum progressiones, ab huius generationis consideratione, et simul tamen sciamus Filium Dei esse integrum, nec disputemus haec curiosius.

DE SPIRITU SANCTO.

Tertia persona vocatur Spiritus sanctus. Est autem persona procedens a Patre et Filio, quae mittitur, ut in omnibus electis Angelis et hominibus accendat lucem ad veram agnitionem Dei, et veros motus congruentes voluntati Dei timorem, fidem dilectionem, invocationem, fortitudinem in confessione, tolerantiam, castitatem, et alias virtutes, et vitam aeternam.

Mittitur autem ad homines ita, ut adsit ministerio Evangelii, et sit efficax per ministerium Evangelii, sicut 2. Cor. 3. Evangelium nominatur ministerium Spiritus. Eatenus patefactus est Spiritus sanctus, et haec de eo discenda sunt.

Sed cum haec doctrina de tribus personis aliena sit a iudiciis humanae rationis sine divina revelatione, multi omnibus aetatibus contenderunt tantum unicam esse personam divinam, ut Samosatenus, Photinus, Macedonius, Mahometistae, Dicta vero de Filio, et de Spiritu sancto corruperunt, et negarunt appellatione Spiritus sancti significari personam seu ὑπόστασιν, sed tantum motus creatos in hominum cordibus, sicut in Psalmo dicitur: Terribili et potenti, qui aufert spiritum principum. Et manifestum est vocabulum spiritus, saepe de ventis, saepe de aliis motibus creatis usurpari.

Sed adversus has cavillationes muniendae sunt piae mentes et quaerenda est veritas, quod cum facimus, necesse est prudenter discernere dicta,

quae loquuntur de ventis, aut aliis motibus creatis, ab aliis dictis, quae necesse est intelligi de persona quae singulari specie patefacta est, cum in baptismo Christi discernitur a Patre et a Filio.

Etsi igitur doctrina, quae adfirmat tres esse personas divinas, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, valde mira est, et procul supra et extra conspectum omnium creaturarum posita, tamen necesse est de Deo sentire, sicut se patefecit, iuxta illud mandatum aeternum et immotum, Hunc audite. Huic mandato obtemperemus, et ut Paulus inquit, Redigamus mentes in captivitatem, in obsequium Deo, et testimonia perspicua amplectamur, nec sinamus ea sophisticis cavillationibus eludi.

PRIMUM TESTIMONIUM.

Sit igitur primum hoc testimonium, ostendens Spiritum sanctum esse personam, scilicet, patefactio divinitatis in baptismo Christi, ubi clare discernuntur tres personae. Pater inquit: Hic est Filius meus dilectus. Est igitur alia persona Patris, alia Filii. Descendit autem Spiritus sanctus in specie columbae. Iam si Spiritus sanctus esset agitatio in animis creata, non adpareret peculiari specie corporali, quia non esset extra mentes, quarum esset accidens. Aut si esset ipse Pater, non discerneret Spiritum sanctum. Inquit autem: Super quem videris Spiritum sanctum.

SECUNDUM TESTIMONIUM.

Secundo apparet peculiari specie Spiritus sanctus in Pentecoste, quem constat clare discerni a Patre et Filio, quia antea Filius dixit: Rogabo patrem et alium paracletum dabit vobis. Haec igitur persona, quae in Pentecoste conspicitur et effunditur in Apostolos, est persona distincta a Patre et a Filio. Et cum sanctificet et vivificet, est omnipotens.

Similis patefactio in domo Cornelii facta est. Nec praetereamus otiosi has patefactiones, sicut maxima pars generis humani eas praeterit, quod horrendum et deplorandum est. Sed sciamus hanc ipsam ob causam factas esse, quia Deus se Ecclesiae suae ostendere, et nobis certa testimonia tradere voluit. Horum cogitatione igitur nos confirmemus.

TERTIUM TESTIMONIUM.

Tertium testimonium, est ipsa baptismi forma, quam Filius Dei ipse tradidit, iubens baptisari homines in nomen, id est, in agnitionem et invocationem Dei Patris, Filii, et Spiritus sancti. Id enim significat haec admiranda professio: Ego baptizo te, id est, abluo te, ut testificer tibi remitti peccata, et te recipi ab hoc vero Deo patre Domini nostri Iesu Christi, qui te recipit propter Filium, exhibitum generi humano, ut sit Mediator, et effundit in te Spiritum sanctum, qui inchoat in nostris mentibus novam et aeternam iustitiam et vitam. Cum igitur forma baptismi discernat Spiritum sanctum, a Patre et Filio, necesse est personam esse. Nam si esset Pater aut Filius, agitans motu creato, non esset tertio loco recitatus Spiritus, tanquam a Patre aut Filio discernendus, si videlicet esset ipse Pater agitans aut agitatio creata in homine.

Deinde cum haec ipsa forma baptismi doceat pariter invocare Spiritum sanctum, cum Patre et Filio, pariter ei tribuit omnipotentiam. Haec tria testimonia si pie considerentur, firma et illustria esse intelligemus. Nam certe patefactiones, in baptismo Christi, et in Pentecoste, non sunt frustra factae. Nunc addemus et dicta certa Christi, in quibus proprie de hac persona concionatur, quae nominatur Spiritus sanctus.

QUARTUM TESTIMONIUM.

Iohan. 14. Rogabo Patrem, et alium paracletum dabit vobis. Cum ait, Alium, discernit a Patre et Filio, hunc paracletum. Non igitur significat Spiritus ipsum Patrem agitantem, non enim esset Alius, nec significat agitationem creatam, non enim mitteretur a Filio, si esset Pater agitans, aut tantum agitatio creata a Patre. At Christus inquit Ioh. 15. Cum venerit paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritus veritatis, qui a Patre procedit. A se, inquit mitti Spiritum sanctum. Non est igitur aut Pater agitans, aut tantum agitatio creata a Patre.

Sunt et haec personae propria. Alius paracletus, qui docebit vos, et quae audiet, loquetur. Si spiritus significaret hoc loco agitationem creatam, esset doctrina, non doctor alius, a Patre et Filio audiens et accipiens.

QUINTUM TESTIMONIUM.

In priore Epistola ad Corinth. cap. 12. clare discernit Paulus Spiritum sanctum a donis creatis,

autorem ab effectibus. Omnia, inquiens, haec efficit unus et idem Spiritus.

Eodem modo loquitur Rom. 8. Ipse Spiritus dat testimonium spiritui nostro. Discernit hic quoque moventem et consolantem Spiritum sanctum, a consolatione qua cor erigitur et vivificatur.

Eodem modo loquitur 2. Corinth. 3. Transformamur tanquam a Domini spiritu, ubi etiam effectorem discernit a luce in nobis creata, ut ibi inquit, id est, a clara et firma notitia, id est, firma fide, et invocatione.

Et quod Spiritus sanctus fuerit, antequam carnem induit Filius Dei, perspicue testatur Petrus, cum inquit de Prophetis: Spiritus Christi in eis, praedicens Christum passurum esse. Hic diserte nominatur Christi Spiritus, qui fuit in Prophetis. Eodem igitur Spiritu sancto et Patres et Apostoli, et pii deinceps, hoc est, omnes electi omnibus temporibus sanctificati sunt.

Idque multo illustrius docent verba Esaie 59. Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus, spiritus meus qui est in te, et verba mea quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, dicit Dominus, deinceps et in sempiternum. Eundem Spiritum ait esse in Esaia, et in tota Ecclesia, ad omnem aeternitatem. Non igitur tantum post resurrectionem Christi effusus est in pectora invocantium Deum Spiritus sanctus, sed semper eodem Spiritu sancto, omnes electi sanctificati sunt.

Ac valde prodest hoc Esaiae dictum meminisse, quia dulcissimam doctrinam et consolationem continet. Adfirmat semper mansuram esse Ecclesiam Dei, et quasi digito monstrans, docet quid sit Ecclesia, et ubi sit, videlicet ubi sonat vox Evangelii, et testatur ea voce Spiritum sanctum efficacem esse.

Et Zach. 7. Verba quae misit Dominus exercituum in Spiritu sancto, per manum prophetarum. Hoc dicto utrumque adfirmatur, et gubernatos esse Spiritu sancto Prophetas, et verbum Dei non esse inanem sonitum, sed adesse Spiritum sanctum, et ea voce movere et accendere mentes, quod firmissime statuendum est piis, ut sciant vere Deum efficacem esse per vocem suae doctrinae et promissionis in mentibus credentium, et accendere in eis lucem, iustitiam, et vitam aeternam, ut 2. Cor. 3. vocatur Evangelium ministerium spiritus. Et Rom. 1. Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Constat igitur ex Esaiae et Zachariae dictis, quae recensui, doctrinam de Spiritu sancto in veteri Ecclesia Patrum et Prophetarum notam fuisse. Ideo etiam veteres hoc dictum in Genesi intellexerunt de Spiritu sancto, qui est persona divinitatis: Et Spiritus Domini ferebatur super aquas. Sic enim inquit Basilius: Sive, quod verius est, et enarratum est ab iis, qui ante nos fuerunt, loquitur de Spiritu sancto Dei.

Etsi autem novi Testamenti dicta magis perspicua sunt, tamen congruunt cum eis testimonia Prophetarum.

In dicto Ioël significata est persona divina, cum inquit Deus: Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, quia enim ait: MEO, testatur non mitti creatam agitationem, sed aliquid essentiae Dei. Nam cum ait, de meo Spiritu, nominat non aliud creatum extra se, sed spiritum, qui in ipso patre est. Utrumque igitur significatum est, quia ait de meo Spiritu, adfirmat hunc Spiritum non esse quiddam creatum. Et quia procedere eum inquit seu effundi, discernit eum a Patre. Est igitur persona, quia quidquid aliquid est Dei, quod tamen non est ipse Pater, est revera persona.

Illustrissimo Principi ac Domino, D. Georgio Friderico Marchioni Brandeburgensi, Stetini et Pomeraniae etc. Duci etc. Burggravio Noribergensi, Domino suo clementissimo. S. D.

Anni sunt sedecim, cum in Academia Witebergensi enarrationem Symboli Niceni inchoavit reverendus vir Caspar Cruciger sacrae Theologiae Doctor, de consilio et sententia Philippi Melanthonis, eo quod post scripta Prophetica et Apostolica et Symbolum Apostolorum, huius Niceni Symboli praecipua fuit autoritas in Ecclesia. Conditum id est, magno consensu a Patribus trecentis octodecim in urbe Bithyniae Nicea temporibus Constantini Magni contra Arrium Alexandrinae Ecclesiae Presbyterum serentem impium dogma astute fucatum contra divinitatem Christi. Etsi autem primis huius incendii initiis mature occurrit Constantinus Imperator, non tamen restinctum est tunc, Sed aliquanto post latius in Asia vagatum est. Nunquam enim quiescit Diabolus, sed cum sit homicida et mendax et ardeat horribili odio Dei, ut Deum contumelia afficiat et Ecclesiam devastet, oppugnat hanc utroque modo, saevitia atque crudelitate Tyrannicae persequutionis, et falsis dogmatibus, impellendo levia ingenia ad spargendas impias opiniones, harumque contagia propagando, et incitando Tyrannos, ut suppliciorum ac caedium immanitate delere Ecclesiam conentur. Vix liberata Ecclesia a tyrannide Diocletiani, Maximini et Licinii, acquieverat aliquantulum, cum incendium hoc Arrius in Aegypto excitavit dolore repulsae ut scribunt, quod Episcopatum Alexandrinum ambienti, praelatus esset Alexander: Re ipsa idem sensit, quod ante docuerant Ebion Samosatenus et similes alii. Sed cum non auderet expresse negare λόγον esse ὑφιστάμενον, astute alium excogitavit fucum. Dixit non esse coaeternum patri λόγον, sed summam creaturam conditam ex nihilo. Id enim formulae, quibus usus est, ostendunt, ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν λόγος, hoc est, erat pater, cum nondum esset λόγος. Item, dixit esse λόγον ἐξ οὐκ ὄντων, ex non existentibus, id est, ex nihilo. Negavit ergo re ipsa Filium esse de essentia Patris et omnipotentem.

Huius interpretationis et sententiae cum haberet suffragatores aliquot Episcopos, et privata dissensio in manifestam erumperet Ecclesiarum distractionem, Constantinus edicto publico convocavit omnes Episcopos in urbem Bithyniae Niceam, ut ibi in Synodo de confessione singulorum et testimoniis, quibus confessio niteretur, dirempta discordia constitueretur una et consentiens forma doctrinae de Filio Dei.

Convenerunt ergo trecenti et octodecim Episcopi, inter quos multi fuerunt mutilati aliqua corporis parte sub Diocletiano Maximino et Licinio, viri pietate, doctrina, sanctitate vitae, constantia confessionis, aetate, insignes et admirandi, qui cum opposuissent Arrio caput primum Iohannis καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος: Et dicta de omnipotentia Filii ut Iohannis primo, Omnia per ipsum facta sunt. Item, Ego vitam aeternam do eis. Sine me nihil potestis facere. Et Matth. 18. Ubicunque sunt duo aut tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum. Colossen. 1. Omnia per ipsum et in ipsum condita sunt, et omnia per eum consistunt. Ebrae. 1. Per quem et secula fecit, qui est fulgor gloriae et effigies substantiae eius sustentans omnia. Denique dicta de invocatione, quae testantur Filium omnipotentem esse, Adesse ubique, introspicere ac pernoscere abditos atque occultos animorum sensus, exaudire atque opitulari ubique, quae divinae naturae sunt propria, His ergo cum Arrii commentum evidenter refutassent, concluserunt ex collectis testimoniis scripturae contra Arrium Filium patri ὁμοούσιον esse, Et ut doctrinae summa brevibus comprehensa semper in conspectu esset, summam totius repetiverunt Symbolo composito, quod a loco Synodi Nicenum vocatum, et plurimorum qui convenerant suffragiis et subscriptione comprobatum est. Repetitae sunt ab iisdem et confirmatae denuo condemnationes impii dogmatis Samosateni, et reiecti sunt atque explosi errores Novati et Miletii, qui negarunt lapsos si redirent ad poenitentiam recipiendos esse. Hae fuerunt occasiones ut conderetur Symbolum Nicenum. Etsi autem non modo non sopita sunt certamina his remediis, sed paulo post vehementius exarserunt, et horribili Arrianorum in Orthodoxos saevitia sunt exasperata, adeo ut in ea distractione Ecclesiarum, paulo post quod dubitatio odium doctrinae parit, maxima multitudo pertaesa obscurarum disputationum et rixarum inter Christianos, avidissime receperit dogma Mahometi prophanis ingeniis plausibile, cuius contagia pene unius anni spatio maximam Asiae et Aphricae partem infecerunt doctrina et armis propagata, profuit tamen confessio Niceae edita et illis temporibus et toti posteritati. Retinuit enim et usurpavit eam Ecclesia omnium temporum tanquam evidens illustre et firmum testimonium ad refutandos et compescendos eos, qui Samosateni et Arrii furores renovarunt. In nostris vero Ecclesiis decantantur publice, ut haec ipsa repetitio testetur de consensu nostro in vera doctrina cum vera Ecclesia Catholica Dei, et ut animi de huius doctrinae certitudine confirmentur. Etsi enim Synodi non possunt

condere novos articulos fidei, quod doctrina de essentia et voluntate Dei longe supra et extra conspectum omnis creaturae rationalis posita, neque ab Angelis ullis neque ab hominibus mentis acie deprehendi potest sed a filio Dei prolata est ex sinu arcano patris, enarrata ab Angelis, patefacta generi humano certo verbo et illustribus testimoniis, tamen testes sunt seu testificationes de aliquo veteri dogmate, quod se ostendunt ac profitentur amplecti, quia non sit novum aut commenticium, sed vera autoritate et perspicuis atque illustribus testimoniis expressum in scriptis Propheticis et Apostolicis, quae testimonia colligentes et conferentes inter se, ex his veram esse demonstrant sententiam quam profitentur, et propter ea testimonia Synodorum decretis assentiuntur alii. Ne quidem Apostoli ipsi tradiderunt ullum dogma, quod non cum patefacta antea in Prophetarum scriptis doctrina consentiret, et citatur dignum memoria ex Petro Apostolo dictum a Clemente Alexandrino sexto *στρωματέων*, quod affirmat Apostolos nihil sine scripturae testimoniis dicere: *ὁ Πέτρος ἐν τῷ κηρύγματι περὶ τῶν ἀποστόλων λέγων φησίν· ἡμεῖς δὲ ἀναπτύξαντες τὰς βίβλους, ὃς εἴχομεν τῶν προφητῶν, ἃ μὲν διὰ παραβολῶν, ἃ δὲ δι' αἰνιγμάτων, ἃ δὲ αὐθεντικῶς καὶ αὐτολεξεὶ τὸν χριστὸν Ἰησοῦν ὀνομαζόντων, εὕρομεν καὶ τὴν παρουσίαν αὐτοῦ καὶ τὸν θάνατον καὶ τὸν σταυρὸν, καὶ τὰς λοιπὰς κολάσεις πάσας ὅσας ἐποίησαν αὐτῷ οἱ Ἰουδαῖοι καὶ τὴν ἔγερσιν καὶ τὴν εἰς οὐρανοὺς ἀνάληψιν πρὸ τοῦ Ἱεροσόλυμα κτισθῆναι, καθὼς ἐγέγραπτο. ταῦτα οὖν ἐπιγνόντες ἐπιστεύσαμεν τῷ θεῷ διὰ τῶν γεγραμμένων εἰς αὐτόν.* Et paulo post: *ἔγνωμεν γὰρ ὅτι ὁ θεὸς αὐτὰ προσέταξεν ὄντως καὶ οὐδὲν ἄτερ γραφῆν λέγομεν.* Nititur fides verbo patefacto. Synodi traditas in eodem sententias repetunt et profitentur, et ostendunt ex collatione plurium testimoniorum, quomodo dicta Prophetica et Apostolica intelligenda sint, et adiuvantur iis testimoniis, quae ab Apostolis manasse ex veris certisque monumentis constat.

Cum autem Symboli Niceni, et Apostolici dicta brevia sint, adiunxit semper Ecclesia longiorem explicationem, et repetivit, cum opus fuit, enarrationem collectis testimoniis, quae ostenderent, unde sumpta sit doctrina in eo proposita, et ut fides se figat ac fundet non in humanis sententiis, sed in perspicuo verbo Dei. Ita in Academia Vitebergensi repetivit enarrationem Symboli Niceni, ut dixi, primum Doctor Caspar Cruciger contra Servetum Campanum et similes fanaticos, quorum Servetus per Hispaniam, Galliam, Germanicam et Italiam Samosatenicum virus tunc renovabat, propter quod cum turbare Ecclesias et inficere teneras mentes non desineret multoties admonitus et manifeste convictus, iure ad rogum condemnatus, poenas supplicio corporis luit. Postea cum inchoatam explicationem immatura mors Crucigeri abripuisset, partem eius magnam pertexuit Philippus Melanthon, quam opposuit calumniis et mendaciis illorum, a quibus eum post mutationem quam Germaniae funestum bellum anni quadragesimi sexti attulit, iniustissime praegravatum et acerbissime traductum esse meminimus, contra quos clamores cum posteritati, si qua futura est, dictura esse testimonium scripta eius, quae nulla est unquam abolitura vetustas, non dubitemus, non attrectabimus illa vulnera amplius. Extat autem editio utraque et in manibus Doctorum versatur.

Sed cum, ut fit rebus motis et turbatis, annis sequentibus crescente petulantia ingeniorum et licentia ab aliis alia commoverentur certamina. Alibi Stancarus reprehendens usitatam Ecclesiae doctrinam de modo loquendi in communicatione Idiomatum, et de Mediatore filio Dei disputaret, Eum tantum Mediatorem esse secundum humanam naturam: Alibi Osiander convelleret doctrinam nostrarum Ecclesiarum de imputatione iustitiae Christi novo commento de iustitia essentiali: Alibi Stenckfeldius pravius quam antea et vehementius urgeret fanatica sua deliria de Enthusiasmis contra verbi sonantis et ministerii dignitatem atque autoritatem, deque humana natura Christi absorpta in divinitatem. Serperet etiam furor Anabaptisticus. His ergo causis impulsus Philippus, ut has recens motas disputationes explicaret integre ac perspicue, et revelleret quae ab autoribus ad eas confirmandas excogitabantur, totam retexuit enarrationem Symboli Niceni, in qua cum alias multas doctrinae Christianae partes, ut doctrinam de Lege, de Evangelio, de Libero arbitrio, tum vero in primis doctrinam de Deo et de Filio Dei et de iustificatione hominis coram Deo eximie illustravit, ut vix alia copiosior extet et illustrior horum declaratio, sicut plaeraque eius postrema scripta sunt nervosiora et penetrantiora caeteris.

Ut autem frui Ecclesia posset hoc quoque postremarum eius cogitationum et laborum fructu, addendam censuimus prioribus hanc quoque enarrationem, ne quid explicationis ulli parti motarum controversiarum deesset, et operam editionis hortantibus amicis libenter in me recepi, cum occupatis aliis ad eam rem non satis otii concederetur. Quia piaculum esse iudico, committere negligentia nostra, ut pereat aliquid eorum, quae ab hoc divinitus excitato et gubernato viro, quem post Lutherum nostrae Ecclesiae habuerunt summum, quae ergo ab hoc ad usum Ecclesiae scripta fuerunt, quod dexteritate tractationis, perspicuitate explicationis, facilitate orationis, rectitudine sententiarum cum Propheticis et Apostolicis scriptis et totius primae ac purioris antiquitatis testimoniis consentiente, consolationum verarum fontibus, pietatis et ardentis invocationis nervis, facile caeteros nostri seculi interpretes vincunt. Non enim gignit interpretationes novas et alienas, ut multi hoc tempore petulanter et impudenter faciunt, quos non pudet comminisci dogmata inaudita in Ecclesia et ad ea stabilienda vio-

lenter trahere ac detorquere testimonia aliorum toto coelo ab eo sensu discrepantia, sed erutam ex tota antiquitate magna cura et studio doctrinam, accurateque pensitatam atque ad normam et analogiam doctrinae Propheticae et Apostolicae exploratam colligit et explanat, et quae fuit eius moderatio ac pietas, semper sua scripta Ecclesiae iudicio subiecit.

Hanc editionem postremam princeps Illustrissime et Domine clementissime T. Celsitudini dedicare volui, cuius consilii multas habeo et gravissimas causas: Primum quod C. T. amplecti scio et profiteri toto pectore constanter exemplo patris tui principis omni virtutum genere, prudentia et pietate praestantissimi, doctrinam nostrarum Ecclesiarum comprehensam in ea confessione quae exhibita est Carolo V. Imperatori in Comitiis Augustanis anni 1530. Quam cum idem autor tunc scripserit, et postea perpetuo doctrinae consensu cum plurimis aliis, tum hoc ipso commentario fusius explicarit ac lucidius, non dubito et hunc commentarium tibi gratissimum futurum, et in lectione confessionis Augustanae atque in intelligendis scriptis Propheticis et Apostolicis ac symbolis plurimum te adiuturum esse. Deinde ut filii haeredes fiunt nominis paterni et bonorum quae patres reliquerunt, sic existimo haeredes eos esse debere amicitiarum, quas patres coluerunt. Eximie autem dilexit pater C. tuae et coluit impense utrumque Lutherum et Philippum. Honorum et nomen et scripta cupio C. T. notissima et commendatissima esse, ut patri fuerunt, quae si diligenter legerit et pie sectata fuerit C. T. conservabit ac tuebitur imo augebit eam pietatis gloriam, quam pater omnium praestantium virorum iudicio ac testimonio consequutus est et reliquit, Tertio, quod me qui sub T. C. imperio natus sum, decet non tantum testari et piam ac iustam meam de Ecclesiis patriae curam ac sollicitudinem, et perpetuum obedientiae ac fidei studium erga C. T. sed quantum in me est dare operam, ut ad piorum scriptorum lectionem assiduam ac meditationem inviteris, et ut suppeditentur Ecclesiis patriae multa pia et utilia scripta. Nullius autem commentarii magis erudiunt, quam Philippi Melanthonis, quibus hoc iure refertur acceptum, quod doctrina nostrarum Ecclesiarum in certum corpus redacta, et convenienti ordine exposita est atque comprehensa. Hoc oportet fateri omnes non prorsus caecos et furentes odiis, contra quos cum mortuo etiam non parcant aliqui, ut nominis eius et scriptorum T. C. suscipiat patrocinium ac defensionem, hac quoque dedicatione eam admonere volui, de qua ut spero et polliceor mihi optima omnia, facit et affectio erga Ecclesias C. T. egregia, et forma Ecclesiarum in patria optime constituta, et sapiens ac moderata gubernatio. Ut ergo operam hanc meam C. T. benigne atque clementer suscipiat ea qua par est animi subiectione peto, Et oro Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi crucifixi pro nobis et resuscitati, ut per et propter aeternum filium λόγον ipsius καὶ εἰκόνα ἀΐδιον colligat sibi in patria mea aeternam Ecclesiam voce et ministerio Evangelii sui, et sanctificet eam Spiritu sancto suo, praestet tranquillam ac salutarem gubernationem, custodiat ac regat et Celsitudinem tuam atque Illustrissimam coniugem et Consiliarios, et flectos animos vestros ad pia moderata et salutaria consilia. Bene et foeliciter valeat C. T. Datae Witebergae die quarta Martii, qua anno 1484. editus est in lucem Illustrissimus princeps Georgius Marchio Brandeburgensis, C. T. pater, qui et pietate Christianae et sanctae moderationis, et virtutum omnium bellicarum at Togatarum eximium fuit exemplar, huius ut vestigia sequaris praestet Spiritu suo sancto Filius Dei Dominus noster Iesus Christus.

Cel. T.

addictiss.

M. Iohannes Sturio.

EXPLICATIO SYMBOLI NICENI.

Ex Editione Witebergensi anni 1561.

DE DEO.

In vera invocatione necesse est cogitare, quid alloquaris, quid sit Deus, et quomodo se patefecerit, an te, et cur velit exaudire tuos gemitus, et quod velit discerni ab omnibus commenticiis numinibus, et ab omnibus creaturis. Quare primum omnium tenendae sunt definitiones sumtae ex testimoniis divinis, quae nos commonefaciunt, et quid sit Deus, et quomodo velit agnosci et invocari, et quo discrimine cogitandae sint personae, et seiungenda sit invocatio nostra ab Ethnica invocatione: Sit igitur haec definitio prima.

Deus est essentia spiritualis, aeterna, intelligens, alia a creaturis omnibus, verax, bona, iusta, benefica, casta, misericors, liberrima, immensae sapientiae et potentiae, irascens peccatis, Pater aeternus, qui Filium ab aeterno imaginem suam genuit, et Filius imago Patris coaeterna, et Spiritus sanctus procedens a Patre et Filio, sicut patefacta est divinitas certo verbo et testimoniis divinis, quod Pater aeternus cum Filio et Spiritu sancto condiderit coelum et terram, et omnes creaturas, et adsit omnibus creaturis, quo ad conservationem, et colligat sibi in genere humano Ecclesiam aeternam, propter Filium et per eum, et sit iudex iustorum et iniustorum.

Cum igitur invocamus Deum, cogitemus ubi et quibus testimoniis sese Deus patefecerit, ut in Baptismo Christi, et discernamus eum ab omnibus creaturis, et agnoscamus qualis sit, et discernamus personas, sicut nobis revelatae sunt.

Pater cum Filio et Spiritu sancto est conditor et conservator omnium creaturarum, et vult agnosci Filium et Spiritum sanctum. Sic autem Filium nobis patefecit, quod sit is, per quem dicit decretum de Creatione et Redemtione, et quod hic Filius constitutus sit mediator, et initio protulerit Evangelium ex sinu aeterni Patris, ostendat Patrem, et conservet ministerium Evangelii, et certo tempore assumta humana natura, sit factus redemtor, et quod propter hunc Filium velit nos exaudire, et propter eum, et per eum salvet nos, et quod ipse Filius immediate vivificet corda in consolatione per Evangelium, et sic Pater et Filius effundant Spiritum sanctum, qui immediate est laetitia, qua Deo copulamur, Sicut inquit Paulus: Accepistis non Spiritum servitutis ad timorem, sed Spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater. Item 2. ad Timoth. 1. Non dedit nobis Deus Spiritum timiditatis, sed roboris, dilectionis et castitatis. Ita discrimina personarum pie cogitemus, et suas proprietates singulis attribuamus, nec existemus otiosa vocabula esse Filium et Spiritum sanctum, ac de singularum personarum proprietatibus postea plus dicetur.

Non sic invocat Xenophon, qui etiamsi cogitat, Deum esse unicam essentiam et personam sapientem, veracem, iustam, beneficam, vindicem

scelerum, tamen non potest statuere, an et cur exaudiatur, imo dupliciter errat, et de essentia Dei, et de voluntate Dei. Hac distributione utamur docendi causa, ut melius cogitemus, quid sit idola comminisci. Etsi enim dicunt Ethnici, Iudaei et Mahometistae, se hoc nominare Deum, quod est intelligens essentia, aeterna, bona, iusta, omnipotens, conditrix mundi, tamen negant hunc esse verum Deum, qui se in Ecclesia patefecit, qui affirmat esse unam essentiam divinam, conditricem, Patrem, Filium et Spiritum sanctum. Aberrant igitur a vero Deo, qui se certis et illustribus testimoniis patefecit, et fingunt sibi aliquid esse Deum, sine patefactione divina, et alii alios furores comminiscuntur, ut Stoici cogitant Deum esse mentem infusam mundo, quae non possit aliter agere, quam sicut cient suos motus causae secundae.

Postea errant Ethnici, Iudaei, Mahometistae, et alii hostes Evangelii etiam de voluntate Dei, quia ignorant Mediatorem et promissiones, ac dubitant, an recipiantur et exaudiantur a Deo, et quanquam in rebus secundis otiosi cogitant se Deo curae esse, tamen postea in iudicio, aut doloribus, suam dubitationem confitentur, vel Epicurei fiunt, vel irascuntur Deo, ae fremunt adversus iudicium eius.

Hic igitur necesse est tenere doctrinam saepe repetitam a Filio Dei: Qui non honorat Filium, non honorat Patrem. Item, Nemo venit ad Patrem nisi per Filium. Item, Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum esse Christum. Item, Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Item, cum non nosset mundus Deum per sapientiam, placuit ei per stultam praedicationem salvos facere credentes. Qui non credit in Filium, ira Dei manet super eum.

Haec et similia dicta affirmant non recte agnosci Deum sine notitia Mediatoris et promissionum. Discernunt igitur Ecclesiam a caeteris gentibus, et in vera invocatione, singulae personae intuendae sunt, et cogitandum est, quae sint officia, et quae singularum sint proprietates, invocas simul Patrem aeternum, Filium et Spiritum sanctum, et agnoscis eos esse unam essentiam divinam, conditricem rerum, et opitulatricem, simul etiam credis Filium esse missum, ut sit propitiator, propter quem tota divinitas te recipit et exaudit, et qui est λόγος patefactor Evangelii, et revera est efficax in corde tuo cum voce Evangelii te sustentas, in qua cernis voluntatem Dei, et effundit Spiritum sanctum in cor tuum, et laetitiam et motus Deo congruentes accendit iuxta dictum: De Spiritu sancto suo dabit vobis.

Primum autem sint in conspectu testimonia, quae affirmant unam esse essentiam divinam, aeternam, immensae sapientiae, potentiae, iustitiae et bonitatis, creatricem coeli et terrae, angelorum et hominum, et aliarum rerum omnium, quae non sunt, aeternus Pater, coaeternus Filius, et coaeternus Spiritus sanctus. Ita dicitur de unitate essentiae. Deut. 6. Audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus unus est, id est, Hic Deus qui in Israël patefactus est suo verbo, et qui populum eduxit ex Aegypto, solus est Deus, et non alia commenticia numina, quae ab aliis gentibus nominantur Dii. Quare in textu scriptum est, Deus noster, id est, patefactus in Israël, hunc verum Deum agnoscito, et discernito ab omnibus aliis gentium commenticiis numinibus et Idolis, sicut mandatum est: Dominum Deum tuum adorabis, et ei soli servies.

Est autem adoratio confessio, quod illa sola essentia, quam alloqueris ut Deum, vere sit talis, ut supra in descriptione Dei dictum est, et quod exaudiat propter Filium, ac propterea ab hac sola omnipotenti essentia, sapienti et bona, mens petit auxilium, et huic agit gratias, id est, fatetur quod ab ea acceperit bona, fatetur item quod huic soli essentiae summa obedientia debeatur, et quod vere puniat contemtum.

Sciant autem iuniores appellationem יְהוָֹה propriam esse veri Dei patefacti primis patribus, et in Israël, qua initio vera Ecclesia distinxit suam invocationem ab Ethnica, sicut nos dicimus. Deus qui te patefecisti misso Filio Domino nostro Iesu Christo, crucifixo et resuscitato.

Huc iam addantur plura testimonia, ut Deut. 4. Ut scias quod Dominus est Deus, et non est alius praeter eum. Deut. 32. Videte quod ego sim solus, et non est alius praeter me. Esaiae 45. Ego sum Deus, et non est ullus praeterea, praeter me non est Deus formans lucem, et creans tenebras. Item, Non est alius Deus praeter me, Deus iustus et salvans non est praeter me.

Colligantur et de singulis attributis Deo, perspicua testimonia, ut quod sit sapiens, liber, iustus etc. ut 1. Timoth. 1. Soli sapienti Deo honos, et 1. Paralip. 28. Omnia corda scrutatur Deus. Et de libertate Psalm. 114. Omnia quaecunque voluit fecit.

Monendi sunt et hoc iuniores, cum opponitur Deus creaturis, fit mentio unitatis, quia una est

essentia creatrix, et simul tres personae sunt illa creatrix essentia, sed personae discernuntur, cum divinitas intra sese describitur, et cum de incarnatione Filii, et de missione Spiritus sancti dicitur.

Hic autem dicendum est de vocabulo personae, quod in Ecclesia aliter usurpatur, quam in veteri lingua Latina. Graeci magis perspicue locuti sunt, qui nominant *ὑφιστάμενον*, id est, subsistens, quasi dicat, non tantum imaginatione cogitandum, sed re ipsa subsistens vivum et intelligens, obscurius est, cum dicunt *ὑπόστασις*, tamen et hoc nomine multum usa est antiquitas, pro eo quod dixerunt *ὑφιστάμενον*. Postea Latinos Graeci imitati dixerunt *πρώςωπα*. Sed definitio in Ecclesiae haec traditur: Persona est subsistens vivum, individuum, intelligens, incommunicabile, non sustentatum ab alio. Harum particularum declaratio postea sequetur. Discernit autem Ecclesia *οὐσίαν* et *ὑφιστάμενον*. Intelligit enim *οὐσίαν* communem essentiam, aeternam et omnipotentem Patris, Filii et Spiritus sancti, sed *ὑφιστάμενοι* sunt subsistentes re ipsa, non tantum imaginatione distincti, Pater, Filius, et Spiritus sanctus. Hoc enim vult Ecclesiae docere, Patrem, Filium et Spiritum sanctum discerni non tantum vocabulis, sicut multa sunt vocabula Dei apud Hebraeos אֵל שַׁדַּי אֱלֹהִים sed re ipsa alium subsistentem esse Patrem, alium subsistentem esse Filium, alium subsistentem esse Spiritum sanctum, etiamsi sunt *ὁμοούσιοι*.

DE PATRE.

Pater aeternus est prima persona divinitatis, non nata nec aliunde procedens, sed quae genuit ab aeterno Filium imaginem suam, et a qua procedit Spiritus sanctus, et quae cum Filio et Spiritu sancto res alias omnes creavit et conservat.

DE FILIO.

Filius aeternus est secunda persona divinitatis, quae est substantialis et integra imago aeterni Patris *ὁμοούσιος* Patri, quam Pater sese intuens et considerans ab aeterno gignit, quae nobis quidem sic manifestatur, quod sit persona, per quam Pater dicit decretum, et totum ordinem creationis et reparationis hominum, et mittitur, ut patefaciat Evangelium, et assumat humanam naturam, et sit Mediator, Redemtor, Iustificator et Salvator.

DE SPIRITU SANCTO.

Spiritus sanctus est tertia persona divinitatis, procedens a Patre et Filio, et est substantialis amor, et laetitia, coaeterna inter Patrem et Filium, *ὁμοούσιος* Patri et Filio. Et nobis sic quidem manifestata est, quod mittatur in corda credentium, ut tales motus, amorem et laetitiam acquiescentem in Deo in eis accendat, qualis est ipse, sicut 2. Timoth. 1. expresse scriptum est: Non dedit nobis Spiritum timiditatis, sed roboris, dilectionis Dei et castificationis. In his descriptionibus semper cogitatione complectamur simul communia attributa, quae omnibus personis congruunt, omnipotens, sapiens, verax, beneficus, iustus, castus, misericors.

Sciendum et hoc est, tres esse personas, et nec plures nec pauciores, quia sic se patefecit divinitas, et in confessione Baptismi, hae tres personae nominatim commemorantur aequali honore celebrandae, de quibus et alia testimonia ex scripturis mox recitabimus. Ac de singulis dicendum est, quas habeant appellationes, et ostendendum est tres esse personas, et quod sint *ὁμοούσιοι*.

Nomina Filii: Filius aeternus nominatur imago aeterni Patris Heb. 1. Qui est fulgor claritatis et imago substantiae eius. Nominatur et Verbum Ioh. 1. In principio erat verbum. Harum duarum appellationum collatio declarat utramque, quia enim verbum nominatur, intelligimus Filium cogitatione gigni. Nam Verbum est aliquid cogitatione natum, et cum nos homines aliquid cogitamus, formamus imagines. Cumque nostris vocabulis usa sit scriptura, et nominet Filium imaginem aeterni Patris, intelligi potest, Verbum sic gigni, quia Pater sese intuens integram imaginem suam gignit, et sic scripserunt Basilius et Augustinus. Sed haec nominis interpretatio tantum hoc dicit, quod nominetur *λόγος* respectu Patris, in illa aeterna generatione. Significat autem Iohannes eum dici *λόγον* et respectu Patris, in illa aeterna generatione, et respectu creaturarum, quia sumit narrationem ex Genesi: Dixit Deus, fiat lux, et addit: omnia per hunc *λόγον* facta sunt, Item respectu prolati Evangelii: Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis. Et Iohan. 8. cum interrogant Iudaei: Tu qui est, Respondit Iesus, *τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν*, initio sum hoc quod loquor vobis. Sit igitur haec appellatio *λόγος* nobis dulcissima. Quanquam enim verum est Filium esse integram et substantialem imaginem Patris, et esse *λόγον*, quia cogitatione nascitur, tamen et ideo sciamus *λόγον* dici, quia per eum Pater dixit decretum de toto ordine creationis et reparationis hominum, et haec persona immediate mittitur,

et ad promissionis promulgationem, et ad conservationem ministerii, quia Pater non cognosceretur, nisi edito et promulgato verbo. Loquitur ergo et haec persona ad patres, conservat ministerium, et voce Evangelii dicit consolationem in singulorum credentium cordibus, et monstrat eis Patrem.

Scriptores vetusti post Apostolos, Filium saepe etiam nominant Sapientiam, sumta occasione, vel ex 1. capite 1. Epistolae ad Corinthios, vel ex Proverbiis Salomonis et Syracide, et verum est, eodem modo Filium nominari posse sapientiam, quo λόγος nominatur. Sed iuniores monendi sunt, non hoc ita accipiendum esse, quasi Pater non sit sapiens propria sapientia, sed ut personae discernantur, Sciamus Patrem esse personam intelligentem propria intellectione, et Filium esse personam intelligentem propria intellectione. Magis autem perspicuum est, cum nominatur ΛΟΓΟΣ, quomodo enim diceret Pater et gigneret λόγον, nisi ipse esset quiddam intelligens et cogitans? Cum igitur Filius nominatur sapientia Patris, intelligatur hoc vocabulum de Sapientia genita seu dicta quae est λόγος et lumen de lumine, Paulus loquitur de Sapientia et potentia patefacta in collectione Ecclesiae, antea enim dixit: Nos praedicamus Christum crucifixum, quem Iudaei iudicant esse σκάνδαλον, Graeci stultitiam, opponit igitur antithesin, imo non est impostor, Nec Evangelium est stulta fabula, sed Christus est persona, per quam Deus est efficax, colligit et salvat Ecclesiam, resuscitat mortuos, ita loquitur de potentia quae patefit in Ecclesia, non hoc vult Patrem esse imbecillem, et tantum Filii potentia potentem esse. Sic loquitur de sapientia patefacta in Ecclesia, Christus est Dei sapientia, id est, persona, per quam nobis Pater hanc arcanam sapientiam patefacit, quod hoc, modo velit nos salvare. Sic apud Esaiam nominatur filius MIRIFICUS, id est, mirabilia efficiens, colligens et servans Ecclesiam, resuscitans mortuos: CONSILIARIUS, quia Pater per eum dicit decretum de toto ordine creationis et reparationis, et postea hic Filius enarrat nobis hoc arcanum consilium de reconciliatione. In Proverbiis capite 8, et deinceps, placet mihi intelligi sapientiam ipsum Filium Dei, sed ab initio concionantem in Ecclesia, patefacientem decreta Dei, Legem et Evangelium, Sicut inquit: O filii ad vos clamo. Congruent igitur appellationes λόγος et sapientia de persona patefaciente voluntatem Dei, et explicanda sunt argumenta.

Potentia Dei est nota gentibus Rom. 1.
Christus est potentia Dei 1. Cor. 1.
Ergo Christus est notus gentibus.

Facilis est responsio: Ex puris particularibus non necesse est sequi conclusionem, quia verum est, aliquam potentiam Dei aliquo modo esse notam gentibus, scilicet essentialem potentiam, ostensam in creatione, cuius opus cernitur. Christus est alia potentia, scilicet. personalis, hoc est, est persona, per quam Deus potens est in Ecclesiae salvatione. Sic breviter responderi potest ad alterum argumentum.

Lex est sapientia Dei, et est nota gentibus.
Christus est sapientia Dei,
Ergo Christus est notus gentibus.

Respondeo: ex puris particularibus non necesse est sequi conclusionem. Etsi enim Lex est sapientia Dei, tamen non est universa sapientia Dei. Christus autem personalis sapientia est, per quam patefit Evangelium, quod est alia sapientia, non est vox Legis, ut non sequitur, Gentes norunt aliquam sapientiam Dei, videlicet numeros, Ergo norunt universam sapientiam Dei.

TESTIMONIA.

Consideratis appellationibus, et descriptionibus trium personarum, colligantur illustria et firma testimonia, in quibus Deus hanc doctrinam patefecit, necesse est enim de Dei essentia et voluntate sic sentire, sicut se Deus patefecit, ut dicitur Iohan. 1. Deum nemo vidit unquam, Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis. Et de Filio inquit Pater: Hunc audite invocationem oportet niti illustribus dictis a Deo traditis per Filium, Prophetas et Apostolos, ideo nota sint firma testimonia, tradita in scriptis Propheticis et Apostolicis. Haec in invocatione intueamur, ut verum Deum, qui se patefecit in his dictis, alloquamur, quod vero et Ecclesiae veteris confessiones recitamus, eo fit, non quod invocatio nitatur autoritate Synodorum, aut Scriptorum post Apostolos, Sed quia Deus in Ecclesia voluit esse ministerium docendi, quo vult nos deduci ad fontes, ad Prophetica et Apostolica testimonia, et ibi quasi capita doctrinae indicari, ut commonefacti agnoscamus divina testimonia. Et Fides ac Invocatio nitantur perspicuo verbo Dei, sicut scriptum est: Nisi arassetis mea vitula, non invenissetis. Et Petro dicitur: Et tu conversus confirma fratres tuos, vult Deus extare aliquorum confessionem, quibus et ipse testimonia tribuit, ut etiam hoc modo imbecilles confirmentur.

Ac ingentia certamina de hoc articulo semper fuerunt, in quibus utile est considerare, qui fuerint propugnatores, et qui fuerint hostes veritatis, vivente adhuc Iohanne Apostolo. Ebion et Cerinthus contenderunt, in Messia tantum esse humanam naturam, et Deum esse unicam personam, quae nominatur Pater. Hoc certamine Iohannes Apostolus motus, scripsit Evangelicam historiam, ac statim initio refutavit Ebionis errorem, et perpetuum testimonium nobis reliquit. Deinde renovavit idem certamen Samosatenus, qui negavit in narratione Iohannis λόγον intelligi personam seu ὑφιστάμενον. Sed Ecclesia Antiochena eum refutavit et eiecit, ac vocatus ad eam cognitionem Gregorius Neocaesariensis, qui tunc miraculis clarus erat, reliquit testimonium, quod notissimum omnibus esse debet, recitatur autem libro 7. Eusebii pag. 173. Unus Deus pater, viventis Verbi, sapientiae subsistentis et imaginis suae, integer integrae genitor, pater Filii unigeniti, unus Dominus, solus ex solo, imago Patris, verbum efficax, Filius sempiternus ex sempiterno, Unus Spiritus Sanctus ex Deo substantiam habens, qui per Filium apparuit sanctificans, per quem Deus super omnia et in omnibus cognoscitur. Deinde exortus est Arius, qui non negavit λόγον esse personam, sed negavit esse natura Deum, et contendit λόγον esse creaturam ex nihilo factam, ἐξ οὐκ ὄντων. Item fuisse aliquando Patrem, cum nondum esset Filius, ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν. Erat cum non erat, erat Pater cum non erat Filius. Itaque post longa certamina Synodus Nicena damnavit, et priores furores Samosateni et furores Arii. Et extat confessio Nicenae Synodi in Symbolo, quod inde Symbolum Nicenum appellatur. In his disputationibus illustrata sunt dicta Prophetica et Apostolica de tribus personis, et editae sunt confessiones Sanctorum, qui affirmabant se doctrinam ab Apostolorum discipulis accepisse.

Nota sint certamina Ecclesiae, et consideretur, per quos testes, et quomodo Symbola tradita sint, Irenaeus accepit doctrinam à Polycarpo, Polycarpus a Iohanne Apostolo, affirmat autem Irenaeus λόγον fuisse personam, antequam assumsit humanam naturam. Sic enim inquit capite 2. libro 3. ostenso manifeste, quod in principio λόγος fuerit apud Deum, per quem λόγον omnia facta sunt, et qui semper adfuit humano generi, hunc novissimis temporibus secundum praefinitum tempus a Patre unitum suo plasmati, passibilem hominem misit. Extat et Alexandri Epistola, qui antecessit Athanasium, qui affirmat hanc doctrinam, qua ibi refutatur Arius ab Apostolis acceptam esse.

TESTIMONIA PROPHETICA ET APOSTOLICA.

Iam adiungamus Symbolis testimonia expressa in libris Propheticis et Apostolicis, tanquam in fontibus. Iohannes descripturus naturas in Christo orditur a divina. In principio erat λόγος, sic nominat Filium Dei, qui postea assumsit humanam naturam, ut ibi inquit: Et verbum caro factum est. Primum autem de illa natura loquens, quae fuit ante incarnationem, affirmat λόγον esse aeternum, quia inquit fuisse ante creationem, et ait, omnia per ipsum facta esse, et hunc λόγον nominat Deum, inquiens: Et verbum erat Deus. Nam Graecus articulus testatur λόγον collocandum esse loco Subiecti, et Deum loco Praedicati. Nec ambiguitas est hic in appellatione Dei, narratio enim instituta est ad descriptionem de essentia divina, ideo intelligatur nomen Dei non de officiis divinis, quae gerunt homines, ut alibi dicitur: Ego dixi Dii estis, sed propriissime de aeterna, omnipotente, intelligente, bona, veraci, iusta, casta, essentia conditrice, sicut et postea Iohannes affirmat, omnia per hunc λόγον esse condita, et tamen discrimen esse inter λόγον et Patrem indicat, cum ait: Et λόγος erat apud Deum. Quod autem sit persona seu ὑφιστάμενον, clarius ostenditur ex sequentibus: ut cum ait: Et Verbum caro factum est, nam Pater non assumsit humanam naturam, quia saepissime discernuntur Christus et Pater, Christus ait, se missum esse a Patre. Item, Pater usque modo operatur, et ego operor. Et cum dicitur: Verbum caro factum est, non loquitur de voce evanescente, nec ait factam esse conversionem unius substantiae in aliam, sed duas naturas esse unitas τὸν λόγον, et naturam humanam assumtam, quia saepe dicitur de Christo, omnia per eum condita esse, non sunt autem res conditae per naturam humanam, Ergo λόγος adhuc est etiam, postquam naturam humanam assumsit, ideo dicit Iohannes: In mundo erat, et mundus per ipsum factus est. Et Coloss. 1. Omnia per ipsum et in ipsum condita sunt, et ipse est ante omnia, omnia consistunt per ipsum. Et Hebrae. 1. Novissime locutus est per Filium, quem posuit haeredem omnium, per quem et secula fecit, qui est fulgor claritatis, et character substantiae eius, ferens omnia, seu gestans omnia verbo potentiae suae per se ipsum, faciens purgationem peccatorum.

Sunt igitur duae naturae in Christo nato ex virgine, λόγος et humana natura assumta. Est igitur λόγος persona, et quidem alia a persona Patris.

Alia testimonia multa sumuntur ex proprietatibus Dei, videlicet ex omnipotentia et invocatione. Iohan. 5. Pater meus usque modo operatur et ego operor, quae ille facit et Filius similiter. Item,

Sicut Pater exuscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat. In hac concione expresse affirmat Christus, se una cum Patre creare, sustentare creaturam, servare Ecclesiam, reddere vitam mortuis, quae sine ulla dubitatione sunt solius naturae omnipotentis propria.

Iohan. 10. Ego vitam aeternam do eis. Item, Nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Item, Sine me nihil potestis facere.

Coloss. 1. Omnia per ipsum et in ipsum condita sunt, et omnia per eum consistunt. Est ergo in Christo natura divina conditrix rerum, ideo postea in 2. capite dicitur: In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, quasi dicat, in aliis sanctis habitat Deus effective et separabiliter accendens novam lucem et novos motus. Sed in Christo habitat inseparabiliter, et sic, ut unione hypostatica unitae sint naturae, persona secunda divinitatis λόγος et humana natura assumta. Nam ut nos nunc dicimus usitate ὑφιστάμενον seu personam: Ita veteres Graeci dixerunt σώματα, quod non est imaginarium aut accidentale.

Multa testimonia in Veteri et Novo Testamento loquuntur de invocatione, ubi firmissime tenenda est regula. Invocationem qua petimus liberationem a peccatis et morte, et donationem iustitiae et vitae aeternae, et conservationem naturae soli Deo, qui est omnipotens, tribuendam esse, quia solus Deus haec dona dare potest, et solus videt corda petentium, et diiudicat veram invocationem a simulata. Ideo scriptum est Matth. 4. Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Oseae 13. Deum praeter me non scies, et Salvator non est praeter me. Esaiae 43. Sciatis et credatis mihi, et intelligetis quod ego ipse sim, ante me scilicet patefactum non est formatus Deus, et post me non erit: Ego sum, ego sum et non est praeter me salvator.

Cum igitur fit invocatio ad Messiam, fateri necesse est, quod sit Deus omnipotens, ut Psal. 72. Et timebunt eum, donec erunt Sol et Luna. Hic affirmat regnum et cultum perpetuum esse, Non igitur loquitur de regno politico aut adoratione quae est gestus externus, quo praesentibus regibus nos subiicimus, postea inquit deprecabuntur coram eo semper, videlicet petent bona aeterna, ut Psalm. 45. Et concupiscet rex decorem tuum, quia ipse est Deus tuus, et adorabunt eum. Psalm. 2. Osculamini Filium. Beati omnes qui confidunt in eo. Esai. 11. In die illa radix Iesse stabit, ut sit signum populis, gentes eum deprecabuntur. Matth. 11. inquit ipse Dominus: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis.

Gen. 48. Iacob facit invocationem ad Deum, et ad angelum, per quem affirmat se ereptum esse ab omnibus malis. Hic angelus est ipse Filius Dei, λόγος missus ad Ecclesiam, ut semper aliquam Ecclesiam in genere humano colligat, et eam custodiat, regat et servet.

Ac diligenter est observanda lectio Hebraea in textu, Primum alloquitur Iacob omnes personas, Deus coram quo ambularunt patres mei Abraham, Isaac, sic alloquitur Deum patefactum patribus, et seiungit suam invocationem ab Ethnica. Deinde alloquitur Filium, Deus pavit me usque ad hunc diem, Hic est angelus qui me liberavit ab omnibus malis. Ita demonstrative ponitur angelus, nec inseritur particula copulativa.

Talia testimonia saepe multumque consideremus, et ut de doctrina confirmemur, et ut accendatur invocatio. Sciamus hunc cultum necessarium esse, invocare Filium, et ab eo bona petere discamus, etiam quomodo dirigenda sit invocatio ad Deum. Sicut Iacob alloquitur Deum, et Redemtorem et angelum. Et Dominus inquit: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Hunc esse Deum agnoscamus, hunc invocemus, qui se patefecit misso Filio, et qui cum Filio et Spiritu sancto condidit omnia, et petamus, ut propter Filium nos exaudiat, et per eum nos gubernet et conservet.

Item in veteri et novo Testamento nominatur Messias Filius Dei, et discernitur hic Filius unigenitus a filiis adoptivis. Cum igitur sit natura Filius, est de substantia aeterni Patris. Est igitur Deus, ac tenenda sunt appellationum discrimina.

Creare nominant aliud ex nihilo facere, ut Deus coelum et terram ex nihilo fecit. Sed Gignere est alium de sua substantia gignere.

Est igitur forma loquendi usitata in Ecclesia, Filius genitus est de substantia Patris, sicut in Symbolo dicitur: Deus de Deo, Lumen de Lumine, et Basilius inquit: Si non esset Filius de Patris essentia genitus, essent hae personae duo adelpha.

Hic etiam agitatur quaestio de modo loquendi, an recte dicatur: Essentia generat, essentia generatur, an vero tantum sit sic loquendum: Pater generat, Filius generatur.

Forma loquendi magis perspicua est, et minus parit certaminum, dicere: Pater generat, Filius generatur, quam dicere: Essentia generat, vel essentia generatur. Et libenter retineamus modos loquendi probatos vero consensu eruditorum, sed

tamen recentiores, cum negant hanc propositionem, Essentia generatur, offundunt imaginationem, quasi alia quaedam res nascatur, et essentia addatur non nata, haec imaginatio procul ex mentibus eiicienda est, et sciendum, cum Filius nascitur, vere eum de essentia Patris nasci, et ita nasci essentiam quae Filius est, sicut hoc ipsum dictum sonat, Deus de Deo, Lumen de Lumine.

Hac vera sententia considerata, facile est iudicium de illis quaestionibus recentiorum, ubi quaerunt, an in Filio differat realiter, Essentia et Relatio, et an Relatio generetur, si essentia non generatur. Scias autem verissimum esse, in qualibet persona, Essentiam et Relationem nequaquam differre realiter, nec esse duas res Essentiam Filii et Relationem, Sed revera Filium esse essentiam genitam, non aliam rem esse natam.

Haec vera sunt, et pios, qui dextre haec accipiunt, utiliter erudiunt, ut agnoscant Filium Dei vere esse genitam a Patre essentiam, non duas res, nec tantum Relationem natam esse. Mens humana cogitans, format imaginem rei cogitatae, sed huic imagini non communicat suam essentiam, ac imago ipsa tantum est evanescens actio, et non vivit. At aeternus Pater sese intuens, gignit imaginem sui substantialem, et vivam, de ipsa essentia Patris, quae est ὁμούσιος Patri. Haec apud Graecos aliquanto minus obscure traduntur, quam apud Latinos. Obiicitur autem hoc argumentum:

Idem non gignit se ipsum,
Essentia est eadem,
Ergo essentia non gignit essentiam.

Respondeo ad maiorem. Idem quatenus est incommunicabile, non gignet sese, sed idem quod est communicabile communicatur genito. Est autem essentia communicabilis, Ergo communicatur genito.

Addamus autem de duabus naturis in Christo et hoc testimonium Ieremiae 23. et 33. Exuscitabo David germen iustum, et regnabit rex, et hoc est nomen quo vocabunt eum יְהוָה iustitia nostra, primum cum nominat germen Davidis, loquitur de humana natura, Deinde de persona, hoc germen erit Rex, et faciet iudicium et iustitiam, et persona haec nominabitur, id est, invocabitur et agnoscetur esse יְהוָה iustitia nostra. Hic tribuit Christo nomen Iehova, quod soli Deo tribuitur, et addit Christum facere iudicium et iustitiam, id est, punire impios, et reddere iustitiam credentibus. Item esse iustitiam nostram, videlicet hanc personam quae liberat nos a peccato et a morte aeterna, et reddit vitam aeternam. Hae proprietates nulli creaturae conveniunt, Ergo affirmant in Messia naturam divinam et humanam esse.

DE DUABUS NATURIS IN CHRISTO.

Hic inseramus doctrinam de duabus naturis in Christo, quia in testimoniis prudenter considerandum est, ubi proprie de divina natura, ubi de humana loquantur. Ac primum notus est articulus Fidei, quod Filius λόγος humanam naturam assumserit, ita ut sit facta unio hypostatica, seu ut alii loquuntur personalis. Iam hic repetatur definitio personae, sicut Latina Ecclesia loquitur.

Persona seu ὑφιστάμενον, id est, subsistens, est substantia individua, intelligens, incommunicabilis, non sustentata in alio, ut Petrus est ὑφιστάμενον, non corpus Petri, quia corpus desertum ab anima mox dissolvitur, quare cum velut gestetur ab anima, non dicimus solum corpus esse personam. Ut autem aliquo modo consideretur, qualis sit unio hypostatica duarum naturarum in Christo, repetantur hic etiam modi praesentiae Dei.

MODI PRAESENTIAE DEI.

Primus est praesentia Universalis, qua Pater, Filius et Spiritus sanctus adsunt omnibus creaturis, coelo, terrae, animantibus, hominibus, angelis bonis et malis, et substantias conservant, donec volunt eas conservare. De hac universali praesentia dicitur Ierem. 33. Coelum et terram ego impleo. Et Esaiae 66. Coelum sedes mea, et terra scabellum pedum meorum. Esse autem separabilem hanc praesentiam manifestum est in destructione rerum, ideo enim destruuntur, quia Deus eas diutius non conservat.

Secundus modus est praesentia in beatis, qua non tantum conservantur substantiae, sed etiam communicatur beatis, lux, sapientia, iustitia, laetitia Dei, et Deus visibiliter in eis adest, Sicut inquit Paulus: Erit Deus omnia in omnibus, ostendit se eis et simul adest, et creat in eis novam sapientiam, iustitiam, laetitiam, et alios motus ipsi conformes. Quanquam autem beati non deseruntur, tamen Deus, et angelus beatus, seu homo beatus, non sunt unum ὑφιστάμενον, sed adest eis societate.

Tertius modus est praesentia, qua in hac mortali vita Deus habitat in Sanctis, qua non solum conservat substantias eorum, sed etiam sanctificat eos non visibiliter, Sed est efficax in eis, quia voce Evangelii Filius accendit in eis novam lucem, et vivificat eos, et effundit in eos Spiritum sanctum, ut novos motus ipsi congruentes, et laetitiam in eis exuscitet, hanc praesentiam separabilem esse Scriptura affirmat, et tristissimi lapsus Sanctorum ostendunt, et nequaquam est unio hypostatica Filii aut Spiritus sancti cum homine converso seu renato, sed nominatur tantum habitatio Dei in homine converso.

Quartus modus longe alius est, quo haec sola persona λόγος assumit humanam naturam, sumit certam massam ex genere humano, non solum inseparabiliter, sed etiam tali unione, ut sit unum ὑφιστάμενον λόγος et assumta natura, et sicut haec persona, λόγος aeterna est, ita postea impossibile sit, hanc massam ipsi insertam non simul manere. Ac notissimum sit dictum omnibus: Naturam humanam, quam λόγος semel assumsit, nunquam deserit. Etsi autem exemplum huius unionis nullum est in creaturis quod prorsus congruat, tamen vetustas, ut aliquo modo declaret hanc unionem, ostendit hominem, sicut anima hominis et corpus sunt unum ὑφιστάμενον completum, et corpus dissolvitur desertum ab anima, ita λόγος et assumta natura sunt unum ὑφιστάμενον, et redigeretur in nihilum illa massa, si non sic gestaretur a λόγῳ. Haec similitudo extat apud Athanasium, Cyrillum et Iustinum. Sic igitur describitur unio hypostatica, quod sit unio, qua persona assumit naturam, ita ut sustentet eam, quae alioqui non esset, nisi sic sustentaretur.

Utuntur et his verbis: Persona terminat dependentiam naturae assumtae, id est, Natura assumta talem habet ordinem ad personam assumentem, ut massa illa non esset, nisi sic assumta esset. Considerentur et modi loquendi. Recte et usitate dicitur: persona λόγος assumsit humanam naturam. Non dicitur: Natura divina assumsit humanam naturam. Neque hoc dicitur: natura divina est assumta, nec dicitur: Deus assumsit hominem, tametsi interdum vetustas ita locuta sit. Et in cantico dicitur: Tu suscepturus hominem, non horruisti virginis uterum. Item poëtica sunt. Deus induit humanam naturam. Praeterea usitate dicitur, Unio duarum naturarum. Item, Natura humana unita est naturae divinae, et Graeci et Latini vocabulo Unionis multum usi sunt. Haec breviter addidi, ut iuniores moneam, ut sint circumspecti in loquendo, et retineant usitatam phrasin receptam gravi autoritate, quia mutatio parit ambiguitates et rixas.

Causae etiam considerentur huius mirandi consilii, ut inde consolationes sumamus, et officia Christi magis intelligamus.

Prima est, ne esset quidem genus humanum, sed mox prorsus interiisset post lapsum primorum parentum, nisi factum esset decretum, ut λόγος assumeret massam, et propter hanc assumtionem reliquum genus humanum esset superstes.

Secunda, quia homines peccaverant, congruebat hominem esse qui poenam sustineret, ut iustitiae Dei satisfieret, et quia hic Redemtor fuit innocens, poena in ipsum derivata valet pro aliis.

Tertia, ut autem esset aequivalens seu maius pretium, hic Redemtor non tantum est homo, sed etiam Deus.

Quarta, nulla creatura sola sustinere hanc magnitudinem irae Dei potuisset, ideo hic Redemtor non tantum est homo, sed etiam Deus.

Quinta, voluit Deus hunc Redemtorem esse Victorem mortis, et instauratorem vitae, sicut expresse dicitur in prima promissione: Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Sunt autem haec omnipotentis naturae, vincere mortem, et reddere vitam et iustitiam.

Sexta, hic Redemtor est Sacerdos, ut igitur videat corda invocantium, et exaudiat, et videat consilium aeterni Patris, non tantum est homo, Sed etiam Deus, et quidem hic Filius statim initio missus est ad Ecclesiam edita prima promissione, iuxta dictum: Filius qui est in sinu Patris, ipse revelavit nobis, et sicut initio semper fuit apud Ecclesiam, Sicut Paulus inquit ad Corinthios, fuisse eum in deserto apud populum, ita deinceps semper protegit Ecclesiam immediate, iuxta dictum: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Haec quoque sunt naturae omnipotentis. Athanasius inquit: Congruebat Filium assumere humanam naturam, ut haec persona, quae est substantialis imago aeterni patris, restitueret imaginem Dei in nobis.

DE PROPRIETATIBUS NATURARUM, IN CHRISTO NATO EX VIRGINE, ET DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

Assumsit autem λόγος corpus et animam sine peccato, sed habentia proprietates naturales, id est, omnes vires et appetitiones naturae humanae proprias et ordinatas, ut Famem, Sitim, Laetitiam, Tristitiam, Dolores. Item eas infirmitates quae sunt poenae, non peccata, videlicet naturam humanam passibilem et mortalem, sentientem dolores et

alios affectus sine peccato, Sicut ad Hebraeos dicitur: Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, Sed tentatum per omnia secundum similitudinem sine peccato.

Sic igitur sunt in Christo nato ex Virgine, duae naturae unitae, ut tamen suas proprietates utraque retineat, divina natura non vulneratur, non moritur, Sed natura humana vere sensit cruciatus, et mortua est, ac necessaria diligentia est cavere, ne fiat naturarum confusio. Ideo sic inquit Irenaeus: Sicut enim homo erat, ut tentaretur, sic et Verbum erat, ut glorificaretur, requiescente quidem verbo, ut posset tentari, crucifigi et mori. Usus est Irenaeus singulari consilio hac insigni descriptione, quiescente verbo, id est, tunc non exerente suam potentiam in repellenda passione et morte, Sicut ad Philippenses dicitur: Exinanivit sese. Non ait divinam naturam mortuam esse, sed quievisse, ut natura assumta mori posset. Et Athanasius in libro de Incarnatione inquit: Cum non esset possibile ipsum Verbum mori, quippe immortalem Patris filium, corpus sibi quod mori posset accepit, ut id corpus verbi particeps factum, et moreretur pro omnibus, et inhabitans verbum incorruptibile maneret.

Quanquam autem naturae discernendae sunt, et quaelibet suas proprietates habet, ut non posse lacerari et mori, proprietas est divinae naturae: Sed proprietas humanae naturae erat, posse lacerari et mori, tamen et hoc firmissime retinendum est, quod sit una persona seu unum ὑφιστάμενον, quod utcunque supra declaravimus. Ideo hae propositiones usitatae sunt: Verbum est homo, Deus est homo, Deus est passus, Deus est mortuus. Significatur enim his propositionibus, hanc personam, quae est Deus, mortuam esse, etiamsi tantum secundum naturam humanam est mortua, et haec phrasis nominatur Communicatio Idiomatum, quae est forma loquendi, qua proprietas conveniens uni naturae tribuitur personae in concreto, propterea quia unica est persona, ut dicimus, Homo numerat, etiamsi tantum mente numerat. Ac diligenter retinenda est forma loquendi gravi autoritate recepta: nequaquam dicitur in abstracto: Divinitas est mortua, vel Divina natura est mortua, quia in abstracto significatur natura secundum se considerata, et tribuitur uni naturae hoc, quod contrarium est huic naturae, ut cum dicerem: Sanguis numerat aut nasus.

Nestorius negabat has propositiones: Deus est natus ex virgine, crucifixus, et recitatur hoc eius dictum: Noli gloriari Iudaee, non enim Deum, sed hominem crucifixisti. Hinc aut ipse aut alii hoc extruebant Christo affuisse naturam divinam per societatem, seu assistentiam, sicut adfuit Heliae aut aliis Prophetis, nec fuisse unionem hypostaticam seu unam personam. Patiente Ioanne Baptista, quanquam adest ei Deus, scilicet ferens auxilium, et Metaphorice dicitur, Deus patitur: tamen vulnus est personae quae non est Deus. Relatio tantum, id est, contemtus ad Deum pertinet, ut cum Legatus violatur, relatio ad Regem pertinet, aliud est ictus in corpore, aliud cogitatio in mente. Sed Christo patiente alio modo dicitur, Deum pati, quia haec persona patitur et crucifigitur, quae est Deus, etiamsi laceratio tantum fit in corpore.

Hanc formam sermonis tantum discimus ex ipso Filio Dei sic loquente, in Propheticis et Apostolicis scriptis, ut Iohan. 8. Amen amen dico vobis, priusquam Abraham natus est, ego sum. Iohan. 1. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. Zachariae 12. Aspicient me quem confoderunt. In his et multis similibus dictis manifestum est de uno et eodem Christo dici, et tamen intelligi discrimina naturarum oportet. Hic Christus fuit ante Adam secundum naturam divinam, ac nunc idem est subsistens, seu eadem persona, quanquam natura humana assumta est. Ut igitur discernatur hic Filius ab aliis Sanctis, et aliquo modo conspiciatur discrimen inter hypostaticam unionem, et societatem seu auxilium Dei in aliis Sanctis, recte tradita est doctrina de communicatione Idiomatum, et recte dicitur de Filio Dei: Deus est passus, quia haec persona passa est, quae est Deus. Nec fuit tantum λογομαχία certamen cum Nestorio, Sed de rebus maximis controversia fuit, an in Christo sic adsit divina natura humanae tantum per societatem seu assistentiam, sicut adfuit Prophetis. Item, An sint duo filii λόγος et natus ex virgine. Item, An una λατρεία invocandus sit filius.

Sit igitur certissimum λόγον assumsisse humanam naturam, et unione hypostatica unitas esse naturas in Christo, λόγον et assumtam naturam, et esse unum Filium, λόγον et naturam assumtam, et una adoratione invocandum, nec alia peti tantum a divina natura, alia tantum ab humana. Denique considerandum est in universum, quomodo vetus Ecclesia locuta sit. Improbantur hae formae loquendi: Christus est compositus ex duabus naturis. Item, Christus est creatura, quia Ariani insidiose hanc propositionem miscebant aliis, ut suum errorem confirmarent, cum contenderent λόγον secundum sese etiam non assumta humana natura, esse creaturam factam ex nihilo, et non esse ὁμοούσιον Patri, ideo vetus Ecclesia damnavit hanc propositionem, Christus est creatura, nequaquam vetustas etiam sic locuta est, Christus est passus et mortuus secundum utramque naturam, quia Se-

cundum est particula distinctiva: ut Rom. 1. dicitur, et Rom. 9. Et in Actis capite 2. extant manifesta exempla: dicimus igitur, Christus passus et mortuus est, secundum naturam humanam, Sicut expresse Hieronymus in expositione loquitur: passus est secundum id quod pati poterat, videlicet non secundum naturam quae assumsit, sed secundum illam quae assumta est: ac mox addit: mortuus est Dei Filius iuxta scripturas secundum id quod mori poterat, Ac eodem modo semper loquuntur Athanasius, Cyrillus et Vigilius, deinde omnes Scriptores.

Discernantur autem vocabula, quae significant proprietates naturarum a vocabulis quae significant officium, ut, proprietates naturae divinae sunt, aeternitas, omnipotentia, non posse vulnerari, non posse mori, sed naturae humanae proprietates sunt pati, vulnerari, mori. Nomina vero officii sunt, Mediator, Redemtor, Salvator, Rex, Sacerdos, Pastor, haec nomina officii competunt personae, non tantum humanae naturae, ac dissimilitudo est inter has propositiones: Filius Dei est mortuus, et Filius Dei est Mediator, Salvator, Rex, Sacerdos, quia mori tantum est proprietas naturae humanae, Sed officium habet actiones utrique naturae immediate proprias: fit enim missio Filii ab initio ad Ecclesiam, et Filius perpetuo adest Ecclesiae, et vult illam suam obedientiam, profert Evangelium ex sinu aeterni Patris, intercedit pro Ecclesia, servat et vivificat eam, et hanc ipsam ob causam nominatur λόγος, quia Pater per eum se patefecit, et Evangelium nobis ex sinu aeterni Patris per eum profertur, nec missio et obedientia tollunt aequalitatem potentiae, Sicut expresse inquit Cyrillus: Nec intelligantur Mediator, Rex, Sacerdos tantum de natura patiente et moriente, sed de persona placante, victrice, exaudiente, exhibente promissiones novi Testamenti, sicut de se Pastore inquit Dominus; Ego pono animam meam pro ovibus meis. Item, Ego vitam aeternam do eis. Et Promissio inquit: Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Ergo haec persona est victrix, nec tantum salvat merito quia moritur, sed salvat efficacia, quia vincit mortem in suo corpore, et in nobis, et restituit iustitiam et vitam aeternam.

Praeterea manifestum est, invocandum esse Messiam in quantum Mediator est, sicut ipse inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis, ego reficiam vos. Item, Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Exaudire autem et videre corda invocantium, et discernere veram invocationem ab hypocrisi, et ingredi in Sanctum Sanctorum; id est, in arcanum consilium Patris, et ibi pro nobis deprecari, haec sunt naturae omnipotentis. Et semper pro Ecclesia precatus est Filius, sicut in Psalmo 2. dicitur: Postula a me, et dabo tibi gentes haeriditatem tuam. Agnoscamus igitur nobis constitutum esse Mediatorem, Redemtorem, Salvatorem, Regem et summum sacerdotem Christum Deum et hominem, et Deo gratias agamus, quod Filium unigenitum misit, et sit invocatio directa non tantum ad naturam humanam, sed ad personam quae est Deus et homo: Sic docent Psalmi. Psalmo 47. Et concupiscet rex Decorem tuum, quia ipse est Deus tuus, et adorabis eum. Et Psalmo 72. Et adorabunt eum omnes reges terrae. Et Esaiae 11. In illo die stabit radix Iessae, ut sit signum populis, gentes ad eam confugient, requies eius erit gloriosa, id est, per mortem glorificabitur et resurget. Sic et in Ieremia nominatim de invocatione dicitur: Suscitabo Davidi germen iustum, et hoc est nomen, quod vocabunt eum iustitia nostra, id est, haec persona germen Davidis est Deus, sit invocabitur quod sit Deus, et iustificet invocantes, det remissionem peccatorum et vivificet.

Obiiciunt autem quidam Christum non esse Mediatorem, aut deprecatorem aut Salvatorem, secundum utramque naturam, quia nemo, inquiunt, est Mediator sui ipsius: Item, Nemo est deprecator apud se ipsum. At haec plana et perspicua responsio est, Nemo est Mediator sui ipsius: Item deprecator apud sese, verum est eodem respectu, Sed hic plures personae sunt, et discrimen est inter mittentem divinitatem et Filium missum: Filius missus est Mediator et deprecator omnibus temporibus pro patribus et pro nobis, Sicut Daniel inquit: Illo tempore stabit pro nobis populo suo Michael.

Item cum dicunt: Opera trinitatis ad extra sunt indivisa. Salvatio est opus ad extra, Ergo eodem modo est Patris, Filii, et Spiritus sancti, et improprie de Christo dicitur: conteret caput serpentis. Respondeo plane ad regulam, Opera trinitatis ad extra sunt indivisa, scilicet servata cuiusque personae proprietate. Filius assumsit humanam naturam, non aliae personae. Filius et Spiritus sanctus mittuntur, agit Filius non a se, sed per se, ut Augustinus inquit, Salvat et vivificat pater, sed hoc ordine per Filium. Et 1. Cor. 15. dicitur: Deo gratia qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Et 1. Cor. 1. Christus factes est nobis a Deo, Sapientia, Iustitia, Redemtio. Item Dominus ipse inquit: Nemo veniet ad Patrem nisi per me.

Ex his fontibus sumuntur responsiones ad argumenta Iudaica et Ariana, cum Christus mortuus sit, quomodo consentaneum est esse Deum? Respondeo esse mortuum secundum naturam huma-

nam, non secundum divinam, sicut Petrus inquit, Passum esse carne. Et Irenaeus inquit, Christum crucifixum esse requiescente verbo.

Duae sunt naturae in Christo, et suas proprietates utraque retinet, nec propterea separatur altera ab altera. Deinde propositio vera est de persona communicatione Idiomatum, Christus mortuus est, scilicet secundam naturam humanam.

Ariani citabant hoc dictum: Pater maior me est, inde ratiocinabantur, Filium non esse ὁμοούσιον Patri, non omnipotentem. Responsio usitata est, Maior me est, scilicet quam ego sum, secundum naturam humanam, ita plerumque decurrunt veteres ad hanc responsionem sumtam ex communicatione Idiomatum. Sed simplicior responsio est: alia dicta de essentia loquuntur, alia de officio personae. Manifestum est autem hoc dictum, Pater maior me est, loqui de officio huius personae missae et praedicantis, et obedientis in passione, non loquitur de inaequalitate essentiae. Cum enim Iudaei accusarent Christum, quod doceret contra autoritatem Dei, necesse fuit Christo allegare autoritatem Patris, a quo affirmat se missum esse, et traditam sibi doctrinam et mandatum docendi, ac Patrem maiorem esse dicit, tanquam mittentem, fontem doctrinae, approbatorem et defensorem huius doctrinae et Ecclesiae suae, ac tunc praesertim Patris autoritas, et potentia monstranda fuit, quia in illo ministerio nondum conspicitur Filii potentia, sed conspicitur passio et infirmitas, ne igitur hac specie infirmitatis moti, dubitarent de doctrina, et de conservatione Ecclesiae, affirmat potentia Patris hoc ministerium esse efficax, et Patrem sua potentia glorificaturum, esse Filium et servaturum Ecclesiam. Ita dictum hoc de officio personae missae loquitur. Ac cum dicitur, Verbum erat Deus, ibi propriissime traditur essentiae descriptio, quia haec narratio instituta est, ut doceat quis sit λόγος, etiam antequam assumsit humanam naturam.

Saepe locum habet et haec responsio, alia dicta loquuntur de regnante Christo, alia de humiliato et patiente. Hanc responsionem in Prophetis necessariam esse manifestum est, ut de humiliato, et patiente Messia dicitur: Ponet animam suam pro peccato. Item Danielis 9. Christus occidetur, alia de regnante, ut: Dixit Dominus Domino, sede a Dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Item captivam duxit captivitatem, quia Prophetae utrumque ostendunt eundem Messiam praedicaturum, passurum, moriturum, resurrecturum, regnaturum, et collecturum esse Ecclesiam, et ei redditurum esse iustitiam et vitam aeternam.

Ita de regnante Christo dicitur: Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio, quia per Filium iudicat, et per eum patefacit iudicium. Alibi dicitur de tempore humiliationis, non de essentia, Deus Deus meus, quare dereliquisti me, non hoc dicit, separatam esse divinam naturam ab humana, sed pati humanam naturam et nondum sentire liberationem.

ALIUD DE DICTO AD PHILIPPENSES.

Magna varietas est interpretationum, sed iudico hanc veram et nativam sententiam esse: qui cum esset in forma Dei, id est, cum esset talis qualis est Deus, videlicet omnipotens, tamen non duxit rapinam esse gerere se aequaliter Deo, id est, non rapuit contra missionem suam usum omnipotentiae in sui defensionem, sed se ipsum exinanivit, id est, non est usus sua potentia, sed accepit formam servi, videlicet non habentis defensionem, factus in similitudine hominum, id est, fuit homo et similis aliis, passibilis et mortalis, sed sine peccato, et habitu inventus ut homo, id est, sensibus et affectibus, fame, siti, gaudio, tristitia, misericordia, lacrimis, ira, indignatione, humiliavit sese, factus est obediens usque ad mortem, id est, non repulit mortem, sed cum sciret hanc esse voluntatem aeterni Patris, ut sic poena solveretur, voluit hanc obedientiam. Ita velle in vocatione servire, et non alia expetere splendidiora aut graviora extra vocationem nominatur humilitas. Propter quod exaltavit eum Deus. Hinc Ariani sumebant argumentum, Natura Deus non potest exaltari. Respondent Orthodoxi ex regula de communicatione Idiomatum: est exaltatus secundum humanam naturam, factus impassibilis et immortalis, sicut in Psalmo dicitur: de torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. Potest autem breviter responderi, aliud est tempus humiliationis, aliud glorificationis, nec obedientia tollit aequalitatem potentiae.

DE SPIRITU SANCTO.

Descriptionem supra recitavimus. Spiritus sanctus est tertia persona divinitatis, procedens a Patre et Filio, et est substantialis amor et laetitia coaeterna inter Patrem et Filium, ὁμοούσιος Patri et Filio, et nobis sic manifestata est, quod mittatur in corda credentium, ut tales motus amorem et laetitiam acquiescentem in Deo in eis accendat, qualis est ipse, Sicut 2. Tim. 1. expresse scriptum

est, Non dedit vobis Spiritum timiditatis, sed roboris, dilectionis et castificationis.

TESTIMONIA QUOD SPIRITUS SANCTUS SIT PERSONA.

Primum autem diligenter observandum est vocabulum Spiritus, quod in genere significat agitationem, aut naturam seu vim agitantem, et observanda est varietas in ipsis scriptis Propheticis et Apostolicis, nec temere omnia dicta miscenda sunt, in quibus reperitur vocabulum Spiritus, saepe significat ventos, saepe vitam hominis, saepe motus seu impetus hominum creatos, tum bonos, tum malos: hic significat essentiam spiritualem, id est, vivam, intelligentem, incorpoream, efficacem, Deus est Spiritus: Estque hoc loco nomen commune patri et aliis personis. Delectus igitur adhibendus est in testimoniis colligendis, ac prudenter iudicandum, ubi proprie loquatur scriptura de Spiritu sancto, qui est persona seu *ὑφιστάμενον*, sanctificans corda audientia vocem Evangelii, et cum sic sumitur vocabulum Spiritus, confirmandum est Spiritum sanctum esse personam seu *ὑφιστάμενον*, Nam multi impii et audaces homines in dissidiis Ecclesiasticis contenderunt, Spiritum sanctum non esse *ὑφιστάμενον*, sed tantum cogitationem creatam, aut certe ipsum Patrem potentem, seu agitantem sine alia persona. Sed huic impio sophismati Ecclesia vera opponit testimonia in scripturis tradita, quorum primum et maxime illustre est revelatio divinitatis facta in Baptismo Christi, ubi clare discernuntur tres personae: Pater inquit: Hic est Filius meus dilectus, hunc audite, Est igitur alia persona Patris, alia Filii, descendit autem Spiritus sanctus in specie columbae. Iam si Spiritus sanctus esset agitatio in animis creata, non appareret peculiari specie corporali, aut si esset ipse Pater, non discerneret Spiritum sanctum. Inquit enim: Super quem videris Spiritum sanctum descendentem. Sic et in Pentecoste apparet Spiritus sanctus peculiari specie corporali.

Hae patefactiones non sunt frustra factae, Sed testificantur Spiritum sanctum personam esse, et mitti ad sanctificandam, et confirmandam Ecclesiam.

Ad haec testimonia adiungatur dictum de Baptismo: Ego baptizo te in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti, id est, hoc Baptismo testor te recipi a vero Deo, quem super te invoco Patrem, Filium et Spiritum sanctum. Affirmo te recipi a vero Deo, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, et patefecit se misso Filio, et te propter Filium recipit et vivificat, sanctificat et confirmat te ad vitam aeternam, donans Spiritum sanctum procedentem a Patre et Filio, ac tu vicissim agnoscas, hunc verum Deum, qui se sic patefecit.

Cum autem ad Spiritum sanctum dirigatur invocatio, sicut ad Patrem et Filium, necesse est eum esse *ὑφιστάμενον*, et non motum seu agitationem creatam in homine, nam motus seu agitatio creata in homine, non est invocanda, Iohan. 14. Rogabo Patrem et alium paracletum dabit vobis. Cum ait Alium, discernit a Patre et Filio hunc paracletum. Et Iohan. 15. Cum venerit paracletus quem ego mittam vobis a Patre, Spiritus veritatis, qui a Patre procedit. Ego, inquit, mittam a Patre, Non est ergo hic missus Spiritus ipse Pater agitans, quia Filius non mittit Patrem, nec est agitatio creata, quia haec sunt nomina personae, Alius paracletus, qui docebit vos, et, quae audiet loquetur. 1. Corinth. 12. expresse discernit Paulus Spiritum sanctum a donis creatis: omnia haec efficit unus et idem Spiritus. Et 2. Cor. 3. Transformamur in eandem imaginem, tanquam a Domini Spiritu, ubi etiam effectorem discernit a luce creata.

Quod autem Spiritus sanctus fuerit antequam carnem induit Filius Dei, perspicue testatur Petrus 1. capite. Epistolae primae, cum inquit de Prophetis: Spiritus Christi praedicens in eis Christum passurum esse. Hic diserte nominatur Spiritus Christi qui fuit in Prophetis, eodem igitur Spiritu Christi et Patres et Apostoli, et pii deinceps, hoc est, omnes electi omnibus temporibus sanctificati sunt. Idque multo illustrius docent verba Esaiae 59. Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus qui est in te, et verba mea quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, dicit Dominus, deinceps et in sempiternum.

Eundem Spiritum ait esse in Esaia, et in tota Ecclesia in omnem aeternitatem, non igitur tantum post resurrectionem Christi effusus est Spiritus sanctus in pectora Sanctorum, sed semper eodem Spiritu sancto omnes electi sanctificati sunt, et quidem dictum Esaiae dulcissimam doctrinam et consolationem proponit, affirmat semper mansuram esse Ecclesiam Dei, et ibi mansuram, ubi sonat vox Evangelii, et cum ea voce affirmat dari Spiritum sanctum per Filium, sicut in Psalmo dicitur: Dat dona hominibus.

Et Zachar. 7. Verba quae misit Dominus exercituum in Spiritu sancto, per manum Prophetarum. Hoc dicto utrumque affirmatur, et gubernatos esse Spiritu sancto Prophetas, et verbum Dei non esse

inanem sonitum. Sed audito Evangelio, effundi Spiritum sanctum in corda, qui movet ea ad credendum, et assensionem confirmat, accendit vitam, invocationem, laetitiam, dilectionem Dei, et alios motus tales, qualis ipse est, ut Rom. 1. dicitur: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Et 2. Cor. 3. vocatur Evangelium ministerium Spiritus.

Constat igitur ex Esaiae et Zachariae dictis, quae recensui, doctrinam de Spiritu sancto in veteri Ecclesia patrum et Prophetarum notam fuisse. Ideo etiam veteres hoc dictum in Genesi 1. capite intellexerunt de Spiritu sancto, qui est persona divinitatis: Et Spiritus Domini ferebatur super aquas. Sic enim inquit Basilius: Sive quod verius est, et enarratum est ab iis qui ante nos fuerunt, loquitur de Spiritu sancto Dei.

Cum autem dicta in novo Testamento magis perspicua sint, adiungantur ad dicta exempla veteris Testamenti, quod cum fiet collatio utriusque lucem adferet, nec tantum speculationis causa haec consideremus, sed ut nos ad petenda beneficia Dei exuscitemus.

Agnoscamus immensam bonitatem Dei, quod primum condidit nos, ita ut communicarit sese nobis, et voluerit nos in omni aeternitate frui sua luce, sapientia, iustitia et laetitia. Deinde quod Filium misit, ut proferret Evangelium, et esset Redemtor et restitutor generis humani, et mittit in corda credentium Spiritum sanctum. Haec beneficia petamus, et grati celebremus, non simus Pelagiani, non cogitemus hominem tantum humanis viribus regi posse, sciamus non sine maxima causa nostrae imbecillitati promitti Spiritum sanctum. Sicut Paulus inquit: Spiritus opem fert imbecillitati nostrae.

Quanquam autem de essentia Dei sine certis testimoniis nec Angeli, nec ulli Doctores certo nos possint docere, tamen postquam Deus se patefecit, et verbum suum Ecclesiae tradidit, utile est nosse, quid probati homines in prima et puriore Ecclesia senserint, qui doctrinam ab Apostolis acceperunt, voluit enim Deus aliquos esse testes de sua veritate, ut posteritas confirmaretur, iuxta dictum: Et tu conversus confirma fratres tuos.

TESTIMONIA ECCLESIAE VETERIS.

Illustre testimonium est in Symbolo Niceno. Credo in Spiritum sanctum dominum vivificantem, ubi cum Spiritus sanctus nominatur Dominus et vivificator, perspicuum est intelligi personam et quidem omnipotentem, vivificantem cum Patre et Filio, qui est persona procedens a Patre et Filio immediate, accendens motus in corde tales qualis est ipse, Recitavi et supra confessionem Gregorii Neocaesariensis, quae hic quoque repetenda est: unus Deus pater verbi viventis, sapientiae subsistentis, et imaginis suae integer integrae genitor, Pater Filii unigeniti, unus Dominus, unus ex uno, imago Patris, Verbum efficax, Filius sempiternus ex sempiterno, unus Spiritus sanctus ex Deo substantiam habens, qui per Filium apparuit, sanctificans, per quem Deus super omnia et in omnibus cognoscitur.

Multorum vetustiorum testimonia collegit Basilius, in his et Palaestini Eusebii verba recitat: Sanctum Deum lucis conditorem, per salvatorem nostrum Iesum Christum, cum Spiritu sancto invocandum. Haec verba ostendunt, veteres diserte tres personas in Invocatione complexos esse, et ea forma loquendi de Filio usos esse, ut animi simul de Mediatoris intercessione, et de promissionibus commonefierent. Basilius inquit: Oportet nos baptizare sicut accepimus: Credere autem sicut baptizamur, glorificare autem sicut credimus Patrem, Filium et Spiritum sanctum. Fugere autem palam blasphemos eos, qui Spiritum sanctum creaturam esse dicunt. Apud Epiphanium saepe repetitae sunt satis perspicuae asseverationes, contra Sabellianos, ἐνυπόστατον ὁ πατὴρ, ἐνυπόστατον ὁ υἱὸς, ἐνυπόστατον τὸ ἅγιον πνεῦμα. Item contra πνευματομάχους, Spiritus vere est ex Deo, et non alienus a Patre et Filio, sed ὁμοούσιος Patri et Filio.

Postquam autem dictum est tres esse personas divinitatis, discrimina erudite considerentur. Pater non nascitur, Filius etiamsi coaeternus est Patri, tamen genitus est, et est imago aeterni Patris. Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio. Hae appellationes extant in sermonibus Christi. Sed hic quaerat aliquis, quid intersit inter nasci et procedere. Etsi exhauriri haec arcana non possunt, tamen significari discrimen Filius Dei voluit, et nequaquam eius sermo mutandus est. Usus autem est vocabulis humanis, quasi deducens nos ad aspectionem naturae hominis, ut inde similitudo et umbra sumatur. Sunt autem in anima hominis duae praecipuae potentiae, Intelligens et Volens. Intelligens format imaginem, quoties de amico cogitat, statim eius imaginem in mente quasi pingit. Volentis autem potentiae sunt amor, odium et alii affectus, et cum hac copulatum est in homine cor, quod gignit Spiritus, videlicet flammulas quae sunt incitatrices actionum, motuum et affectuum. Sit igitur hoc discrimen inter nasci et procedere.

Nasci est a potentia intelligente, quia Filius cogitatione nascitur, et est imago Patris, et prolato verbo nobis ostendit Patrem et voluntatem eius, per quod verbum et ipse notitiam in nobis accendit.

At procedere est a voluntate, quia Spiritus sanctus est agitator, seu amor substantialis, et tanquam ignis amoris, quo Pater Filium complectitur, et Filius Patrem. Item quo postea Pater et Filius copulant sibi Ecclesiam, et communicant ei suam laetitiam et amorem.

DE DUPLICI DISCRIMINE PERSONARUM.

Est autem duplex discrimen personarum. Aliud est interius, ut Pater gignens, Imago genita, Spiritus procedens. Aliud est externum a beneficiis erga Ecclesiam sumtum, ut Filius et Spiritus sanctus mittuntur ad Ecclesiam statim ab initio. Filius constituitur Mediator, patefacit promissionem, orat pro Ecclesia, est custos Ecclesiae, immediate conservat ministerium Evangelii, loquens cum Patribus et Prophetis, postea assumsit humanam naturam, fit redemtor et persona, per quam immediate protegitur Ecclesia, manifestum iudicium fit immediate per ipsum.

Spiritus sanctus mittitur in corda sanctorum, ut in nobis accendat motus congruentes cum Lege Dei et laetitiam et invocationem. Haec omnia discrimina mens in quotidiana invocatione intueatur, ut discernamus nostram invocationem ab Ethnica, Mahometica, Iudaica, et ab aliarum sectarum furoribus, quia scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, et ei soli servies. Item, Non habebis Deos alienos.

Ut autem vitentur ambiguitates et insidiae in vocabulis, summa cura retineamus appellationes et phrases traditas in sermone Prophetico et Apostolico, et usitatas in vera Ecclesia, nec gignantur portentosae appellationes, quales finxerunt Haeretici, quadrigas Aeonum et provolas et alia portenta. Consideremus autem in scriptis Propheticis et Apostolicis, ubi proprie de generatione aeterna dicatur, ubi de generatione visibili Christi, ubi de adventu ad ministerium. Iohan. 8. Ego a Deo exivi et venio. Hic dicitur proprie de missione et de adventu ad ministerium, quia obiurgat Iudaeos, quod non velint sermonem eius audire. Sicut mox sequitur: Si Veritatem dico, cur non creditis mihi? In Michaea capite quinto dicitur: Et tu Bethlehem Ephrata parvula est in millibus Iuda, id est, in populo Iuda, ex te mihi egredietur qui erit Dominator in Israël. Hic egressio significat generationem visibilem, qua Christus ex virgine editur in Bethlehem. Deinde mox sequitur: Et egressiones eius sunt ante dies mundi. Etsi autem ut in brevi dicto aliquid est obscuritatis, tamen simplicissimum est, hic intelligi generationem aeternam, quia dictum concionatur de utraque generatione. Si quis autem disputabit, cum nomen egressionis seu processionis alibi tribuitur Spiritui sancto, cur hic Filio tribuitur? Respondendum est: vocabulum egredi communius esse, Sed cum de Filio dicitur, declarandum est per vocabulum Gigni seu nasci. Filius egreditur ut genitus. Item, λόγος et imago, Sed Spiritus sanctus procedit ut agitator et laetificator. Item discernator egressio, altera est a potentia cogitante, altera est a voluntate. Aliquid etiam interest inter verba ἐξελθεῖν et ἐκποςεύεσθαι. Nam πόρος est agitatio et motus. In Psalmo, dixit Dominus, legitur: ex utero ante luciferum genui te, quod antiquitas accommodavit ad generationem aeternam. Sed si legitur: ex utero, mane veniet tibi ros generationis tuae, tum quadrat ad generationem ex virgine, ex qua nascitur Christus velut ros coelestis, videlicet Filius missus de coelo, et sine semine virili assumens humanam naturam in virgine. Haec recito, ut iuniores sint circumspecti in loquendo, et discant et tueantur phrasin verae Ecclesiae, nec ludant ambiguitatibus, aut hyperbolis, aut Acyrologiis. Ac ad commonefactionem utile est formam precationis tenere, utcunque recitantem discrimina, et deducentem nos ad patefactiones, ut cogitemus quid, et quem alloquamur, et cur exaudiamur.

AD DEUM PATREM.

Omnipotens aeterne, vive et vere Deus, aeterne et unice Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te patefecisti immensa bonitate, et clamasti de Filio tuo Domino nostro Iesu Christo. Hunc audite, conditor et conservator coeli et terrae, et angelicae Ecclesiae et humanae, et opitulator, resuscitator mortuorum et salvator, una cum Filio tuo coaeterno Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto, sapiens, bone, verax, caste, iudex iustissime, misericors, liberrime, qui dixisti: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat: confiteor tibi me multipliciter peccasse, et doleo quod offendi te, doleo etiam de omni immunditia mea. Oro autem toto pectore, miserere mei, et remitte mihi omnia peccata mea, et iustifica me per et propter Iesum Christum, crucifixum pro nobis, et resuscitatum, λόγον καὶ εἰκόνα σου ἀΐδιον, id est, imaginem sempiternam tuam, quem voluisti pro nobis

victimam, *καὶ μεσιτην καὶ ἱκέτην* esse, mirabili et inenarrabili consilio, et immensa bonitate, et sanctifica, me Spiritu tuo sancto, casto et veraci, ut te agnoscam, invocem, timeam et diligam verum Deum omnipotentem, sapientem, castum et veracem aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, et Dominum nostrum Iesum Christum et Spiritum sanctum, qui te patefecisti misso Filio, collige Ecclesiam inter nos, da salutaria et pia regimina, protege me et familiam meam, oppidum nostrum etc.

AD [FILIUM IESUM CHRISTUM] MEDIATOREM.

Omnipotens Domine Iesu Christi Fili Dei *λόγε καὶ εἰκὼν ἀΐδιε ἀϊδίου.* Emanuel, nate ex virgine, crucifixe pro nobis et resuscitate, qui es Sacerdos in aeternum, sedens ad dexteram aeterni Patris, et es deprecator pro nobis, sapiens, bone, verax, caste, iudex iustissime, misericors, liberrime, qui dixisti: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, ego reficiam vos, miserere mei, et intercede pro me apud aeternum Patrem tuum, et sanctifica me Spiritu sancto tuo, collige tibi inter nos Ecclesiam, et eam guberna, sicut dixisti: Ero vobiscum usque ad consummationem seculi, da salutaria et pia regimina, protege me et familiam meam, et depelle a nobis Diabolos hostes nostros, sicut dixisti: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.

DE CREATIONE.

Factorem coeli et terrae.

Etsi naturalis ratio in hominibus convincitur ordine corporum mundi, et motuum coelestium, conservatione specierum, et ipsa naturali notitia legis in mentibus, ut fateri cogatur esse Deum, sapientem, bonum, veracem, iustum, et a Deo conditum esse mundum, tamen in hac infirmitate hominum languida est assensio, et Philosophi affinxerunt multos tetros furores, ideo in Ecclesia divinitus patefacta est vera doctrina de Creatione, et illustris asseveratio traditur, quod Deus sit essentia aeterna, distincta a rebus creatis, et quod liberrima voluntate condiderit coelum et terram, angelos et homines et alias creaturas ex nihilo, nec fuit alia aeterna res ante creationem, nisi sola essentia divina, et execrandi sunt furores Philosophorum, qui fingunt Deum esse quiddam, quod tantum sit in quadam materia coaeterna, et necessario in ea sit, et necessario formet eam. Adversus haec Diabolica deliramenta veris testimoniis divinis muniendae sunt mentes, ac primum de causa efficiente et finali cogitandum est, postea recitanda sunt testimonia, quod libera voluntate res sint conditae. Item, quod res ex nihilo sint conditae. Item, quod cum creatione simul oporteat intelligi perpetuam conservationem substantiarum, quod videlicet Deus non discesserit a suo opere, sicut faber discedit a navi post fabricationem.

DE PRIMO.

DE CAUSA EFFICIENTE CREATIONIS.

Quod Creatio sit opus commune aeterni Patris, Filii et Spiritus sancti manifeste significatum est Gene. 1. in hoc dicto: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et de Filio multa sunt expressa testimonia in Iohanne, Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. Item, Pater meus usque modo operatur, et ego operor. De Spiritu sancto Gene. 1. dictum est: Spiritus Domini ferebatur super aquas. Et Psalmo 33. Verbo Domini coeli facti sunt, et Spiritu oris eius omnis exercitus eorum. Hic tres personae nominatim recitantur, et diserte de persona dicitur 1. Corinth. 12. Omnia haec efficit unus et idem Spiritus. Cum igitur creatio sit commune opus trium personarum, tradita est regula: Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa, id est, personae simul sunt, et simul agunt, et tamen haec regula sic intelligenda est, ut sua cuique personae proprietas tribuatur. Pater creat dicens, ut scriptum est in Genesi: Et dixit Deus, faciamus hominem etc. Pater igitur creat per Filium qui est Verbum, in quo lucet opus totius opificii, et Spiritus sanctus immediate fovet creaturas et motum impertit. Ideo dicitur: Spiritus Domini fovebat aquas. Ac Iohannes et Paulus certo consilio utuntur hoc modo loquendi, ut dicant per Filium omnia creata esse, et cur dicatur, quod cogitatione considerandum est. Haec magis perspicua fiunt, cum restitutionem Adae et Evae intuemur: Pater mittit Filium, qui edit promissionem; et Filius sonans promissionem simul est efficax in corde, ostendens voluntatem arcanam Patris, et per Verbum Spiritus sanctus immediate laetificat et movet corde ad invocationem Dei, et accendit tales motus qualis ipse est.

DE SECUNDO.

DE CAUSA FINALI CREATIONIS.

De causa finali quare mundus conditus sit. Quia Deus cum sit optimus, voluit habere creaturas quibus suam bonitatem communicet, et quidem rationalibus creaturis communicat illa, quae sunt in ipso optima, scilicet sapientiam, iustitiam, libertatem electionis, vitam aeternam, et laetitiam aeternam, et intellectum horum istorum bonorum, ut vicissim ille celebretur. Assidue autem consideranda est magnitudo dilectionis Dei erga nos, Primum in creatione transfudit in nos radios eorum bonorum, quae in ipso sunt summa, et voluit hominem esse domicilium et templum Dei. His tantis bonis amissis, rursus magnitudo amoris fit illustrior, cum Filio deprecante recipimur et natura humana non solum fit domicilium Dei, sed etiam fit unio personalis Filii et naturae assumtae. Huius mirandi operis causae et modus in tota aeternitate considerabitur, sed hanc esse principalem causam impulsivam, quod Filius missus est, videlicet, dilectionem Dei erga nos, affirmat ipse Filius, cum ait: Sic dilexit Deus mundum, ut dederit Filium unigenitum. Paulus inquit: Dilexit nos in dilecto. Rursus igitur propter hunc Filium alii homines fiunt domicilia et templa Dei, agnoscitur Deus in hac vita per Verbum, et Spiritus sanctus immediate accendit motus in corde tales qualis ipse est, ac post hanc vitam Christus tradet regnum Patri, id est, adducet Ecclesiam ad Patrem, et tota divinitas se immediate ostendet et conspicietur, et erit efficax in beatis, non aget per ministerium Evangelii, de hoc fine loquitur Filius, cum ait: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te esse solum Deum, et quem misisti Iesum esse Christum. Item, sit dilectio tua in eis qua me diligis. Affirmat igitur ideo conditum esse genus humanum, ut Deus illam ingentem bonitatem suam nobis communicet, quae est maxime illustris in copulatione divinae et humanae naturae in Filio. Ideo Paulus inquit, in hunc Filium omnia condita esse, id est, ad hunc finem, ut conspiciatur hoc mirandum opus Dei, in quo sic communicavit humanae naturae Deus suam bonitatem, ut etiam unione ὑποστατικῇ Filius assumserit humanam naturam.

DE TERTIO.

Quod res sint conditae ex nihilo.

Quod Deus condiderit res alias omnes ex nihilo confirmat dictum Iohannis 1. Omnia per ipsum

facta sunt, Ergo non fuit materia coeli et terrae aeterna, non facta sicut Stoici et alii quidam duo aeterna finxerunt mentem et materiam. Saepe etiam Scriptura affirmat Deo dicente res creatas esse. Non igitur ex alia priore materia factae sunt, et usitatum est in Ecclesia creationem nominari fabricationem rerum ex nihilo.

DE QUARTO.

Quod libera voluntate res sint conditae.

Quod Deus libere et volens tunc cum voluit condiderit mundum, et quod sit agens liberrimum, manifeste testatur dictum Psalmi 114. Omnia quaecunque voluit fecit, et Psalm. 135. Omnia quaecunque voluit Deus fecit in coelo et in terra.

DE QUINTO.

Quod conservet Deus res creatas.

Infirmitas humana etiamsi cogitat Deum esse conditorem, tamen postea affingit hanc imaginationem, ut faber discedit a navi extructa, et relinquit eam nautis gubernandam, ita Deum discedere a suo opere, et relinqui creaturam tantum propriae gubernationi.

Haec imaginatio Deum removet a creaturis, et fingit eum otiosum esse, contra hunc tetrum errorem erudiendae sunt mentes, et firmissime statuendum est, etsi Deus est alia res distincta a creaturis, tamen adesse eum universae creaturae, et omnium creaturarum substantias quae servantur, et quatenus servantur, sustentari a Deo, sed ita tamen, ut Deus sit agens liberum, sustentet donec vult, agat simul quatenus ipse decrevit, et moderetur ac mutet aliqua propter salutem Ecclesiae suae immensa bonitate, hanc praesentiam Dei confirmant haec dicta: Actorum 17. In ipso vivimus, movemur et sumus, id est, per ipsum creatura sustentatur et fovetur vita nostra.

Retinendum est autem discrimen inter creatorem et creaturam, inter essentiam creantem et essentias creatas, dicit enim vox divina Deutero. 4. Ut scias quod יְהוָה Dominus sit Deus, et non est alius praeter eum, et discernantur motus Diabolorum a motibus divinis in hoc dicto: Cum mendacium loquitur, ex proprio loquitur. Heb. 1. Ge-

stans omnia verbo potentiae suae. Coloss. 1. Omnia per ipsum consistunt. 1. Timoth. 6. De Deo dicitur, qui vivificat omnia. Hier. 23. Coelum et terram ego impleo. Haec rerum sustentatio et conservatio, qua Deus adest toti opificio suo, et rerum substantias servat, sustentat coelum, et motus coelestes, foecundat terram, procreat fruges in terra, creat vitam in viventibus, nominatur usitata appellatione actio Dei generalis seu praesentia universalis. Alia nominatur actio specialis, quae est sanctificatio, qua in Ecclesia per Verbum et Spiritum sanctum iustitia et vita aeterna restituuntur, et simul agnoscitur et invocatur Deus, et fiunt alia extraordinaria opera in Ecclesia, ut conservatio in fornace Babylonica, ac certo consilio Deus et ordinaria opera, et extraordinaria facit.

Ordinaria ostendunt hanc naturam non casu confluxisse, sed sapientem conditorem, autorem esse ordinis.

Extraordinaria ostendunt hunc conditorem esse essentiam distinctam a mundo, et esse liberum agens, et posse aliter agere, quam cient causae secundae, et multa moderari in natura suo liberrimo consilio, observandum est igitur quae dicta loquantur de universali praesentia, quae de speciali.

DE SEXTO.

An omnia fiant necessario.

Cum Deus sustentet totam naturam rerum, oriuntur quaestiones quomodo sustententur, an sit necesse omnia ferri et fieri, sicut feruntur et fiunt. Item, quae sit causa peccati, si Deus ipse adest naturae.

Etsi autem multae spinosae disputationes in his quaestionibus motae sunt, tamen explicatio simplicior esset, si haec responsio semper in conspectu esset, Deum esse agens liberrimum, et libere adesse causis secundis, et cum eis agere quatenus ipse sua immensa bonitate et sapientia agendum esse iudicat. Haec brevis responsio liberat bonas mentes a multis quaestionibus, et vult Deus modum esse disputationum et consistere nos in expressis testimoniis divinis, iuxta dictum: Lucerna pedibus meis verbum tuum.

Stoici alligarunt Deum ad causas secundas, id est, finxerunt Deum nihil aliter facere posse, quam ut causae secundae sua natura cient, ut cum Sara sit sterilis et anus, cogitant impossibile esse fieri eam matrem: ita omnes homines in hac naturali caligine intuentes ordinem naturae, delabuntur in hanc imaginationem, ut existiment nihil aliter fieri, quam ut hic ordo ciet. Hac imaginatione impediri invocationem manifestum est, quid enim prodest petere ea, quae alioqui necessario fiunt? et quid prodest petere gubernationem divinam, aut mitigationem malorum, si mutari cursus secundarum causarum non potest?

Haec cum Stoicis obiiciebantur, fateri etiam impie audebant non nostrae indigentiae causa Deum invocandum esse, sed tantum gratiarum actionis causa, quod hunc ordinem physicum conservet. Item quid prosunt consilia, leges, et diligentia regendi mores, si nulli motus in humanis voluntatibus mutari possunt?

Talia absurda cum sequantur ex Stoica necessitate, recte docenda est Ecclesia, Suntque haec vera principia firmissime tenenda, Deus est agens liberrimum, et adest suo opificio, non ut Stoicus Deus, sed ut agens liberrimum. Et quanquam sustentat rerum substantias, et magna ex parte servat ordinem corporum, quem instituit: tamen immensa misericordia multas partes moderatur, et saepe secundas causas vel adiuvat vel impedit, vel prorsus mutat. Haec libertas in exemplis consideretur. Statim initio post lapsum Adae et Evae cum ordo sancitus esset, ut extinguerentur propter peccatum, et ordo iustitiae divinae sit firmior, quam ordo in causis physicis, tamen hic Deus se patefecit, et immediate sine causis secundis servat hominem. Moisi dividit aquas maris rubri longo spatio per aliquot dies. Praelianti Iosuae sistit solem. Ezechiae sol regreditur. Tres Israelitae servantur in fornace Babylonica. Christus, Prophetae et Apostoli resuscitant mortuos. Talia extraordinaria opera omnia sunt testimonia libertatis in Deo, et ostendunt eum non alligatum esse causis secundis, sed propter Ecclesiam saepe eas moderari et mutare.

Praeterea certissimum est, Deum saepissime consilia et voluntates hominum flectere quo vult sine causis secundis, ut cum movet Alexandri mentem ad bellum Persis inferendum, et deinde praeliantis dextram regit, seu cum incutit terrorem fugientibus hostibus, ut Psalmus inquit: Terribili et potenti, qui aufert Spiritum Principum.

Iam addantur testimonia ex dictis Propheticis et Apostolicis. Psalmo 114. Omnia quaecunque voluit fecit. Ioel. 2. Scindite corda vestra, misericors et miserator est Dominus, patiens et multae misericordiae, et poenitet eum poenae, Sicut de Ninive retractat promulgatam sententiam. Item

Zachariae 1. Convertimini ad me, et ego convertar ad vos. Lucae 21. Orate, ut possitis effugere ventura mala. Deut. 8. Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei. Matth. 21. Omnia quae petetis credentes, accipietis, Si dixeritis huic monti: iacta te in mare, fiet. Psalmo 23. Etiamsi ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo malum, quia tu mecum es. Psalmo 9. Exaltes me de portis mortis. Matth. 8. Si vis, potes me mundare, volo, mundus esto. Talia dicta omnia testantur Deum esse agens liberrimum, et saepe tollere aut lenire poenas, quae iam ordine legis, et causarum secundarum in nos irruunt.

Ut igitur necesse est in omni invocatione promissiones cogitare, ut: Petite et accipietis. Invoca me in die tribulationis, et ego eripiam te et similes. Sic et cogitandum est, Deum adesse creaturis, et esse liberrimum agens, et posse tollere aut mitigare mala, etiamsi causae secundae videntur adversari, ideo dictum est de Abraham: Credidit contra spem in spem. Et rex Iosaphat inquit: Cum nescimus quid sit agendum, oculi nostri ad Dominum tollantur. Et Ephe. 3. dicitur, Deum posse excellenti modo, et excellentia facere, quae petimus supra quam intelligimus. Et Psal. 71. Liberavit pauperem cui non erat adiutor. Psal. 90. Cum ipso sum in tribulatione. Oseae. 1. Salvabo eos non in arcu nec in gladio, sed in Domino Deo, id est, Filio suo. Et Zacha. 4. Non in exercitu, nec in robore, sed in Spiritu meo defendam eos, dicit Dominus exercituum.

Talia dicta multa sint in conspectu, ut sint consolationes, accendant invocationem et confirment fidem et spem, et ut consideretur potentia Dei, praesentia et gloriatio in Ecclesia.

Est autem libertas in Deo posse creaturas condere et non condere, posse conservare et destruere, et invare mediate per creaturas, et immediate extra creaturas, et quanquam tantum bona facit, tamen posse bona multiplicia et dissimilia facere. Haec primum scienda sunt, quia libertas in Deo est fons contingentiae et libertatis in creaturis.

DE CONTINGENTIA ET CAUSA PECCATI.

Primum considerent Studiosi, quid vocabula significent: Necessitas: Impossibilitas, Libertas, Contingentia, et traduntur explicationes in Dialecticis.

Sunt autem quatuor Gradus necessitatis.

Primus est propositionum de essentia et de proprietatibus Dei, ut: Deus est sapiens, verax, volens iusta, casta. Est autem simpliciter necessarium, quod est prorsus immutabile, et cuius contradictorium est simpliciter impossibile, ita ut causa non possit quidem aliter agere, hanc nominant absolutam necessitatem.

Secundus Gradus est definitionum et demonstrationum, quae etiam prorsus sunt immutabiles.

Tertius Gradus est necessitas Physica, videlicet ordo in creaturis, ut motus solis et in aliis creaturis, actionum ordo, qui non potest mutari potentia creaturae, sed potuisset aliter condi, et potest a Deo mutari, et Deus ostendit multa exempla, ut cum iussit consistere solem aut regredi, cum fecit anus steriles foecundas.

Quartus Gradus est mutabilium, quae tamen necessitate consequentiae dicuntur necessaria, id est, quae sunt quidem re ipsa mutabilia, sed non mutantur, vel quia sic a Deo decreta sunt, vel quia sequuntur ex causis quae non mutantur, cum tamen mutari potuissent, vel quia cum fiunt, contradictoriae simul verae esse non possunt, ac magna dissimilitudo est propositionum huius gradus, quia aliter iudicandum est de rebus bonis quae fiunt decreto Dei, Item, volente et adiuvante Deo. Aliter de rebus malis, quae fiunt sine decreto Dei, nec volente, nec impellente, nec approbante Deo. De hac distinctione postea copiosius dicetur.

Necessaria est resuscitatio mortuorum, quia Deus edidit de ea decretum. Paulus inquit: Oportet haereses esse, scilicet necessitate consequentiae, quia in multis ingeniis magna est petulantia, et incitata a Diabolis, qui delectantur ludis novarum opinionum, ex his causis sequuntur haereses, cum tamen frenari et impediri possent.

Saul necessario punitur, quia causas non mutat, cum posset non insidiari Davidi et non interficere Sacerdotes. Denique omnia cum fiunt, ideo tunc necessaria dicuntur necessitate consequentiae, quia contradictoriae non possunt simul verae esse, ut cum Plato sedet, contradictoria falsa est. Plato non sedet, Vult enim Deus distinctionem esse inter veritatem et falsitatem, et vult esse certitudinem.

Haec commonefactio de appellatione necessitatis hic consideretur.

Contingens autem dicitur, quod cum fit, habet causam quae posset ex natura sua aliter agere, et fons contingentiae primus est, libertas voluntatis in Deo. Deus liberrima voluntate creat genus humanum, ordinavit cursum solis, iubet solem regredi, iubet aquas in mari rubro consistere, etc. Haec potuisset non facere, et aliter facere: ita discrimen inter agens liberum et non liberum consideretur.

Sic autem condidit Deus angelos et homines, ut essent ipsi quoque agentia libera, manet aliqua libertas etiam in hominibus post lapsum, haec libertas etiam causa est contingentiae actionum humanarum, Patris frenare locomotivam poterat, ne raperet Helenam.

Nunc consideratis appellationibus teneatur in Ecclesia firmissime haec vera doctrina. Primum quod Deus non sit causa peccati, nec velit peccatum, nec impellat homines ad peccandum, nec approbet peccatum. Postea ex hac verissima sententia sequitur perspicue, quod voluntas in Diabolis et hominibus sua libertate averterit se a Deo, sequitur et deinceps, non omnia quae fiunt, necessario fieri: Cain non necessario interficit fratrem.

Quod autem Deus nec sit causa peccati, nec velit peccatum, nec impellat voluntates ad peccandum, nec approbet peccatum, perspicuum est ex multis firmis testimoniis, quorum aliqua recitabo. Gene. 1. Vidit Deus omnia quae fecerat, et erant valde bona, id est, Deo placentia ordinata, congruentia ad ordinem in mente divina, et ad certos usus profuturos homini condita. Psal. 5. Non Deus volens iniquitatem tu es, id est, Deus vere et non simulate odit peccata.

Iohan. 8. Quando mendacium loquitur Diabolus, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater mendacii. Pater, id est, primus fons et causa mendacii. Discernit autem Dominus mendacium a substantia, quasi dicat substantiam quidem habet Diabolus aliunde acceptam. Nam omnes Angeli sunt essentiae a Deo creatae, quorum aliqui postea lapsi sunt, habet autem proprium quiddam Diabolus non a Deo acceptum, videlicet mendacium, id est, peccatum, quod est destructio orta a libera voluntate Diaboli avertentis se a Deo. Neque haec inter se pugnant, ut postea rursus dicam, Substantiam a Deo conditam esse, et sustentari et tamen voluntatem Diaboli et hominis causam esse peccati, quia voluntas abuti libertate sua potuit, et sese a Deo avertere, Zachariae 8. Malum ne cogitetis in cordibus vestris, et iuramentum mendax ne diligatis, omnia enim haec sunt quae odi, dicit Dominus.

Iam addantur plura testimonia, quae refutant Pelagianos. Quae quidem non ita accipienda sunt, ut confirment prophanitatem, aut desperationem adferant, sed ut sciamus immensa misericordia offerri auxilium omnibus confugientibus ad Filium in veris doloribus: Sicut ipse Dominus inquit: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Item, Petite et accipietis. Item, Quanto magis Pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus? non ait contemnentibus, aut fingentibus se expectaturos esse violentos raptus, ut Enthusiastae fingunt. Sed vult Deus nos audire vocem Evangelii, non vult nos indulgere dubitationibus, et diffidentiae, vult nos luctari, ut assentiamur verbo, et petere auxilium, Sicut Propheta clamat: Converte me et convertar. Et ille inquit apud Marcum: Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meae. Ac nequaquam fingendae sunt in Deo contradictoriae voluntates: Nam ideo Filius Dei ex sinu aeterni Patris Evangelium protulit, ut sciamus hanc ipsam esse voluntatem Dei, quae per Filium patefacta est.

Est autem utraque praedicatio universalis, concio poenitentiae arguens peccata in omnibus, et promissio gratiae, sicut inquit Dominus: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis.

Non igitur quaeramus alienas disputationes de electione, sed a voce Evangelii ordiamur, et expavescamus agnitione irae Dei adversus peccatum, et confugiamus ad Filium, et petamus sicut Propheta inquit: Converte me et convertar. Hoc cum fit, concurrunt hae causae, vox Evangelii, et ipse Filius Dei intus nos docens, et simul effundens Spiritum sanctum, qui cor confirmat, ut assensio et obedientia inchoëntur. Concurrit et voluntas nostra luctans, ut assentiatur verbo Dei, et non repugnet. Posset enim excutere, ut excutit Saul sua sponte. In hoc certamine adiuvantur Mens et Voluntas a Filio Dei intus docente, et Spiritu sancto confirmante corda, nec tamen habent se Mens et Voluntas ut statua. Ideo dixerunt veteres, Praecedente gratia, comitante voluntate, bona opera fieri. Et Basilius inquit: μόνον θέλησον καὶ θεὸς προαπαντᾷ. Tantum velis, et Deus praeoccurret.

Deus antevertit nos, et vocat, edita voce Evangelii, docet et trahit mentem per Filium: Confirmat cor Spiritu sancto, sed nos viderimus, ne repugnemus. Constat enim oriri peccatum a nobis, non a voluntate Dei. Chrysostomus inquit: ὁ θεὸς μὲν ἕλκει, τὸν βουλόμενον δὲ ἕλκει. Et 2. ad Cor. 6. dicitur. Ne frustra gratiam Dei accipiatis: Item, Habenti dabitur. Item, Quanto magis Pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Non igitur cogitemus prophana securitate expectandos esse violentos raptus, sicut loquuntur Enthusiastae, sed obediamus Deo trahenti nos voce Evangelii, et in vero dolore discamus, qualis sit haec lucta voluntatis, Quae si haberet se ut statua, nullum esset certamen. Haec pie cogitanda sunt, et addenda est Invocatio, sicut dictum est: Petite et accipietis.

His consideratis dulcescent multa dicta, quale hoc est, Deus qui efficit ut velitis, efficiet etiam ut perficiatis, ut ipsi grata fiant. Consolatio est, qua eos confirmat, qui non sunt omnino prophani, sed trahuntur et confugiunt ad DEUM, agnoscunt autem aliquo modo, et propriam infirmitatem, et ingentia impedimenta, quae foris accedunt, his promittit Deus suam praesentiam et auxilium.

Ac diligenter consideranda est magnitudo humanae miseriae.

Primum in nobis ipsis magna caligo est, quae est causa multorum errorum in deliberationibus, etiam sanctorum, et habentium magna dona. Sunt et in voluntate et in corde aversiones a Deo, et multa incendia vitiosorum affectuum.

Secundo foris accedunt Diabolicae insidiae et impulsiones, sicut Dominus inquit: Depoposcit vos Satan, ut cribaret vos.

Tertio impedimenta bonarum actionum innumerabilia offeruntur a malis hominibus, ut Davidem militantem impedit Saul. Tyranni impediunt emendationem Ecclesiae, languefiunt animi odiis adversantium, calumniis et saevitia.

Quarto, Sunt et locorum et temporum incommoda. Iosias bonus Rex incidit in tempus infelicius. Multis nocent mala exempla et scandala,

multorum pia studia impedit paupertas etc. Denique confusiones huius vitae innumerabiles sunt, quae turbant aut impediunt recte agentes. Adversus hanc tantam molem consolatur nos haec promissio. Deus perficiet, id est, Quanquam et vos infirmi estis et magna sunt impedimenta, tamen veniet Deus, et veniet ideo, ut aliqua ipsi grata fiant, quasi dicat, Ne universum genus humanum frustra conditum sit, Deus aliquos trahit et adiuvat, ut faciant ipsi grata, cum reliqua multitudo ruat horrendis furoribus et faciat ingrata Deo.

Hieremias 10. Scio Domine, non est hominis via eius, ut dirigat gressus suos.

Recte discernenda sunt dicta de electione, et de eventibus. Nam Hieremias non hoc vult, renatos non velle recte facere. Loquitur enim de sese, et de aliis sanctis, qui certe volunt recta facere, cum voluntas in eis iuvetur Spiritu sancto: Sed via significat vocationem, quae ut sit felix, petit a Deo dari, et consilia, et prosperos eventus, ut Iosias sanctus Rex errabat in consilio, cum bellum inferret Aegyptio, et eventus non adiuvabatur divinitus. Est in Moise voluntas obediendi Deo in populo ducendo in terram promissam, et tamen plurima impedimenta praeter ipsius opinionem incidunt. Ita Hieremias non hoc inquit, nullam esse electionem in ullorum hominum voluntatibus, Sed de nostra infirmitate et impedimentis in vocatione concionatur, ut sciamus vocationes a Deo ordinatas esse, et petamus ut ipse eas regat, det nobis recta consilia, et successus, sicut Psalmus docet: Commenda viam tuam Deo, id est, vocationem, spera in eum, et ipse faciet.

Suam quisque vocationem et militiam, id est, sui officii opera et pericula consideret. Sciat a Deo ordinata esse diversa ministeria, Oeconomica, Politica, Ecclesiastica, et haec sine auxilio Dei non regi foeliciter, sicut et Dominus inquit: Sine me nihil potestis facere, scilicet, salutare, sed qui manet in me, et ego in eo, hic fructum copiosum feret. Sapientia Dei apud Salomonem inquit: Penes me est consilium et successus. Petamus igitur et vocari nos ad labores utiles, ac gubernari ac iuvari, ut cursus noster prosit nobis et aliis, et fiamus vasa misericordiae, non vasa irae, ut fuerunt, sunt et erunt multi impii, qui magnos labores sustinent, sed perniciosos sibi ipsis et aliis, ut Alcibiades, Agathocles, Marius, Catilina, et alii innumerabiles. De his cogitationibus et de invocatione Dei monemur dicto Ieremiae et similibus, videlicet: Non potest sibi homo sumere quicquam, nisi sit ei datum desuper.

De duobus dictis, quae extant apud Hieronymum.

Hic duo dicta, quae extant apud Hieronymum, explicanda sunt. Alterum est, Anathema sit, si quis dixerit Deum impossibilia praecepisse. Etsi in hac brevi recitatione non dicitur, quae fuerit occasio faciendi huius decreti, et adversus quos factum sit, tamen existimo proprie Manichaeos hoc decreto condemnatos esse qui finxerunt multitudinem hominum a malo principio creatam esse, et eam non posse converti ad bonum, et necessario non solum interiora vitia habere, sed etiam externa scelera facere.

Hos horrendos furores damnare et execrari necesse est, illustranda est veritas, tantum esse unam essentiam divinam, creatricem rerum, aeternam, omnipotentem, sapientem, veracem, bonam, iustam, castam, liberam, et ab hac conditos esse primos parentes sine pravitate, sed eos libertate voluntatis abusos, sese sine coactione avertisse a Deo, et amisisse lucem et rectitudinem, quam in creatione acceperant. Ab hac una massa corrupta reliquum totum genus humanum oriri, et ab una essentia divina conditrice, cona, conservari, et omnes homines posse externa opera in Lege Dei praecepta facere, et tamen, quia Filius Dei Mediator ex hac misera massa assumturus erat humanam naturam, verissime omnes homines, qui in poenitentia confugiunt ad Filium Dei fide, recipi et fieri haeredes vitae aeternae.

Haec doctrina contra Manichaeos firmissime retinenda est, et execrandus est furor Manichaeorum, qui finxerunt Neronem et similes cogi, ut faciant externa scelera. Adversus hos furores Manichaeorum existimo decretum, quod recitat Hieronymus, factum esse.

Nos autem plane discernimus externa facta ab integra impletione Legis, quae est Lux et conformitas cum Deo sine peccato, et accenditur ab eo communicante se et suam sapientiam et iustitiam homini.

Dicimus autem homines etiam non renatos externa Legis opera facere posse, quanquam faciles sunt lapsus propter propriam infirmitatem, et Diabolicas insidias: Sed haec externa disciplina nequaquam est integra Legis impletio, quanquam Politica sapientia nihil nisi externam obedientiam praecipi cogitat. Sed haec Pharisaica seu humana imaginatio universaliter refutatur in concionibus

Christi, Prophetarum et Apostolorum. Ideo Paulus inquit: Impossibile est Lege iustificari. Item, Caro non potest subdi Legi Dei. Item, Ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro. In his et similibus dictis affirmat neminem in hac vita mortali posse habere integram Legis impletionem excepto Christo. Nec dictum illud recitatum a Hieronymo testimoniis divinis opponendum est.

Alterum dictum est: Anathema sit, si quis dicit, Legem posse fieri sine gratia. In hoc dicto necesse est scire, quid sit Gratia, Nam recentiores tantum intelligunt auxilium Dei, quasi dicat: Lex tunc fit, quando homo adiuvatur a Spiritu sancto, ut David est fortis, cum Spiritus sanctus eum armat et ei robur addit, et dexteram regit.

Haec vulgaris declaratio, etsi prodest nos commonefieri de auxilio Dei, tamen non est sufficiens, sed gratia primum intelligitur de imputatione gratuita propter Mediatorem. Primum enim oportet operibus praelucere agnitionem Mediatoris et fidem, quia statuendum est, Deo placere nos propter Filium Gratis, et placere hanc obedientiam, quanquam mutilam et mendicam.

Haec ingens bonitas Dei primum consideranda est inter beneficia Filii Dei, Deinde adiungatur et altera interpretatio de auxilio. Lex fit iuvante nos ipso Filio Dei, per quem aeternus Pater colligit sibi Ecclesiam. Hic Filius est Emanuel, ut adsit nobis, et voce Evangelii vivificet corda, et transformet nos, ut lux et notitia accendatur in nobis similis verbo, et det Spiritum sanctum, qui flectit corda ad invocationem, et excitat tales motus, qualis ipse est. Hic Filius et assidue Ecclesiam servat, quia est Emanuel defendens nos contra Diabolum, et dat necessaria corpori et animae. Utraque interpretatio de imputatione et auxilio quotidie in Invocatione cogitanda est.

De dicto syracidae.

Citantur ex capite 15. verba Syracidae de libertate humanae voluntatis. Deus reliquit hominem in manu consilii sui, Si voles servabis mandata, posuit coram te aquam et ignem, ad utrum voles extendito manum.

Augustinus breviter et recte respondet: Ad utrum voles extendito manum. Voluntas potest per sese extendere manum ad malum, Quia certissimum est, ruentes contra conscientiam non cogi, ut labantur, sed libere et volentes labi, ac refutat illo ipso loco Syracides furores eorum, qui dicunt Deum esse causam peccati. Damnat igitur Stoicam necessitatem et Manichaea portenta.

Deinde de bono etiam recte dicitur, Voluntas extendit manum. Sed adiuvatur a Spiritu sancto. Hoc addidimus ex Evangelio, quod est lumen Legis, et ostendit, quomodo Lex fieri possit, et quomodo placeat, Nec tamen voluntas est otiosa. Trahit Deus, sed volentem trahit, ut supra dictum est: et fatendum est, in renato voluntatem sic esse liberam, ut possit labi volens, et possit retinere beneficia Filii Dei, cum quidem iam iuvetur Spiritu sancto, iuxta dictum: Spiritus opitulatur infirmitati vestrae, videlicet, in petente et luctante, non in repugnante. David volens lapsus est, Et cum templum esset Spiritus Sancti, resistere tentationi poterat petens auxilium, sed volens eiecit et contristavit Spiritum sanctum. Inde magnitudo talium lapsuum consideretur. Hac responsione Augustini contentus sum.

DE EVANGELIO.

Nomen Evangelii sine ulla dubitatione significat Graecis etiam ipsum sermonem laeta nuntiantem, ut apud Appianum 4. libro bellorum civilium de nece Ciceronis: ὡδε εὐαγγέλιον Ἀντονίῳ διαφέροντες. Et apud Plutarchum in vita Pompeii, γραμματοφόροι προςήλαυνον εκ πόντου κομίζοντες εὐαγγέλια etc. Nec dubium est Deum voluisse hac insigni appellatione doctrinam de Filio et laetissimis beneficiis Filii distinguere a Lege, ut appellationis dulcedo moneret homines de discrimine Legis et Evangelii, quod in Ecclesia conspici necesse est. Id discrimen statim ostendit Iohannes initio enarrationis suae. Lex per Moisen data est, GRATIA autem et VERITAS per Iesum Christum facta est.

Gratiam nominat gratuitam remissionem peccatorum, et reconciliationem. Veritatem opponit umbris, et rebus interituris, quasi dicat: Data Lege, accepistis terram et bona corporalia, et iustitiam interituram: Sed Filius affert bona aeterna, videlicet ipsum Deum vivificantem nos vita et iustitia aeterna. Sicut Paulus discrimen ostendit, Nunc sine Lege iustitia Dei manifestata est.

Haec forma loquendi, prodigiosa est non intelligentibus fontes. Quare et Origenica interpretatio prorsus eam corrumpit. Sed Paulus monet, iustitiam Evangelii dari sine Lege, id est, Gratis propter Filium, non propter Legis observationem, et intelligit Iustitiam Dei, gratuitam reconciliationem

propter Mediatoris obedientiam, et deinde restitutionem vitae et iustitiae aeternae in nobis, Quae bona omnia sunt iustitia Dei, id est, acceptatio, qua Deus Gratis nos propter obedientiam Filii acceptat, et deinde nova et aeterna vita, lux et iustitia, quam Deus efficit, seu ipse Deus, qui tunc est omnia in omnibus. Nam inter hos modos loquendi tantum hoc discrimen est, quod alibi effectus nominatur, alibi causa.

Ac discrimen conspici potest collatis initiis et definitionibus: In primis parentibus Lux est condita, que fuit notitia Legis, et expressum mandatum additum est, ut certo testimonio exerceretur obedientia. Haec notitia Legis post lapsum mox arguit peccatum, ac vox Legis sonabat in tristissima accusatione. Quid fecisti? Hic ratio nullam vidit consolationem, sed moesta in sensu irae Dei hoc argumentum cogitabat: Iustitia Dei est obedientes servare, et inobedientes perdere, et haec iustitia est immutabilis: Nos fuimus inobedientes, Ergo immutabiliter damnati sumus.

Ad hoc argumentum nullius creaturae sapientia respondere potuit. Postea edita est promissio de reconciliatione propter venturum Semen: Inde intellecta est huius argumenti explicatio.

Iustitia Dei est immutabilis, Erit igitur aliquis sine peccato in genere humano, qui sustinebit poenam pro caeteris, et erit sufficiens pretium, Ita et satisfiet iustitiae Dei, et tamen isti recipientur, qui erunt membra illius venturi Redemtoris.

Haec promissio nequaquam fuit nota rationi, antequam ex sinu aeterni Patris prolata est. In huius historiae consideratione discrimen Legis et Evangelii valde fit illustre. Supra autem definitionem Legis et usus recitavimus, ac ibi diximus, Legem esse notitiam nobiscum nascentem, quam vult Deus notam esse, ut arguat peccatum in omnibus hominibus, ut Paulus inquit: Per Legem cognitio peccati. Semper etiam voluit Deus Legem Moralem in sua Ecclesia custodiri et doceri, et quidem ipse saepe eam sua voce repetivit, et potenter servavit incorruptam in sola Ecclesia. Et illustre testimonium est, ostendens, quae et ubi sit Ecclesia, Lex Moralis incorrupta.

Manifesta igitur impietas et insania est, dicere Legem Moralem non docendam esse in Ecclesia: sed hic sciendum est, oportere etiam Evangelium doceri, et ostendendum est discrimen Legis et Evangelii. Vox Legis ostendit, quae sint peccata, et est ministerium irae et mortis, quo, cum Deus iudicat corda, horribilem iram eius sentimus. Sicut Paulus inquit: Lex iram efficit. Sed Evangelium est consolatio: Est enim gratuita promissio, qua non propter Legem, sed propter obedientiam Mediatoris Gratis dantur credentibus remissio peccatorum, et reconciliatio, et fit vivificatio per Filium dato Spiritu sancto, et credentes fiunt haeredes vitae aeternae.

Differt igitur Evangelium a Lege et genere et differentiis. Lex est notitia praecipiens integram obedientiam erga Deum, et damnans non habentes integram obedientiam. Sed Evangelium est promissio offerens remissionem peccatorum et reconciliationem. Item Lex non habet promissiones gratuitas, sed Evangelium est gratuita promissio propter Mediatorem, Ac particula Gratis propter Mediatorem, valde illustre discrimen est Legis et Evangelii.

Hoc discrimine recte cognito, cernuntur beneficia Filii Dei et firmae consolationes, et doctrina de vera invocatione. Et refutantur multi errores, ut insulsissima distinctio trium Legum, Naturalis, Mosaicae et Evangelicae. Haec falsa distinctio ex magna confusione est nata, Sciamus autem unicam esse Legem moralem, omnium temporum, quae est aeterna sapientia in Deo, et norma discernens recta et non recta: Cuius sapientiae radios transfudit Deus in creatione in rationales creaturas, et eam postea in Ecclesia sua voce saepe repetivit, quae obligat omnes creaturas rationales, ut sint conformes Deo, et damnat omnes non conformes. Sciamus item unicam esse gratiae promissionem, quae propter Filium Gratis offert remissionem peccatorum, reconciliationem, vivificationem per Filium, donationem Spiritus sancti et vitam aeternam.

Ut igitur discrimen Legis et Evangelii semper in conspectu sit, notae sint definitiones, et pie intelligantur. Ac supra Legis definitio recitata est, Hic Evangelii definitionem recito, et pie intelligi volo.

EVANGELIUM est praedicatio poenitentiae et promissionis, cuius notitia non est insita naturae hominum in creatione: Sed miranda bonitate prolata est ex sinu aeterni Patris per Filium promissio, in qua non propter ulla merita nostra aut dignitatem nostram, sed propter obedientiam Domini nostri Iesu Christi, Gratis donantur credentibus remissio peccatorum, et reconciliatio seu iustificatio, in qua Filius Dei voce Evangelii vivificat corda credentium, et dato Spiritu sancto facit eos templa Dei, et credentes sanctificantur et propter Filium Dei Gratis fiunt haeredes vitae aeternae, et resuscitantur ad vitam aeternam, sapientiam, iustitiam et laetitiam, in qua erit Deus omnia in omnibus.

Ut autem haec definitio planius intelligatur, considerandum est, duplices esse promissiones. Prima praecipua, et omnium maxime necessaria est promissio gratiae, seu aeternorum bonorum. Alia sunt bonorum corporalium, Quia Deus in hac vita colligit Ecclesiam voce Evangelii et non aliter, promittit et largitur etiam huic corporali vitae necessaria. Ita sciamus ad primam promissionem referendas esse etiam corporales, et has quoque dari propter Mediatorem. Sed tamen discrimen tenendum est.

Prima omnium promissionum post lapsum, fuit promissio gratiae, et restitutio vitae aeternae. Semen mulieris conteret caput serpentis.

Haec promissio initium fuit Ecclesiae Dei, et fuit Evangelium illius primae Ecclesiae. Quia vero magna multitudo statim post Abel oblita est promissionis, Deus eam saepe repetivit, sicut repetita est, cum Abrahae tradita esset Circumcisio. Cum enim antea generaliter dictum esset, de Semine mulieris, tunc restrictio ad certam stirpem facta est, et postea rursus certa stirps nominata est, videlicet posteritas Davidis, ut cum certum esset, in qua gente, quo loco, quo tempore, Deus hunc Mediatorem exhibiturus esset, et splendidissime illustrata est promissio voce Prophetarum. Semper igitur in genere humano fuit nota promissio gratiae de Mediatore, Sicut Dominus inquit: Vidit Abraham diem meum et laetatus est, et semper tantum ille coetus fuit Ecclesia Dei, qui retinuit hanc doctrinam de promissione gratiae et Mediatoris, iuxta dictum: Fundamentum aliud poni non potest, praeter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Item, Nemo venire potest ad patrem, nisi per Filium.

Reliqua magna multitudo gentium oblita promissionis, aut eam contemnens, nequaquam erat Ecclesia Dei, etiamsi aliquo modo norat sapientiam Legis, quae hominibus in creatione insita est, et nobiscum nascitur. Etsi igitur in Hesiodo, Phocylide, Xenophonte, Platone, multae sunt sententiae congruentes cum Lege Dei, tamen promissio gratiae et Mediatoris ignota est eis. Ideo neque membra Ecclesiae Dei fuerunt, nec fuit apud eos vera Dei invocatio, neque agnitio reconciliationis.

Aliae promissiones sunt bonorum corporalium: Cum enim Deus Ecclesiam aeternam ita colligit, ut in hac vita eam voce Evangelii inchoari velit, et Filium miserit, ut in hac vita fieret victima, vult etiam dare res, corporali vitae necessarias, et quidem propter Ecclesiam, servat universum genus humanum, imperia et politias, quare ad promissionem gratiae, addita est etiam promissio corporalium bonorum.

Ne autem sic intelligeretur, quasi iusti sine afflictionibus in hac vita futuri essent simul adiuncta est praedictio de cruce, et significatum est, Filium Dei semper affuturum esse Ecclesiae, et mirabiliter eam inter Diabolorum insidias et impiorum furores servaturum esse. Ideo statim initio edita promissione gratiae, deinde dicitur: In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reverteris in terram etc. Hic simul praedicitur aliqua vitae spatia fore, et deinde mortem corporis secuturam esse, et in his vitae spatiis, tamen non defuturum esse, Simul autem futuras esse magnas aerumnas, accessuras etiam esse Diabolorum insidias, de quibus inquit: Inimicitias ponam inter te et Semen mulieris, sed simul significat illum promissum Dominum, qui erit semen mulieris, tunc statim repressurum esse Diabolum, et servaturum Ecclesiam: Addit etiam Deus primis parentibus vestitum, quo gestu utrumque significatur, defensio corporis in hac vita, et deinde restitutio novae pellis. Ita multae sunt mirandae picturae in illa prima descriptione de praecipuis rebus in Ecclesia, de conversione, de Gratia, de vita corporali, de cruce, de morte, de restitutione vitae aeternae, postea ad Noë repetita est promissio corporalis.

Sciendum autem est, duplices esse promissiones corporales. Aliae sunt speciales, ut de certa sede, de certa forma politiae conservanda et defendenda. Haec specialis promissio non est omnium temporum, sed Abrahae posteris tradita, et constitutum est tempus, quo durare sedes illa deberet. Nec pertinet haec specialis promissio ad caetera tempora aut ad alias gentes.

Aliae sunt generales, quae sunt omnium temporum, de victu, hospitiis, et de defensione coetus Ecclesiae, etiamsi miscentur variae afflictiones, et multa membra vagantur in exiliis, multa trucidantur. Quia semper Deus utrumque vult sciri, Ecclesiam subiectam esse cruci, et tamen in ea Filium Dei adesse, qui mirabiliter eam servat.

De his generalibus promissionibus multa sunt tradita testimonia, Matth. 6. Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis 1. Timoth. 4. Pietas promissiones habet praesentis et futurae vitae. Matth. 10. Omnes capilli capitis vestri numerati sunt, ne timete. Marci 10. Nemo est qui reliquerit domum aut agros propter me, et propter Evangelium, qui non recipiet centuplum in tempore hoc cum persecutionibus, et in futuro seculo vitam aeternam. Luc. 6. Date et dabitur vobis.

Huc adiungantur promissiones generales in Prophetis traditae, quae non solum de Iudaica politia intelligantur: Pertinent enim ad universam Ecclesiam, quia Deus vult omnibus temporibus Invocationem, Fidem, Spem, Gratiarum actionem in his consolationibus exerceri. Vult et praesentiam suam in Ecclesia, in multis mirandis liberationibus ostendere. Nota sint igitur talia dicta, ut Psalm. 49. Invoca me in die tribulationis, et ego eripiam te, et glorificabis me etc. Psalm. 33. Leones esurierunt, timenti autem Dominum non deerit ullum bonum. Multae tribulationes iustorum, et ex omnibus liberabit eos Dominus. Psalm. 36. In diebus famis saturabuntur. Psal. 90. Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Cum ipso sum in tribulatione etc. Psal. 111. Sufficientia et divitiae in domo eius. Esai 58. Frange esurienti panem tuum, et eris velut hortus irriguus.

Denique saepissime repetitae sunt hae promissiones, quia cum in tantis vitae periculis animi hominum valde anxii sint de defensione, de sobole, de mediocri forma publicae gubernationis, et cum trepidae mentes saepe quaerant, an nostri gemitus et petitiones nostrae proficiant aliquid, Deus toties inculcat has promissiones, ut sciamus ipsum ut patrem etiam ista bona daturum esse, et exaudire gemitus nostros.

Simul autem sciendum est, has promissiones, cum hac additione intelligendas esse, quod Ecclesia subiecta sit cruci, iuxta dictum: Qui vult me sequi, tollat crucem suam, et sequatur me. Item: Multae tribulationes iustorum. Etsi autem pugnare videntur, promissio bonorum corporalium, et praedictio de cruce: tamen Deus mirabiliter conciliat utrasque praedictiones. Semper enim servat corpus Ecclesiae in hac vita, et inter Diabolorum et imperiorum furores, mirandis modis illud protegit. Et quanquam multa membra sustinent aerumnas: tamen his quoque dat certi temporis cursum, et in hoc ipso cursu ea defendit, sicut Danielem servat inter Leones, Petrum in carcere, Paulum in naufragiis etc. Hanc conciliationem dictorum de cruce, et promissionis bonorum corporalium intelligunt pii, ac simul sciunt, aliam principalem promissionem esse, scilicet gratiae et aeternorum bonorum, et norunt hoc insigne discrimen retinendum esse. Amissis omnibus bonis corporalibus, tamen retinendam esse promissionem gratiae, et bonorum aeternorum et haec anteferenda esse bonis corporalibus. Ideo Iob inquit capite 13. Etiamsi occidet me, sperabo in eum. Et Dominus inquit: Ne timete eos qui possunt occidere corpus, animam autem non possunt occidere. Item, Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego refocillabo vos. Esaiae 57. Dominus habitans cum contrito et humili Spiritu, ut vivificet, Cum igitur promissio gratiae et vitae aeternae illis ipsis offeratur, qui amiserunt bona corporalia, et qui sunt in morte, manifestum est hanc aeternam promissionem retinendam esse, etiam amissis omnibus bonis corporalibus, iuxta iuramentum: Vivo ego, dicit Dominus, Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Et Psalm. 67. Deus noster, Deus salvos faciet, et in Domino Deo est exitus ex morte. Et ob hanc causam, promissio gratiae nominatur aeternum testamentum, quia res aeternas offert, et retinenda est etiam amissis aliis rebus. Utrumque igitur sciendum est, videlicet discrimen promissionum, et quod oporteat semper praelucere fidem, quae accipit promissionem gratiae, et semper retineri, etiam cum bona corporalia amissa sunt, sicut tandem in morte amittuntur.

Haec tota doctrina repetita est Psalm. 48. Mors absumet divites, verum Deus redimet animam meam ex inferis, quia assumsit me.

His necessariis admonitionibus traditis, iam ordine recitentur causae, quare Deus tradiderit promissiones bonorum corporalium.

Prima est, Ut hae promissiones sint testimonia de providentia Dei contra Epicureas imaginationes, quae fingunt casu spargi divitias et alia commoda corporalia, sicut in Poëmate dicitur: Fortuna spargit munera coeca manu. Vult autem Deus nos scire, et haec bona ab ipso condita esse, et quidem propter Ecclesiam, et suo consilio dari Ecclesiae suae, quantum ipsi videtur. Vult sibi hanc gloriam tribui, quod sit conditor harum rerum, quod etiam vita corporalis suae Ecclesiae, ipsi curae sit. Dat Abrahae hospitia, et ea defendit mirabiliter, etiamsi alios tenere ibi regna et maiores opes sinit. De hac prima causa contra Epicureos, concionatur Hieremias in Threnis cap. 3. Quis est qui dicit: Ex ore Domini egredientur nec bona nec mala? Et Psalmus inquit: Leones esurierunt, Timenti autem Dominum non deerit ullum bonum. Item, Iustus non peribit in fame.

Secunda causa, Ut promissiones corporales sint testimonia de conservanda Ecclesia in hac vita. Sicut inquit Dominus: Scit Pater vester coelestis, quod his omnibus indigeatis. Item, Evangelium habet promissionem praesentis et futurae vitae. Item, Non mortui laudabunt te Domine etc.

Tertia causa, Ut fides exerceatur petitione corporalium bonorum. Quia etiam horum bonorum petitione vult Deus exerceri Fidem et Invocatio-

nem, ut sciamus ei verae curae esse etiam corporalem vitam Ecclesiae. Iuxta Psal. Invoca me in die tribulationis, et ego eripiam te.

Quarta causa est. Quia vult Deus promissiones corporales esse commonefactiones de Spiritualibus. Nam bona corporis promissa sunt, quia colligitur aeterna Ecclesia in hac vita. Et in invocatione peti non possent, nisi praelucente FIDE, quae accipit promissionem gratiae. Ac sciamus in omni invocatione oportere praelucere fidem, quae intuetur Filium Dei, et accipit remissionem peccatorum, iuxta dictum: Nemo venit ad Patrem, nisi per Filium. Item, Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Item, Per Christum ratae sunt omnes promissiones.

Quinta. Cum velit Deus Ecclesiam in hac vita colligere, multas corporales liberationes vult esse illustria testimonia praesentiae suae in Ecclesia, cum videlicet multa inextricabilia humano consilio mota sunt, ut venditio Ioseph, difficultates eductionis populi ex Aegypto, seditio mota contra Davidem, bella Antiochi. Denique multa publica et privata accidunt, in quibus ratio exitum prospicere non potest.

In talibus periculis, cum fit liberatio, convincuntur animi, ut agnoscant Dei praesentiam, et fateantur, Deum esse protectorem et liberatorem. Sic Moises precatur in Numeris capite 14. ut audiant Aegyptii, quod tu Domine sis in hoc populo. Iosuae 3. Scient quod Dominus Deus vivens sit in medio vestri. 1. Regum 17. Ut sciat omnis terra, quod est Dominus Deus in Israël. Esaiae 37. Ut sciant omnis regna terrae, quod tu es Dominus solus. Ac ut Prophetae in petitione auxilii, hanc finalem causam Deo proponunt, ut praesentia eius conspiciatur, eodem modo nos quoque petamus. Haec tota doctrina de intellectu et usu promissionum fit illustris in ardenti invocatione et petitione auxilii.

In fine rursus hoc moneo, discernendas esse promissiones generales bonorum corporalium Ecclesiae omnium temporum factas, a specialibus, quae ad solam Iudaicam politiam pertinuerunt, ut promissio de victoriis, nominatim facta pro defensione eius politiae. Nota sit etiam explicatio argumenti de omnibus promissionibus corporalibus.

Promissio divina est immutabilis.
Ecclesiae sunt promissa bona corporalia,
Igitur Ecclesiam oportet semper sine aerumnis esse.

Breviter respondendum est ad Minorem. Omnes promissiones corporales intelligendae sunt, cum exceptione crucis et castigationis, quia haec regulae praecedunt: Si quis vult me sequi, tollat crucem suam etc. Item, Iram Domini portabo, quia peccavi ei. Et comminationes ipsae in Moise additae sic interpretantur promissiones.

Davidi promissum est regnum, sed excutitur propter delicta. Ita omnibus temporibus Ecclesia punitur, propter multa multorum delicta. Mitiget tamen Deus poenas propter aliquorum conversionem, ut ostendit exemplum Ninivae, carcer Ioseph, Danielis, calamitates Iob, Lazari, pertinent ad exempla crucis. Semper autem in conspectu sit Regula, Etiam amissis omnibus bonis corporalibus, tamen retinendam esse promissionem gratiae, iuxta dictum Iob: Etiamsi occidet me, sperabo in eum, et congruit dictum Psalmi 89. Visitabo in virga iniquitates eorum, Misericordiam autem meam non amovebo ab eo etc. Nec deficiendum est ab eo propter ullam creaturam.

DE IUSTIFICATIONE.

Ideo semper dissensiones et fuerunt et erunt de Iustificatione. Quia homines naturaliter utcunque Legem intelligunt, cogitant de iustitia iudicio rationali, nec considerant discrimen Legis et Evangelii, et quare in Evangelio alia iustitia patefacta sit. Ex hac caligine oriuntur et confusiones et dissensiones. Utile est autem initio considerare, quid ratio intelligat esse iustitiam, et quid de rationali iustitia doceri necesse sit.

Vocabulum Iustitia in Philosophia et Legibus politicis, significat obedientiam erga Leges, Et obedientia erga omnes Leges, nominatur universalis Iustitia. Sic politico more Aristides nominatur iustus, id est, civis omnibus Legibus suae civitatis obtemperans, Sic usitate dicitur: Iustitia in sese virtutes continet omnes.

Certum est autem, ut supra dictum est, Deum omnibus hominibus, et renatis et non renatis praecipere, ne in ullo externo opere violent Legem Moralem, iuxta dictum: Propter haec venit ira Dei super inobedientes. Et possunt etiam non renati aliquo modo facere externa opera Legis honesta,

id est, Legi Dei congruentia, quia Paulus nominat iustitiam carnis, id est, quam non renati facere possunt.

Sunt autem actiones, quae nominantur iustitia carnis, cogitationes in mente hominis, quanquam non renati, intuentes Legem Dei, seu rectum iudicium rationis: et cientes locomotivam, id est, regentes actiones externas, ut congruant cum externa voce Legis, sive cor congruat, sive non congruat, ut in Achille, repressio irae est cogitatio in cerebro eius de hac Lege: Non interficias ducem exercitus. Haec cogitatio manibus imperat, ut gladium recondant. Interea tamen cor ardet ira, nec moderatio illa fit propter gloriam Dei, nec regitur agnitione Filii Dei, nec est vivus motus in corde, sed evanescens cogitatio.

Sic erudite cogitandum est, quid re ipsa sint actiones virtutum, at utcunque actiones intelligi possunt, etiamsi Aristotelicas imaginationes de habitibus seponimus. Suntque mentes cogitatione Legis poenarum et exemplorum ad recte faciendum excitandae. Supra autem dictum est, quatuor esse causas, propter quas etiam non renati se disciplina regere debent, quarum prima est, Mandatum Dei. Secunda, Ut vitentur poenae. Tertia, Ut aliis parcamus. Quarta, Quia disciplina sit paedagogia in Christum, id est, Quia certum sit, Deum non efficacem esse in his, qui perseverant in sceleribus contra conscientiam. Hae causae pie cogitentur. Simul autem sciendum est, Iustitiam carnis seu disciplinam, seu opera Legis nequaquam esse iustitiam coram Deo, nec impletionem Legis esse, nec causas, nec merita remissionis peccatorum. Sed sicut folium fici tegebat nuditatem primorum parentum, ita iustitia carnis est qualecunque tegumentum horribilium vulnerum in mente, voluntate et corde hominis, ut pulchra res est foris, castitas Scipionis, sed intus sunt dubitationes de Deo et de providentia, ignoratio Mediatoris, fremitus adversus Deum et aliae flammae vitiosorum affectuum, ac multi sunt typi, discernentes disciplinam et iustitiam, de qua dicitur: Iustus fide sua vivet: sed illustris typus est, quem recensui de folio fici.

Nunc accedendum est ad doctrinam de Iustificatione, de qua loquitur Paulus, cum inquit: Iustificati fide pacem habemus. Ac primum constituamus definitionem vocabuli simplicem et perspicuam.

IUSTIFICATIO est acceptio remissionis peccatorum, et reconciliationis personae coram Deo, et imputationis iustitiae, et haereditatis vitae aeternae, propter obedientiam Mediatoris, quae acceptio fit fide, consolante et erigente cor in veris doloribus, in qua fit vivificatio per Filium Dei, dicentem consolationem in corde voce Evangelii, et effundentem Spiritum sanctum, quo inchoatur nova obedientia in corde, sicut scriptum est: Dabo Legem meam in corda eorum.

Observandum est autem, quando vocabula Iustitia, Iustus, Iustificatus legaliter usurpentur, quando de iustitia imputata, id est, de reconciliatione seu acceptatione gratuita coram Deo propter Mediatorem dicatur.

Apud Philosophos Iustitia tantum legaliter usurpatur, et significat iustitia universalis obedientiam secundum omnes leges, iuxta dictum: Iustitia in sese virtutes continet omnes.

In Lege divina, ubi de Iustitia Legis dicitur, etiam hoc modo usurpatur de integra obedientia, ut in his dictis, Psalmo 142. Non intres in iudicium cum servo tuo, Quia non erit iustus coram te omnis vivens. Item Iob: Vere scio, non est iustus homo coram Deo. Iustus, id est, habens integram obedientiam.

Interdum etiam de bonis operibus iustorum dicitur, etiamsi non est integra obedientia, ut, Feci iudicium et iustitiam. Solus Osiander transtulit nomen ab effectibus ad causam. Iustitia est quod facit nos iusta facere, videlicet Deus. Haec definitio certe non congruit ad hoc dictum: Imputatum est ei ad iustitiam. Nec Paulus loquitur de hac effectione, quando quaerit, an homo sit iustus Fide, aut Lege seu operibus. Sed cum non habeamus illam obedientiam integram, docet vox promissionum de misericordia, quae fide, id est, fiducia Mediatoris nobis applicatur.

Angelus bonus est iustus, quia habet integram obedientiam, vel impletionem Legis, vel integram conformitatem ad DEUM, vel, Quia Deus est in eo, efficiens hanc integram conformitatem. Hi modi loquendi idem significant.

Sed David est iustus, id est, acceptus Deo, seu placens Deo, non quia habet integram conformitatem seu impletionem Legis, sed quia recipitur per misericordiam Fide propter Mediatorem, qua fide, etsi vere fit vivificatio seu renovatio quae est inchoatio novae obedientiae, tamen persona est iusta, id est, placens Deo propter Mediatorem, seu imputata ei Mediatoris obedientia. Est ergo iustus coram Deo iuxta Evangelium placens Deo, seu reconciliatus seu acceptus propter Mediatorem fide, qua quidem fit vivificatio in veris doloribus, iuxta dictum: Iustus Fide sua vivit. Relatio igitur, vide-

licet, Acceptatio seu Reconciliatio includitur in vocabulo iustus, et de hac reconciliatione dimicat conscientia, non quaerit, an iusta faciat, sed fatetur se non habere legis impletionem, et clamat expresse: Non est iustus in conspectu tuo omnis vivens, id est, habens integram obedientiam. Cum igitur inquit Osiander: Iustificare est ex non iusto iustum facere, id est, habentem recte facta, sciamus aliter loqui Paulum, videlicet iustificare, est ex non iusto, id est, ex reo, et non habente impletionem Legis, facere iustum, id est, non reum propter Mediatorem. Haec relatio primum in verbo Iustificandi intelligenda est. Sic Paulus eadem significatione utitur verbis Reconciliari et Iustificari, cum ait, Rom. 5. Iustificati sanguine, id est, reconciliati per mortem eius.

Quod in verbo Iustificandi necesse sit intelligere relationem, scilicet remissionem peccatorum manifeste ostendunt haec dicta Act. 10. Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Item, Beati quorum remissae sunt iniquitates. Lucae 18. inquit Publicanus: Deus propitius esto mihi peccatori. 2. Regum 12. Dominus abstulit peccatum tuum. Et Esaiae 38. Proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Semper cum accedimus ad reum, initio petenda et accipienda est remissio peccatorum fide, et cum accipitur remissio fide, simul hoc fit, quod Paulus inquit: Iustificati fide pacem habemus.

Ac prorsus imaginatio reiicienda est, quae fingit Neroni peccata remissa esse, sed damnari eum, quia non habet iustitiam essentialem, Non fit remissio peccatorum, sine fide, quia dictum est: Qui non credit in eum, manet ira Dei super eum.

Haec dicta perspicue ostendunt relationem, videlicet remissionem peccatorum, et reconciliationem includi in verbo Iustificandi. Haec ipsa autem acceptio remissionis, non est frigida imaginatio, Sed fit, cum in vero dolore sentitur consolatio, quae est vivificatio, quae fit, cum Filius Dei simul est efficax cum verbo externo, et dicit consolationem in corde, et ostendit misericordiam Patris, et dat Spiritum sanctum, sicut clare dicitur, 1. Iohan. 5. In hoc cognoscimus, quod in eo manemus, et ipse in nobis, quia de Spiritu suo dat nobis.

Utor autem et hac forma in declaratione vocabuli Iustificationis, cum Iohannes dicat: Qui habet Filium, habet vitam, Declaratio inde sumi potest, Iustificari est, ex non habente Filium, fieri habentem Filium. Habere autem Filium, est fide statuere, quod propter obedientiam Christi donentur nobis remissio et reconciliatio. Deinde est habere eum vivificantem nos sua efficacia. Sic intelligitur habens Filium, id est, non reus propter Filium, et deinde vivificatus per eum. Ideo inquit Iohannes: Qui habet Filium, habet vitam et congruit hoc dictum cum illo: Iustus fide sua vivet.

Ex his intelligi potest Osiandricam definitionem iustitiae non esse sufficientem, cum ait: Iustitia est, quod efficit nos iusta facere. In hac definitione non fit mentio obedientiae Filii Dei propter quam recipimur, et qua fides propria nititur, Sed tantum fit mentio novitatis sequentis. Nostra definitio primum nominat obedientiam Filii Dei. Iustitia est obedientia Filii Dei nobis imputata, id est, propter quam recipimur fide, qua fide et vivificatio fit, per ipsum Filium Dei. De hac imputatione loquitur Paulus Rom. 4. et 10. Finis Legis Christus est ad iustitiam omni credenti.

Haec de vocabulis Iustitia, Iustus, Iustificari coram Deo dicta sint. Postea quomodo nova obedientia dicatur Iustitia, infra copiosius dicemus.

Nominatur enim iustitia, Quia est inchoata conformitas cum Lege, quae tamen ideo placet, quia persona iam Fide reconciliata est, et placet, non quia est integra obedientia, sed propter Filium Mediatorem, et summum sacerdotem intercedentem assidue pro nobis, et tribuit Deus hunc ingentem honorem novae et squalidae obedientiae, ut nominet eam iustitiam et sacrificium. Sed tamen discerni eam oportet ab illa iustitia et iustificatione, qua homo coram Deo accipit remissionem et reconciliationem, quae nominatur imputatio Iustitiae per Misericordiam propter Filium Mediatorem.

DE VOCABULO GRATIAE.

Gratia significat in hac quaestione relative gratuitam remissionem peccatorum et reconciliationem seu misericordiam, et acceptationem gratuitam propter Mediatorem, cum qua remissione et reconciliatione simul fiunt vivificatio per Filium, cum Fide accipimus vocem Evangelii, et donatio Spiritus sancti. Paulus igitur ad Romanos 5. duobus vocabulis usus est complectens beneficia Mediatoris. Nominat Gratiam et donum per gratiam. Gratiam intelligit relative, gratuitum favorem seu misericordiam, seu remissionem peccatorum, et reconciliationem seu acceptationem gratuitam propter Mediatorem.

Donum vero per Gratiam intelligit novitatem in-

choatam et consummatam, id est, vivificationem et totam gubernationem sequentem, que fit a Deo per Filium et Spiritum sanctum in renatis, ad vitam aeternam. Totum enim beneficium Mediatoris complectitur nomine Doni per Gratiam. Ac multum refert recte intelligi haec vocabula, qua in re et phrasis Hebraea consulenda est, et consideranda est narrationum series, et materia in quolibet loco, Cum Romanos 4. dicitur: Operanti merces non imputatur secundum gratiam: hic perspicue gratiam relative intelligit gratuitam benevolentiam seu imputationem. Est enim Antithesis: Laboribus debetur merces. At credenti, etiamsi non affert merita, tamen fit imputatio iustitiae gratuita.

Eodem modo postea loquitur: Ideo ex fide secundum gratiam, ut sit firma promissio, id est, ut sit certa reconciliatio, non pendet ex conditione nostrae dignitatis, sed est gratuita. Hic quantum referat vocabulum Gratiae recte intelligi, non obscurum est. Nam si iudices ita te habere remissionem, cum fueris dignus et mundus, et habueris excellentes virtutes, quas Monachi nominant gratiam, sequetur infinita dubitatio et desperatio. Et Romanos 6. Si gratiam interpreteris ut Monachi deletur consolatio: Non estis sub Lege, sed sub gratia. Hic Paulus hoc ipsum agit, nos placere Deo propter Filium, non propter nostram dignitatem, cum quidem adhuc haereat in renatis ingens imbecillitas et peccatum.

Significat igitur Gratia gratuitam misericordiam, promissam propter Filium. Quanquam autem haec significatio nativa est: tamen sciamus, cum accipitur remissio peccatorum, simul in ea consolatione fieri vivificationem per Filium, cum Fide accipitur vox Evangelii, et donationem Spiritus sancti. Ideo et Iohannes duobus vocabulis usus est, sicut Paulus inquiens: Per Iesum Christum gratia et veritas facta est. Gratiam nominat gratuitam remissionem et reconciliationem seu acceptationem. Deinde umbris opponit veritatem, videlicet regno Politico, sapientiae et iustitiae carnis et aliis bonis perituris. Et nominat veritatem, vera et duratura bona, veram agnitionem Dei, aeternam vitam, lucem, iustitiam et laetitiam semper duraturam, cum erit Deus omnia in omnibus sanctis resuscitatis. Ita congruit dictum Iohannis cum verbis Pauli: Per Christum habemus gratiam, et donum per gratiam. Expresse enim damnamus Pelagianos et Monachos, qui finxerunt homines sine regeneratione posse Legi Dei satisfacere, et mereri reconciliationem, et iustos esse propria Legis impletione.

Has Pharisaicas imaginationes, quae tollunt ingentia beneficia Mediatoris, prorsus execrandas esse censemus. Et Deo gratias agimus, quod non solum patefecit Legem, sed etiam misit Filium, et non solum edidit promissionem gratiae, sed etiam revera adest nobis, regenerat, sanctificat, protegit et gubernat nos assidue, sicut in Iohanne dicitur: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.

Hic quoque duo illa beneficia recitantur, Gratia et donum per gratiam, et modus exprimitur, quo accipiuntur. Initium est ab auditu Evangelii, cum in conversione voce Evangelii nos sustentamus, simul haec fiunt, Pater diligit nos, id est, recipit per misericordiam propter Filium, et Filius dicit consolationem in corde, ostendit misericordiam Patris, et vivificat credentes retractos ex doloribus inferorum, et Pater per eum effundit Spiritum sanctum in corda, ut tales motus habeamus qualis ipse est, laetemur in Deo, diligamus et invocemus eum, et nos ei subiiciamus, agnoscamus infirmitatem et pericula nostra, et sciamus nobis immensa misericordia Dei propositum esse auxilium divinum, contra infirmitatem nostram, et contra Diabolorum rabiem. Adversus ista petamus Dei praesentiam, sicut dicitur: Salvabo vos non in arcu, sed in Domino Deo vestro, id est, in Filio, qui vere est Emanuel, vere adest credentibus, cum voce Evangelii sustentantur, et simul dat Spiritum sanctum: Sic 1. Ioh. 4. dicitur: In hoc scimus, quod in ipso manemus, et ipse in nobis, quia de Spiritu suo dat nobis.

DE VOCABULO FIDEI.

Cum Paulus inquit: Iustificamur fide, vocabulum Fidei non tantum historiae notitiam significat, ut Diaboli etiam norunt historiam seu dogmata, Sed significat assentiri omnibus articulis fidei, et in his huic articulo: Credo remissionem peccatorum, et vitam aeternam, non tantum aliis dari, sed mihi quoque. Cum hoc assensu, quo tibi credis remitti, cor erigitur fiducia promissae misericordiae, acquiescente in Deo propter Mediatorem, lucet in mente assensus apprehendens vocem Evangelii, et fiducia Mediatoris et misericordiae in corde.

Haec fides non est mortua imaginatio, sed est illa fides, de qua dicitur: Fide iustificati pacem habemus. Item, Haec est vita aeterna, ut agnoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum esse Christum. Item, Qui habet Filium, habet vitam, Sic enim accenditur haec Fides, Filio dicente consolationem per vocem Evangelii, et Spiritu

sancto accendente laetitiam et pacem in corde. Usitata est igitur nobis haec definitio.

FIDES est assentiri universo verbo Dei, nobis tradito, atque ita et promissioni gratiae, Et est fiducia acquiescens in Deo propter Mediatorem, accedens ad Deum, vere invocans eum, et clamans Abba pater.

Sic intelligendum esse vocabulum Fidei, certissimum est, ut multa illustria testimonia ostendunt, Romanos quinto: Iustificati fide pacem habemus. Ac notitia historiae, qualis in Diabolis est, non affert pacem, imo auget pavores et desperationem. Quo enim certius sciunt Diaboli, Filium Dei iudicem esse, et se futuros esse in poenis aeternis, eo horribilius metuunt et oderunt Deum. Nec potest quicquam cogitari tristius aut peius, quam creaturam sic in tota aeternitate victuram esse, ut habeat summam acerbitatem odii adversus Deum, et velit horribili furore, omnia contraria divinae voluntati, omnia turpissima, et destructionem Dei et universae naturae, si esset possibilis. Tales sunt Diaboli, et horum similes erunt homines damnati. Huius summi et infiniti mali cogitatione expavescant animi.

Inde autem perspicue intelligitur, longe aliam esse fidem, quae credentibus pacem affert, id est, laetitiam acquiescentem in Deo propter Mediatorem. Loquitur ergo Paulus de hac Fide, qua sic amplecteris promissionem, ut credas tibi ipsi remitti peccata, te ipsum reconciliari, Quae Fides est assensio, qua accipis omnes articulos Fidei, et est fiducia acquiescens in Deo propter Mediatorem. Quare Paulus ad Romanos quarto, correlative connectit Promissionem et Fidem. Nominat igitur FIDEM hanc assensionem, quae promissionem accipit. Nec dubium est, mandatum Dei esse, ut assentiamur promissioni: sicut Iohannes inquit: Qui non credit Deo, mendacem eum facit. Ut igitur fide accipi promissio possit docet Paulus eam non pendere ex conditione Legis. Haec non possunt intelligi de sola notitia historiae, ut adversarii coeci, et falsis opinionibus fascinati contendunt.

Aliud Testimonium.

Ephesios tertio, Declarat Paulus, quid nominet Fidem plurimis vocabulis, quae ostendunt, qualis sit motus accensus per Filium voce Evangelii, et dato Spiritu sancto: Dicit enim Fidem talem esse, quae non fugiat Deum, non fremat adversus eum, Sed accedat ad eum, et quidem propter Mediatorem. Sic enim loquitur Paulus: Per quem audemus accedere in fiducia per fidem eius.

Exercetur autem et confirmatur fides multipliciter, generaliter et specialiter. Primum generaliter, quia petens haec bona agnoscit ea non casu spargi, sed vere a Deo dari, foveri et servari etiam hanc corporalem vitam, ut in hac vita Ecclesia esse possit, soboles ali et institui, et homines regi possint, iuxta dictum: Ipse est vita tua, et longitudo dierum tuorum. Item, In ipso sumus, vivimus et movemur. Et confirmatur fides, cum liberatio aut mitigatio calamitatis ostendit praesentiam Dei, iuxta dictum: Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum. Pater et Mater dereliquerunt me, Dominus autem assumsit me. Castigans castigavit me, et morti non tradidit me. Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini. Item, Misericordiae Domini, quod non consumti sumus.

Deinde specialiter exercetur et confirmatur fides, quia Deus vult haec corporalia commonefactiones esse de invocatione, ut simul de promissione gratiae cogitetur. Non enim potest fieri invocatio, nisi praelucente hac fide, quod Deus nos propter Mediatorem gratis recipiat et exaudiat. Simul igitur haec specialis fides de gratia exercetur et confirmatur.

Quinta causa, Cur traditae sint promissiones corporales, ut hae liberationes sint testimonia praesentiae Dei in Ecclesia, iuxta haec dicta. 1. Reg. 17. Ut sciat omnis terra, quod sit Deus in Israël. Item Esa. 37. Salva nos de manu Sennaherib, ut sciant omnia regna terrae, quod tu solus sis Deus. Hanc causam semper intueri debemus, cum petimus mitigationem poenarum publicarum aut privatarum, ut hostes Evangelii fateri cogantur Deum adesse his Ecclesiis. Haec tota doctrina de promissionibus sit notissima et saepe cogitetur propter gloriam Dei, et propter necessitatem nostram. Et quanquam sunt sua praemia bonorum operum: tamen simul teneatur doctrina de Fide, quae gratis accipit reconciliationem, et intelligit corporalia quoque dari principaliter propter Mediatorem, et ut servetur Ecclesia, nec amplificat merita, sed semper simul indignitatem propriam fatetur, sicut Iacob inquit Genes. 32. Minor sum cunctis miserationibus tuis, et videt, quanta bona sequantur, ut cum Sareptana vidua dedit cibum Heliae. Sic sciamus etiam unum lapsum sequi longam Iliadem multorum scelerum, et multarum calamitatum, ut Davidis lapsus ostendit, et Diabolus insidians non est contentus uno lapsu, sed longam telam texit. Sequitur quinta Quaestio.

DE DISCRIMINE PECCATORUM.

Quae peccata sunt reliqua in renatis in hac vita?

Respondeo. In renatis sunt reliqua multa peccata, sed non contra conscientiam, nec defensio falsi articuli contra fundamentum. Nomino autem fundamentum, articulos doctrinae necessarios, Decalogum, Promissionem gratiae, et Symbolum, iuxta dictum: Fundamentum aliud poni non potest, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Donec igitur in renato lucet Fides, seu Fundamentum non labefactatur defensione Idolorum, aut impii dogmatis, et conscientia non est saucia lapsu contra Legem Dei, renatus manet in gratia, retinet Spiritum sanctum, est templum Dei, et haeres vitae aeternae. Quanquam enim in eo multum caliginis est, et multi sunt vitiosi affectus, et multa peccata ignorantiae et omissionis: tamen retinet Fidem, et repugnat falsis opinionibus, et pravis affectibus. Ideo Paulus inquit: Si actiones carnis Spiritu mortificabitis, vivetis. Et ad Timoth. integre comprehendit omnia, quae in renato esse oportet, cum inquit: Milita bonam militiam, retinens fidem et bonam conscientiam.

Nec cogitandum est levia certamina esse, retinere fundamentum, contra tumultuantes dubitationes rationis, et contra varios laqueos Diabolorum. Item, retinere integram conscientiam cum natura imbecilla facile vincatur pravis affectibus, et Diaboli securos et negligentes astute impellant variis occasionibus, ut labantur.

Vult igitur Deus nos munitos et armatos esse duabus rebus, cogitatione verbi sui, et precatione, sicut Paulus haec coniungit Ephesios ultimo: Accipite gladium Spiritus, quod est Verbum Dei, in omni precatione vigilantes.

Addit enim vigilantiam cogitationi verbi Dei et precationi, ut requirat diligentiam vitandi occa-

siones lapsuum, iuxta dictum: Qui amat periculum, peribit in eo. Item, Accurate ambulate, non ut fatui. Et Proverb. 30. Omne verbum Dei purgatum clypeus est sperantibus in ipsum. Et Dominus inquit: Orate, ne intretis in tentationem. Cum igitur Paulus inquit: Si Spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis, utrumque docet, Et effundi Spiritum sanctum, si non repugnemus dubitationibus et pravis affectibus, et quomodo repugnandum sit: discernit Ioseph et Scipionem.

Scipio pulchritudine virtutis, quam ratio utcunque intelligit, movetur, ut abstineat ab aliena sponsa, et illa actio est cogitatio rationis frenans externos gestus, quae tamen utcunque adiuvatur heroica naturae inclinatione. Sed Ioseph cogitat mandatum Dei, nec vult Deum offendere, nec vult abiicere praesentem gratiam, nec contristare Spiritum sanctum, nec accersere poenas. Abstinet igitur ab aliena propter voluntatem Dei, et refert suam abstinentiam ad gloriam Dei, ne Deus offendatur, et ne doctrina scandalis deformetur. Simul etiam orat se regi a Deo, et statuit se placere Deo, et exaudiri suam orationem propter Mediatorem. Est igitur actio Ioseph, non tantum actio rationis, sed lux, quam Verbo Filius Dei in ipso Ioseph accendit, ut cernatur voluntas Dei, et est incendium Spiritus sancti in corde, quo movetur Ioseph, ut obediat Deo, et confirmatur, ne pericula pertimescat.

Haec omnia complectitur Paulus, cum ait: Spiritu mortificate, quasi dicat, non sola ratione frenate, sed Verbo Dei et Spiritu sancto corda regant actiones carnis, id est, dubitationes et motus in corde, quos erudite nominat actiones, ut, aliqua assensio et delectatio simul rapitur, sed fide et Spiritu sancto, retinens fundamentum et bonam conscientiam, manet in gratia, et manet haeres vitae aeternae. Haec eadem doctrina tradita est Rom. 6. Non regnet peccatum in mortali corpore vestro, quod sumtum est ex Genesi: Sub te erit appetitus, et tu domineris ei.

RESPONSIO AD ARGUMENTA QUAE CONTRA DOCTRINAM DE IUSTITIA FIDEI OPPONUNTUR.

I.

Daemones credunt et contremiscunt.
Ergo non dicendum sola Fide homines iustificari.

Nego consequentiam et ratio est, Quia non congruit exemplum Fidei Daemonum ad Fidem, qua iustificantur homines, sed infinita differentia est. Fides, qualis est in Diabolis, est mutila, quia etsi est certa notitia historiae, Legis, irae, et venturi iudicii, tamen non assentiuntur promissioni, cum sciant Diaboli eam non pertinere ad sese, sed tantum ad homines, iuxta dictum Symboli: Propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis. Quia autem norunt Diaboli, vere iudicem esse Filium Dei, et se futuros esse in poenis aeternis, haec notitia iudicii et irae, quo certior est, eo truculentius odium, horribiliores dolores, et tristiores fremitus adversus Deum, et adversus Christum accendit.

Sed fides, qua homo iustificatur, est assentiri omni verbo Dei nobis tradito, atque ita et promissioni gratiae, cui assentiens cernit non tantum iram, sed misericordiam propter Filium promissam, et acquiescit in Deo propter hunc Mediatorem. Ideo addimus in definitione, et est fiducia acquiescens in Deo propter Mediatorem, accedens ad eum, et recte invocans et clamans Abba pater. Ideo saepe dicimus, Fidem complecti omnes articulos fidei, et historiam referendam esse ad hunc articulum: Credo remissionem peccatorum, scilicet non tantum aliis dari, sed mihi quoque. Haec fides in vera consolatione magna lucta vincit dubitationes et trepidationes animae fugientis Deum, de qua lucta dicit Psalmus 41. Quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Quare tristis es anima mea? spera in Deo, quoniam adhuc confitebor ei. Et in hac ipsa lucta, Filius Dei agnitus in Verbo vocali, dicit consolationem in corde, et ostendit Patrem et voluntatem eius, sicut inquit: Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare, et dat Spiritum sanctum, quo confirmatur assensio, et quo fiducia et laetitia in voluntate accenduntur, iuxta dictum: Iustificati fide pacem habemus.

II.

Impossibile est aliquam naturam sola notitia iustam esse,
Fides est tantum notitia,
Ergo non sola fide homo est iustus.

Nego Minorem, quia Fides, de qua Paulus loquitur, est et notitia promissae gratiae et fiducia acquiescens in Deo propter Mediatorem, et velle hoc beneficium, quod in promissione offertur, ut et

Paulus ad Ephesios his verbis describit Fidem, inquiens: Per hunc audemus accedere confidenter in Fide ipsius, et ut iam dixi, ipse λόγος Filius Dei sic habitat in corde, dicens hanc consolationem, et vivificans ac liberans ex doloribus inferorum, ut Ephe. 3. dicitur, habitare Christum per fidem in cordibus vestris, et dato Spiritu sancto, accenduntur fiducia et laetitia in corde. 1. Iohan. 4. In hoc cognoscimus, quod in eo manemus, et ipse in nobis, quia de Spiritu suo dat nobis. De hac vera notitia loquitur Esaias, cum ait: Agnitio servi mei iusti, iustificabit multos. Haec in vera poenitentia, et quotidiana invocatione fiunt illustriora.

III.

Ubi multae virtutes simul sunt, non ponenda est exclusiva,
In conversione sunt multae virtutes,
Non igitur dicendum est, sola Fide.

Respondeo ad Minorem. Etiamsi sunt simul multae virtutes, tamen non sunt causae aut meritum remissionis seu iustificationis, etsi scio quosdam procul quaerere alias responsiones: tamen haec est vera et plana. Necesse est enim fateri in conversione aliquam contritionem esse, quae cum accedit Fides, fit excellens virtus ac sacrificium, ut dicitur: Sacrificium Deo Spiritus contribulatus. Item, Ubi habitabit Dominus, in spiritu contrito et tremente sermones meos, et cum fit consolatio fide, cor in Deo laetatur, iuxta dictum: Iustificati fide pacem habemus. Cum hac laetitia certe coniunctae sunt Dilectio Dei, Invocatio et Spes, et multae aliae virtutes. Cum igitur dicimus, Sola fide, non excluduntur caeterae virtutes, ne adsint, sed excluditur conditio meriti, et hoc dicitur, nullas virtutes seu opera in nobis meritum seu causam esse iustificationis, sed propter solam Mediatoris obedientiam Gratis dari remissionem seu reconciliationem, et imputationem iustitiae, et fieri vivificationem per Filium Dei Fide.

Haec est nativa Pauli sententia in exclusiva Gratis. Insania est enim cogitare vivificationem, in qua Filius Dei vivificat, et de Spiritu suo dat nobis, esse sine magnis et ardentibus divinis motibus. Memini multorum de hac re barbaricos clamores. Quidam dicebat, Sola, id est, sine contritione, postea cum cogeretur admittere contritionem, respondit, Contritionem non esse opus, sed Passionem. *Lautterwaldt* clamitat, fidem aliquo tempore, sed exiguo, esse sine caeteris virtutibus. Alius recens de Hyperbole non intellecta magnas tragoedias egit, Fides non est fides, nisi sit sola, quod recte dicitur sic intellectum, Fidem non esse fidem, nisi sit fiducia solius misericordiae Dei, propter Mediatorem, sed ille contendit, oportere solam esse sine caeteris virtutibus, quasi in Ioseph, Elia, et similibus, non simul fuerint excellentissimi motus divini. Sed fugiamus in re tanta Sophismatum praestigias, nec implicemus nos et alios inextricabilibus labyrinthis, ne postea dubitationes, et odium pariant. Cognita igitur simplici veritate, retineamus eam, et propriis et perspicuis verbis eam exponamus.

IIII.

Fide sumus iusti.
Fides est opus.
Ergo operibus sumus iusti.

Respondeo primum ad maiorem. Haec propositio, Fide sumus iusti, correlative intelligenda est, videlicet, Misericordia propter Filium Dei sumus iusti, sed hanc oportet Fide apprehendi, audita voce Evangelii, quia certe aliquid esse oportet, quo fiat applicatio misericordiae. Ideo Esaias dixit: Agnitio servi mei iustificat multos. Vult Deus agnosci Filium, et agnitione Filii colligi Ecclesiam, et discerni eam ab aliis gentibus. Est autem haec fides agnitio Filii, et assensio, qua misericordiam propter eum promissam agnoscimus et accipimus. Sic igitur mutandus est prior Syllogismus: Misericordia propter Filium sumus iusti, Misericordia non est nostrum meritum, Ergo non nostris meritis aut operibus sumus iusti. Haec est vera et simplex responsio.

Postea et de Minore dicas: Fides est opus, sed non sumus iusti propter ipsius operis dignitatem, sed quia apprehendit misericordiam propter Filium promissam. Alii respondent, Fidem non esse opus, quia sit donum Dei. Haec responsio est aliena, quia, cum dicitur: Non sumus iusti ex operibus, etiam illae virtutes intelliguntur, Dilectio, Castitas, Patientia, quae sunt accensae a Spiritu sancto.

V.

Deus iustificat,
Deus est dilectio,
Ergo dilectio iustificat.

Respondeo. Concedo totum, Si dilectio intelligatur sine ambiguitate de dilectione, quae est in Deo erga nos propter Filium. Ac prorsus correlativae sunt propositiones: Fide iustificamur, et illa dilectione, qua Deus nos diligit propter Filium iustificantem, quia haec dilectio est misericordia, qua propter Filium recipimur, ut Paulus inquit: Sumus dilecti in Deo. Et Dominus inquit: Sit dilectio tua in eis, qua me diligis. Iohan. 17. Quod dictum semper sit in conspectu, quid enim dulcius dici potest, quam quod Filius petit, ut ab aeterno Patre diligamur, sicut ipse diligitur? Haec est praecipua responsio ad hoc argumentum. Deinde addatur Antithesis. Cum Papistae dicunt: Dilectione iustificamur, intelligunt dilectionem, qua homines Deum diligunt. Haec procul abest a perfectione Legis in hac vita, nec meretur remissionem peccatorum, nec est illa res, propter quam persona est iusta, id est, reconciliata et accepta coram Deo, sed est effectus sequens Fidem.

VI.

Iohannes inquit:

Qui non diligit, manet in morte,
Ergo non sola fide vivit homo.

Respondeo. Nego consequentiam, quia est fallacia a non causa ut causa. Antecedens simpliciter verum est, Qui non diligit, manet in morte. Quia verissimum est, quod in converso sunt Fides et Dilectio, qua fide clamamus Abba pater. Item, Fide accipimus Spiritum sanctum, qui est Spiritus gratiae et precum, id est, quo laeti sentimus nos liberatos esse a doloribus inferorum, et esse in gratia, et Deum invocamus, et nos ei subiicimus. Est igitur inchoata dilectio. Sed non sequitur: Ergo iustificat vel vivificat, vel est causa vivificationis, ut cum dico: Omne vivum habet motum, inde non sequitur, motum illum esse vitae causam. Sic dilectio, etsi est in credente, tamen praecedit fides, qua fiunt iustificatio et vivificatio, iuxta dictum: Iustificati fide pacem habemus.

VII.

1. Corinth. 13.

Si habeam omnem fidem, dilectionem autem non habeam, nihil sum,
Ergo non sola fide iustificamur.

Simpliciter responderi potest, sicut antea, Nego consequentiam, quia est fallacia a non causa ut causa. Etsi necessario adest dilectio in conversis: tamen non est causa Iustificationis. Alii respondent, ibi loqui Paulum de Fide quae est donum faciendi miracula, nec reprehendo. Sed altera solutio est simplicior, et multa similia dicta explicat.

VIII.

Danielis 4.

Redime peccata tua Eleemosynis,
Ergo Bona opera merentur remissionem.

Respondeo ad antecedens, quia textus non tantum nominat Eleemosynas, sed prius nominat iustitiam. Iustitia autem comprehendit initio veram Dei agnitionem et fidem, Libera te a peccatis iustitia et misericordia erga miseros. Deinde sequitur expressa promissio: Ecce erit sanatio delictorum tuorum. Haec verba Danielis sunt brevis concio poenitentiae, quae multa membra complectitur, quae distinguenda et enarranda sunt ex aliis locis Propheticis et Apostolicis, ubi eadem doctrina distincte exponitur, ut poenitentiae concio est apud Esaiam: Desinite malefacere, et discite benefacere. Haec pars est doctrina contritionis: Secunda pars est promissio: Si fuerint peccata vestra ut coccinum, eritis candidi ut nix.

Hic quoque multa membra continentur, quae evolvenda sunt. Prima pars in Daniele praecipit mutationem vitae iuxta omnia praecepta Decalogi. Cum enim nominat iustitiam, complectitur universalem obedientiam, nominatim vero deinde mentionem facit misericordiae exercendae erga iniuste oppressos. Est enim regia concio: docet Daniel hunc summum Monarcham, et inter homines imperia constitui divinitus, ut defendant iustitiam, et communem societatem contra latrocinia, ut et Aristoteles Alexandrum monet, ut cogitet Imperium debere esse non ὕβριν, sed εὐεργεσίαν. Daniel vero et singularem admonitionem adhibet, sciebat Ecclesiam in exilio in dura servitute esse, viderat Regem erexisse statuam adorandam et coniecisse in ignem viros sanctos qui statuam adorare noluerant. Itaque de tota iustitia, id est, et de veri Dei agnitione, et deponenda saevitia ei concionatur. Et consentaneum est haec omnia copiosius dicta esse, quam in illa brevi narratione recitantur, quae tamen cuilibet bono principi summa doctrinae esse potest de praecipuis rebus. Sit princeps iustus erga Deum, et erga homines, protegat Ecclesiam.

Tantum dicitur in illa parte concionis. Quomodo autem sit agnoscendus Deus, quomodo fide sit accipienda remissio, id copiosius Danielem docuisse inde intelligi potest, quod rex voluit huius populi doctrinam audire relicta doctrina Chaldaeorum. Sensit ergo tantum in hoc populo doctrinam de vero Deo, de remissione peccatorum et de salute aeterna quaerendam esse. Secunda pars in concione Danielis est expressa promissio de remissione: Ecce erit sanatio delictorum tuorum, Promissio autem fide accipienda est: Ergo Daniel cum promissionem expresse tradit, simul et doctrinam de Fide complectitur. Hieronymus non recte addit particulam dubitationis *μόριον ἀπορητικόν*. Nam in textu manifesta asseveratio est: Ecce erit sanatio delictorum tuorum. Haec explicatio Danielis plana et non Sophistica est. Alii dicunt, Danielem loqui de remissione poenarum temporalium, sed haec solutio etsi alibi locum habet: tamen hic prius docendus erat rex de remissione culpae. Et dulcissima consolatio est in hoc exemplo proposita omnibus: Cum tanto Tyranno promittatur remissio peccatorum, si agat poenitentiam, et agnito vero Deo apprehendat promissionem. Exuscitemus nos quoque ad poenitentiam et fidem. Meminerimus huius regis conversionem insigne exemplum esse, et poenitentiae et remissionis peccatorum et mitigationis poenarum.

IX.

Remittite et remittetur vobis,
Ergo nostra remissio meretur remissionem apud Deum.

Responsio. Multa dicta loquuntur de remissione poenae temporalis, ut in Tobia necesse est haec dicta accipi de remissione poenae temporalis.

Eleemosyna liberat a morte, et purgat peccata. In talibus dictis necesse est adhibere interpretationem, quia alia dicta expresse affirmant, gratis remitti peccata, et tolli mortem aeternam propter Mediatorem. Decurro igitur ad hanc brevem enarrationem, haec dicta loqui de praemiis bonorum operum, quae fiunt a conversis. Certissimum est enim, quod bona opera piorum habent sua quaedam praemia, iuxta dictum: Date et dabitur vobis. Item, Si quis dederit potum aquae uni ex minimis propter doctrinam, habebit mercedem. Ita Eleemosyna liberat a morte, scilicet in periculis corporum, ut dicit Psalmus: Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Hae promissiones legales discernendae sunt a promissione reconciliationis, quae est gratuita, sicut dicit Dominus conversis et habentibus remissionem culpae: Remittite et remittetur vobis. Tu David parcito Nabal: Ita vicissim tibi poenas Deus mitigabit, ut 1. Reg. 25. dicitur: Non erit tibi haec offensio, quod fuderis sanguinem innocentem, et te ultus sis, sicut saepissime repetita est doctrina, quae prohibet indulgere irae, odiis, et cupiditati vindictae. Et sint noti dulcissimi versus Nazianzeni:

εἰ δὲ οἶδας ὄφλων καὶ πρόχρησον τὸ πρᾶον,
οἴκτῳ γὰρ οἶκτος τῷ θεῷ σταθμίζεται.

Si quibus autem haec responsio non placet, utamur altera, quod hoc dictum: Remittite et remittetur vobis, et similia, sint conciones poenitentiae. In altera parte praecipitur conversio: Recte facite. In altera parte ostenditur promissio, quam alia dicta Evangelii declarant, quod sit gratuita et detur propter Mediatorem, sicut Paulus inquit: Ideo ex Fide gratis, ut sit firma promissio. Si enim ex nostra condonatione penderet, quae semper est imperfecta, fieret incerta remissio. Attexuntur autem tales promissiones operibus, quia vult Deus etiam bona opera non meritum, sed commonefactiones esse de promissione gratiae. Utraque enarratio est simplex et sine Sophistica.

X.

Universa delicta operit dilectio,
Ergo dilectio meretur remissionem.

Nego consequentiam, et ratio est, quia apud Salomonem non hoc dicitur, Nostra delicta operit dilectio, sed aliena, id est, dicitur de condonatione inter homines, quia est Antithesis: Odium excitat rixas, sed vera benevolentia tegit et sanat offensiones. Quia Saul odit Davidem, ideo accusat, quod ei insidietur. Saepe aliud est rixae causa, aliud praetextus seu occasio, ut dicitur: plectimur *οὐ διὰ ἁμαρτίαν ποδὸς πρὸς λύραν*. Quare hoc dictum, universa delicta operit dilectio, praeceptum est de *ἐπιείκεια* inter homines. Aliud est loqui de remissione nostrae culpae apud Deum.

XI.

Si vis in vitam ingredi, serva mandata,

Ergo et fieri Lex potest, et bona opera merentur vitam aeternam.

Respondeo breviter. Serva mandata, scilicet complectendo Evangelium, Nam Christus est finis Legis. Ac semper legalibus dictis necesse est addere vocem Evangelii, quod docet Fide reconciliari hominem, et simul inchoari novam obedientiam, cum Filius Dei vivificat cor, dicens consolationem voce Evangelii, et dat Spiritum sanctum, qui tales motus accendit, qualis ipse est, et haec nova obedientia etiamsi languida et infirma est, placet propter Mediatorem, ut Rom. 8. dicitur: Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant. Ita Evangelium est dulcissima ἐπιείκεια Legis, docens placere in conversis, cum Fide reconciliati sunt, inchoatam obedientiam, quanquam haerent adhuc in nobis magni morbi interiores, et multa incendia pravorum affectuum, sicut inquit Psalmus: Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato. Et Paulus de hac ἐπιείκεια concionatur inquiens: Milita bonam militiam habens fidem et bonam conscientiam. Hinc non sequitur, hominem satisfacere Legi in hac vita, sed sic placere Deo, cum habet Fidem et iustitiam bonae conscientiae. Nec sequitur bona opera esse meritum vitae aeternae, quia fides praelucens gratis accipit propter Mediatorem remissionem peccatorum, reconciliationem et haereditatem vitae aeternae.

XII.

Lucae 7. de muliere peccatrice:

Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.

Ergo propter dilectionem fit remissio.

Respondeo. Christus manifeste nominat ibi et Fidem et dilectionem. Cum autem fides nominatur, excluditur meritum. Quia fides tantum nititur Mediatore, et accipit promissam misericordiam propter eum. Haec responsio est simplex et sine Sophistica.

Cur igitur et dilectionem nominat? Respondeo etiam simplicissime, usitata Synecdoche est, Remittuntur ei multa, quia conversa est, ut Esaiae 1. dicitur: Auferte malum cogitationum vestrarum: Si fuerint peccata vestra ut coccinum, eritis candidi sicut nix. Et Hieremiae 3. Convertimini filii revertentes et sanabo vos. Denique usitata est haec Synecdoche. Tamen sciendum est, quae sint partes in tota poenitentia, seu conversione, et quid differant, sola Fide accipitur reconciliatio. Sequitur autem nova obedientia, quia ad hoc ipsum vivificamur, ne maneamus in peccato et morte aeterna: sed deinceps simus templa Dei.

Est et alia splendida solutio seu responsio. Duplex est absolutio, Altera privata conscientiae luctantis cum ira Dei. In hac absolutione necesse est intelligi, gratis fide accipi remissionem peccatorum propter Mediatorem. Ideo hic inquit: Fides tua salvam te fecit. Nec existere dilectio potest, nisi sit apprehensa remissio ista.

Altera absolutio est publica coram Ecclesia, in hac conspici necesse est ab aliis testimonia conversionis, ut hic Christus ostendit Pharisaeo, cur eam recipiat, quia extent signa conversionis, et quidem illa opera recitat, quorum contraria peccata sunt in Pharisaeo. Haec mulier agnoscit me vere esse Messiam, a me petit et accipit remissionem et reconciliationem, meum Evangelium in ea efficax est, ungit pedes meos lacrimis, id est, benefacit ministris Ecclesiae, tu contra tumes hac falsa persuasione, quod iustus sis disciplina, securus non agnoscis iram Dei adversus interiorem immunditiem. Deinde non agnoscis me esse Messiam: non petis a me remissionem. Haec tota narratio recitat signa fidei. Posset igitur brevissime dici, nominari signa fidei pro ipsa fide: sicut in eadem narratione lacrimae nominantur pro contritione.

XIII.

Cum dictum sit: Delicta quis intelligit, Nemo potest omnia sua peccata scire.

Ergo possibile est hominem habere delictum ignotum propter quod displiceat Deo. Quare non est affirmandum quod placeat Deo.

Respondeo. Nego consequentiam, et ratio est, quia firmissime retinenda est regula: Omnis conversus ad Deum recte tenens fundamentum, debet credere se placere Deo, et hac fide invocare, quod propter Mediatorem placeat et exaudiatur, etiamsi habet delicta ignorantiae, sicut in omnibus hominibus magna haeret infirmitas. Ac propterea traditur doctrina de remissione propter Filium, iuxta dicta: Beati quorum sunt remissae iniquitates, et quorum tecta sunt peccata, quia in nobis non est

integra impletio Legis in hac vita, sed ut dixi, Fundamentum recte teneatur, id est, non sit error in articulis fidei. Paulus enim inquit, Fundamentum aliud poni non potest, praeter id, quod positum est, quod est Iesus Christus. Et tamen de ipso fundamento in aliis plus, in aliis minus est lucis.

Et Paulus inquit: Alios aurum, alios stipulas extruere supra fundamentum, sicut valde multum est stipularum in plurimis scriptoribus, quia quaelibet tempora habent sua contagia. Cyprianus absurde dicit, Peccata post Baptismum remitti propter Eleemosynas. Item nimis contentiose pugnat de ritibus publicae poenitentiae sui temporis inquiens: Inutilem esse absolutionem sine illis spectaculis: et tamen talis vir postea constans fuit in confessione et laetus pertulit supplicium. Cogitemus igitur nos non esse omniscios, et simus dociles, et studium discendi et precationem coniungamus.

XIIII.

Nemo placet Deo nisi habens novas virtutes ortas a Spiritu sancto,
Nemo potest affirmare se habere illas virtutes: Quia possunt esse virtutes similes ortae a ratione,
Ergo nemo potest affirmare se placere Deo.

Respondeo. Nego minorem, quia in vera conversione seu poenitentia utrumque debemus affirmare, et quod detur remissio propter Mediatorem, et quod simul vivificemur per Filium dato Spiritu sancto erecti voce Evangelii. Et quanquam intueri mens fide Mediatorem debet, non novitatem in nobis: tamen simul in veris doloribus sentit hanc consolationem, iuxta haec dicta: Iustificati fide pacem habemus. Item, clamamus Abba pater. Et recte inquit Augustinus: Credens scit se credere, scilicet in doloribus sentiens consolationem. Ac certitudo in Philosophia et in consolatione quae fit fide, habet contraria itinera. In Philosophia praecedit sensus colligens singularia experimenta, postea sequitur assensio: Sed fide sic fit consolatio, prior est assensio, qua propter Deum assentimur verbo seu voci divinae, deinde sequitur laetitia.

XV.

Impossibile est nosse voluntatem Dei erga nos, iuxta dictum: Quis consiliarius eius fuit?
Credere quod habeas remissionem peccatorum, est aliquid asseverare et affirmare de voluntate Dei erga nos,
Haec igitur affirmatio est impossibilis.

Respondeo brevissime. Nego maiorem de revelata Dei voluntate. Utramque autem vocem tradidit Deus Legem et Evangelium. Ac vult nos certo scire hanc suam esse voluntatem, quam in Verbo suo expressit. Ac de Lege minus obscuritatis est, quia rationi nota est, et Moises ipse inquit contra Pyrrhonias dubitationes: Ne dicas, quis ascendet in coelum, iuxta te est sermo in ore tuo et in corde tuo, ut facias illa. Et Paulus inquit: Nolite errare, scortatores, adulteri, homicidae, non possidebunt regnum Dei. Quare iuxta Legem certo statuere debemus omnes, Deum vere irasci omnibus omnium peccatis. Deinde et vox Evangelii addenda est, de qua dicitur: Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis. Item, Qui credit in Filium, habet vitam aeternam. Certissime igitur statuamus omnem promissionem reconciliationis et vitae aeternae veram esse, quae quidem et morte ac resurrectione Filii obsignata est, et multis illustribus testimoniis confirmata. Quare necesse est nos ei credere, et cum sit universalis, singuli nos in eam includamus, certissimum est enim mandatum universale esse et immutabile, ut omnes Filio credamus, nec fingendae sunt contradictoriae voluntates in Deo. Ac simus memores dicti Iohannis: Qui non credit Deo, mendacem eum facit. Et certissime statuamus, Filium Dei veracem nuntium esse, qui inquit: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.

Sed humana ratio opponit hoc argumentum. Addita est conditio Legis: Hoc fac et vives: Cum igitur non satisfiat Legi, dubitandum est. Respondeo. Et hoc ipsum in revelatione Evangelii considerandum est, ideo immensa misericordia missum esse Filium, ut nos a maledictione Legis redimeret, et Gratis propter Filium donari reconciliationem. Hanc lucem Evangelii de gratuita promissione obruerunt Papistae, qui fingunt dubitandum esse de remissione, quia pendeat ex conditione Legis. Ideo simus vigilantes in retinendo discrimine Legis et Evangelii, et quanquam necessaria est poenitentia

seu magna seu parva, tamen remissio non pendet ex dignitate nostrae contritionis vel obedientiae: Sed propter Mediatorem, et gratuita et certa est, iuxta dictum: Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio, Rom. 4.

Caeterum de non revelatis consiliis, ut quare Alexandro Deus tribuat imperium, non tibi, recte dicitur, hanc voluntatem neque sciri posse, neque quaerendam esse. Ideo capite tertio Syracidae dictum est: Quae mandata sunt tibi, haec cogita sancte, non enim est opus te arcana videre oculis.

XVI.

Prorsus simile argumentum est, quod huc detorquetur ex capite 9. Ecclesiastici non recte enarrato.

Nescit homo, an amore vel odio dignus sit, etc.

Respondeo brevissime. Tota series in eo textu ostendit Salomonem hoc velle, non iudicandum esse ex spectaculis humanorum eventuum in hac vita, videlicet ex secundis vel adversis rebus de favore et odio Dei, ut David non iudicet se a Deo abiectum esse, quia ex regno expulsus est. Achab non iudicet se placere Deo, etiamsi est rex potens et victor. Sed David iudicet ex verbo Dei se placere Deo, quanquam exulem: quia dictum est: Dominus abstulit peccatum tuum. Achab iudicet se displicere Deo, quanquam est rex potens et gloriosus, quia scriptum est Deuter. 27. Maledictus omnis qui facit Idolum abominationem Dei. Congruit igitur dictum Salomonis cum nostra sententia, quae iubet de voluntate Dei ex verbo iudicare, non ex spectaculis externis. Nec difficile est copiose refutare enarrationes Papistarum. Insaniunt enim, si hoc dicunt, Non scire homicidas et adulteros, an sint digni odio Dei. Hinc manifeste apparet ipsorum interpretationem esse tetram corruptelam. Sed regula universalis teneatur, De voluntate Dei ex verbo ipsius iudicandum esse, iuxta dictum: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Et Verbum Dei universaliter damnat omnes, qui non sunt conversi ad Deum, iuxta dictum: 1. Corinth. 6. Nolite errare, Idololatrae, homicidae, adulteri etc. non sunt haeredes vitae aeternae. Item, Qui non credit in Filium, manet ira Dei super eum. Rursus universaliter recipit Deus omnes, qui in conversione seu poenitentia credunt in Filium, iuxta dicta: Vivo ego, dicit Dominus, Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Item, Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Hae summae regulae semper in conspectu sint, quae multis aliis sententiis lucem afferunt.

Detestanda est autem Synodi Tridentinae impudentia, quae in decreto detorsit hoc dictum Salomonis ad confirmandam falsam doctrinam, quae iubet semper dubitare, an simus in gratia. Contra hunc errorem sint in conspectu consolationes in Paulo traditae. Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio. Item, Iustificati fide pacem habemus. Et notum sit Augustini dictum in Libro Meditationum: Totius fiduciae certitudo est in pretioso sanguine Christi. Etsi autem naturalis imbecillitas semper concutitur dubitatione, tamen fides eluctetur et vincat dubitationes, et quotidie clamemus ad Dominum: Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meae.

XVII.

Naturalia sunt immutabilia,
Dubitatio de reconciliatione est naturalis, ut nunc quidem nascimur,
Ergo est immutabilis.

Respondeo. Concedo esse immutabilem in hac depravatione sine voce Evangelii et sine auxilio divino, sicut Adam non solum in dubitatione mansisset, sed etiam oppressus aeterna dubitatione fuisset, si promissio gratiae non prolata esset ex sinu aeterni Patris, et per verbum Deus flexisset cor Spiritu sancto ad assensionem, et sic in illa consolatione Filius voce Evangelii primos parentes retraxisset ex morte. Hoc exemplum intueamur, quod ostendit, quomodo fiat haec consolatio et liberatio a dubitatione, et docet promissionem Evangelii, non esse natura notam, et discernendam esse a Lege, et ab aliis naturalibus notitiis.

XVIII.

Virtutes non sunt confundendae, cum Paulus discernat: Fides, Spes, Dilectio, haec tria, maior horum dilectio.

Fiducia est actio Spei,
Ergo fiducia est discernenda a Fide.

Respondeo ad Maiorem. Verum est, Virtutes non esse confundendas, sed recte intelligenda sunt discrimina. Nam Fides non tantum est notitia, sed est simul assentiri promissioni, in qua offeruntur remissio peccatorum, reconciliatio, vivificatio per Filium dato Spiritu sancto, et haereditas vitae aeternae. Et est fiducia acquiescens in Deo propter Mediatorem, accedens ad Deum, et accendens invocationem, et clamans Abba pater. Et quia fides in praesentia accipit remissionem et reconciliationem, est fiducia praesentis beneficii. Sed Spes est certa expectatio vitae aeternae, gratis dandae propter Mediatorem, id est, expectatio mitigationis poenarum corporalium, iuxta voluntatem Dei. Cum igitur fiducia nominatur actus Spei, intelligitur fiducia futurae liberationis, seu futurae mitigationis. Dilectio est obedientia, quae praelucente fide praestatur Deo iuxta omnia mandata, cum laetitia cordis acquiescente in Deo propter Filium.

XIX.

Maxima virtus maxime iustificat,
Dilectio est maxima virtus,
Ergo maxime iustificat.

Respondeo. Concedo totum argumentum de iustitia Legis: Sed quia non habemus integram iustitiam Legis, Evangelium concionatur de alia, et docet imputari credenti iustitiam propter Mediatorem. Haec est simplex et vera responsio, quae prolixius explicari potest, si quis postulat. Ac sciendum est, longe aliud esse loqui de collatione virtutum inter sese, aliud de remissione peccatorum, et reconciliatione coram Deo.

Utile est autem in eo ipso loco Pauli, diligenter considerare collationem integram. Affirmat Paulus dilectionem necessariam esse, fidem miraculorum, efficientem sanationes et alia opera, non singulis necessariam: Ideo longam coacervationem fructuum addit, qui distribuendi sunt in praecepta Decalogi, iuxta virtutum appellationes.

Dilectio est patiens, id est, non iracunda, non cupida vindictae. Sic orditur fructus ab ea virtute, quae maxime necessaria est, scilicet a patientia seu mansuetudine, quae ad quintum praeceptum pertinet, et excludit odia et cupiditatem vindictae, unde plurima mala in communi societate oriuntur.

Benefica est: pertinet virtus beneficentia ad quintum et septimum praeceptum.

Non est aemulatrix, excluditur invidentia, ut Cain, Saul aemulatione seu invidentia peccant. Est contraria candori.

Non est insidiatrix, seu fraudulenta, seu calumniatrix, seu astute depravans recte dicta seu facta: ut Ulysses Palamedi insidiatur, Anytus et Melytus Socrati, Siba calumniose accusat filium Ionathae. Talia exempla pertinent ad verbum περπερεύεσθαι.

Non inflatur, excludit superbiam, et certamina ambitionum.

Non deformes gestus habet, praecipit modestiam, contra assentationes, et contra tumultus contentionum.

Non sua quaerit, ut multos avaritia movet ad assentationes, et multa turpia ministeria, ut dicitur: Malus est minister regii Imperii pudor. Item, Exeat aula, qui vult esse pius.

Non est irritabilis, excluditur stulta credulitas, quae admittit delationes non exploratas contra praeceptum octavum.

Non malum cogitat, id est, non est suspicax, ut plurimum peccant suspicaces impulsi falsis ratiocinationibus contra alios. Id vitium etiam pugnat cum octavo praecepto.

Non gaudet propter iniustitiam, id est, non est ἐπιχαιρέκακος, non laetatur calamitatibus innocentum, vel in genere non laetatur scelere, sicut Catullus inquit: Tantum tibi gaudium in omni culpa est, in quacunque est aliquid sceleris. Contraria virtus est laetari veritate et recte factis. Item, Propter res secundas iustorum, et certe sunt officia veritatis et iustitiae propria, probare recte dicta et recte facta, et laetari recte dictis et recte factis.

Omnia capit στέγει ἐπιείκεια est, quae placide fert aliorum dissimiles mores, nec alienatur propter morositatem, aut tales aliquos morbos, qui sunt sine scelere, nec movet certamina propter quaslibet ineptias, quia certe sapientem considerare oportet, ubi sit praeliandum seu pugnandum.

Omnia credit. Alibi dicitur, Qui cito credit, levis est corde. Et utilis est vetus admonitio, μέμνησο ἀπιστεῖν ταῦτα ἐστὶ ἄρθρα φρενῶν. Haec vera sunt de credentibus, sine probabilibus argumentis, ut qui odio iudicant, non argumentis, libenter admittunt calumnias, etiam impudenter confictas, de his quos oderunt, sicut inquit Caesar: Quod volunt homines libenter credunt, quod ex Demosthene

sumtum est, ἅπερ γὰρ βουλόμεθα, ταῦτα μᾶλλον πιστεύομεν. Sed virtus est candor vicina veritati, quae recte facta non depravat, et ambigua flectit in meliorem partem probabili ratione. Quod igitur hic dicit, omnia credit, de candore intelligatur, probabili ratione credente et vitante suspiciones et calumnias.

Omnia sperat, Opponitur saevitiae, quae properat ad ultimam poenam non tentata emendatione, iuxta Evangelium, ubi ordo traditur: Argue eum inter te et ipsum. Sperat enim omnia dilectio, donec locus est emendationi.

Omnia perfert. Repetitum est praeceptum de patientia, praesertim in iniuriis tolerandis, ne cupiditate vindictae ruant doctores ad turbandam Ecclesiam, sicut iniuriae dolor Coriolanum armat contra patriam, Iulium contra Pompeium.

Nunquam excidit, id est, durabilis est, non amittitur in vita aeterna, et semper eius usus est. Nam verbum ἐκπίπτειν significat excuti vel amittere aliquid, ut ἐξέπεσε πόλεως, id est, amisit civitatem.

PROPOSITIONES DE DISCRIMINE VERAE ECCLESIAE DEI A CAETERIS SECTIS SEIUNGENDAE.

I.

In tam horrendis confessionibus generis humani, in tanta varietate opinionum de Deo, et inter tot scelera libidines, iniusta bella, latrocinia, vastationes mendacia, et infinitam Sophisticam turbatur humana ratio, quaerens, an sit Deus, et an certa pars generis humani sit Ecclesia Dei, quae curae sit Deo et exaudiatur, et cui sese in tota aeternitate communicaturus sit, et quae ac ubi sit illa Ecclesia, an vero omnes homines pariter negligantur a Deo.

II.

Cum haec horrenda spectacula tristissimis dubitationibus concutiant omnium hominum animos, necesse est opponere testimonia de Deo et de Ecclesia, et mentes verbo Dei, quod illustribus testimoniis traditum est docere ac confirmare, et simul ardenti precatione petere, ut divinitus doceamur et confirmemur, sicut scriptum est: Orate, ne intretis in tentationem.

III.

Non satis est cogitare argumenta, quae ratio humana naturali luce cernit, sed tamen paedagogia utilis est, haec argumenta quoque colligere ad refutandos Epicureos furores; Nam et Paulus iubet vestigia Dei in natura aspicere et considerare.

IIII.

Notae sint igitur hae demonstrationes, Impossibile est notitias ordinatas, ut numeros, discrimen honestorum et turpium, immutabile conscientiae iudicium, gaudium et horribiles pavores universaliter sic existere casu in hominibus, aut ex corporali et bruta materia oriri. Necesse est igitur mentem infinitae potentiae, sapientiae et iustitiae esse, a qua hae notitiae et iudicium conscientiae oriuntur.

Ad hoc argumentum adiungatur generale argumentum de pulcherrimo ordine corpori mundi, legibus motuum coelestium, de vicibus temporum, de annua foecundatione terrae, de conservatione specierum, de distributione plantarum ad nutricationem et mendicationem, de multis συμπαθείαις et ἀντιπαθείαις in natura. Item argumentum valde firmum de conservatione humanae societatis in hac vita, quam in tantis confusionibus et furoribus hominum durare impossibile esset, nisi Deus eam sua potenti dextra tueretur.

Huc adiungatur regula, quod atrocia delicta comitantur atroces poenae in hac vita, iuxta dictum: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item, Omnis anima, quae fecerit has abominationes, eradicabitur etc. Hanc regulam experientia etiam Ethnicos docuit, et eos de providentia commonefecit, ut versus est:

εὐσεβέεσσιν ἀεὶ τὸ τέλος γλυκερώτερόν ἐστι.
Item τεύχων ὥς ἑτέρῳ τι, ἑῷ κακὸν ἥπατι τεύχει.

Et Isocrates inquit etiamsi aliquando secus evenit, tamen prudentes regulam anteferre debere iis, quae raro et extra regulam accidunt: οἷ αὐτῷ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων. Addunt Philosophi demonstrationes ex ordine causarum, Item argumenta ex signis: cum futura significentur singularibus prodigiis, apparet regi mutationes rerum humanarum mente, quae praemonet homines.

V.

Simul etiam naturales notitiae ostendunt, quod et qualis sit Deus, videlicet mens aeterna, fabrica-

trix totius naturae et ordinis in natura, et quidem talis, qualem se esse in Lege naturae ostendit, quia cum homo facit contra illas Leges, sequitur destructio naturae in pavoribus conscientiae et in aliis poenis. Cum igitur velit congruentia Legi, certum est, Deum esse mentem sapientem, veracem, beneficam, iustam, castam, punientem scelera et destruentem contrarias naturas. Ex his naturalibus notitiis extructa est definitio Platonica: Deus est mens aeterna causa ordinis ac boni in natura.

VI.

Sed haec notitia de Deo, quam cernit ratio naturaliter, etiamsi veras demonstrationes habet, non est sufficiens, sed vult Deus se agnosci, sicut se in verbo suo patefecit, cui addidit illustria testimonia. Ideo dicitur 1. Corinth. 1. Cum non nosset mundus Deum in sapientia per sapientiam, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes. Et Iohan. 1. Deum nemo vidit unquam, unigenitus Filius Dei, qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis. Item: Hunc audite. Item, Pater sanctifica eos in veritate, sermo tuus est veritas.

VII.

Dupliciter differt Ethnica notitia Dei a vera, quae est Ecclesiae propria, videlicet agnitione essentiae et agnitione voluntatis Dei. Nam essentia sic patefacta est, quod una sit essentia aeterna, omnipotens, sapiens et bona, creatrix, et tamen sint tres personae ὁμοούσιοι, aeternus Pater, coaeternus Filius imago aeterni Patris, et Spiritus sanctus.

VIII.

Ideo definitionem in Ecclesia tradimus. Deus est essentia spiritualis, intelligens, aeterna, alia a creaturis omnibus, verax, bona, iusta, casta, misericors, benefica, liberrima, immensae sapientiae et potentiae, irascens peccatis: Pater aeternus, qui Filium imaginem suam ab aeterno genuit, et Filius imago aeterni Patris, et Spiritus sanctus procedens a Patre et Filio: Sicut patefacta est divinitas certo verbo et testimoniis divinis, quod Pater aeternus cum Filio et Spiritu sancto condiderit et conservet coelum et terram et omnes creaturas, et adsit omnibus creaturis quo ad conservationem, et colligat sibi in genere humano aeternam Ecclesiam propter Filium et per eum, et sit iudex iustorum et iniustorum. Hic vides in definitione nominari personas, et dici de collectione Ecclesiae propter Filium, et per eum. Haec non sunt nota rationi, sed divinitus patefacta sunt, ut illustri patefactione tres personae ostensae sunt in Baptismo Christi. Et de singulis postea recitabimus testimonia.

IX.

Vocabulum essentiae significat id, quod revera est, etiamsi est communicatum Graeca οὐσία. Vocabulum personae in Latina Ecclesia receptum est, cum vetus Graecia significantius dixerit, tres esse ὑποστάσεις seu ὑφισταμένους. Id vocabulum opponitur evanescenti cogitationi, vel voci evanescenti, vel motui accidentali evanescenti, et definitio haec traditur. Persona seu ὑφιστάμενον est substinens vivum, individuum, intelligens, incommunicabile, non sustentatum in alio.

X.

Sunt autem tres personae divinitatis, Pater, Filius et Spiritus sanctus, ὁμοούσιοι et coëssentiales, non plures nec pauciores, quia sic se divinitas patefecit, ut postea testimonia addemus.

XI.

Sic autem discernuntur. Pater aeternus est prima persona divinitatis, non nata, nec aliunde procedens, sed quae ab aeterno genuit Filium imaginem suam, et a qua procedit Spiritus sanctus, et quae cum Filio et Spiritu sancto omnes alias res creavit, et earum substantias conservat.

XII.

Creare autem nominat Ecclesia usitate, aliud ex nihilo facere, sicut Deus coelum et terram, angelos, et totam hanc mundi machinam dicendo fecit ex nihilo, non ex aliqua praecedenti aeterna materia, ut multi Philosophi cogitaverunt. Gignere est alium de sua essentia gignere.

XIII.

De his vocabulis Ariani certamina moverunt, quia enim in Graeca lectione Salomonis Proverb. 8. scriptum est de sapientia: Deus creavit me initium

viarum suarum etc. Inde Ariani contendebant Filium esse πλάσμα ἐκ μὴ ὄντων, id est, rem creatam ex nihilo. Sed in Hebraeo textu aliter legitur: Dominus possedit me initio viarum suarum, id est, operum, consiliorum. Etsi autem Iudaei nolunt hic intelligere sapientiam, quae sit persona seu ὑφισταμένη: tamen dico recte intelligi illa dicta de Filio, sicut postea inquit: Fui cum eo artifex, et delectationes quotidianae, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrae, et delectationes meae cum filiis hominum: Nunc ergo filii audite me, et beati qui vias meas custodiunt. Sicut Iohannes inquit: Omnia per ipsum facta sunt. Ita et hic dicitur: Fui cum eo artifex. Et sicut inquit: Filius qui est in sinu Patris ipse enarravit nobis. Item, Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui volet Filius revelare: Ita hic dicitur, Delectationes meae cum filiis hominum. Dicit se ad hominem mitti, ut Evangelium patefaciat. Hic Filius est persona, per quam immediate profertur promissio, et quae immediate ad Prophetas loquitur, et quae adest immediate verbo vocali, et per illud est efficax. Estque dulcissime dictum, quod inquit: Se delectari consuetudine hominum, mittitur volens, et laetatur nostra salute, sicut Luc. 10. inquit: Laetatus est in Spiritu et agit gratias aeterno Patri, quod multi convertuntur. Et de Ecclesia dicitur Psalmo 16. Omnis voluntas mea in eis, id est, ego diligo eos, delector eis, et pro eis laboro. Contra vero de hostibus inquit: Non libabo libationes eorum de sanguine, nec assumam nomina eorum in labiis meis, id est, non recipiam sacrificia hostium Evangelii, nec precabor pro eis qui stabiliunt Idola et blasphemias, et propter confessionem Evangelii interficiunt recte sentientes et innocentes. Tales non sunt Ecclesia Dei, etiamsi gloriantur se esse Ecclesiam Dei. Et hoc uno clypeo defendunt errores suos Papistae, ut ostendant plurimorum recentium scripta Poli, Canisii, Staphyli, et similium etc. Sit igitur in conspectu hoc dictum: Non libabo libationes etc. Teneamus consolationes, quod Filius Dei inquit, se adesse Ecclesiae suae, Omnis voluntas mea in eis.

XIIII.

Filius aeternus est secunda persona divinitatis, quae est substantialis et integra imago aeterni Patris, quam Pater sese intuens et considerans ab aeterno gignit, quae nobis sic quidem manifestata est, quod sit persona, per quam Pater aeternus dicit decretum, et totum ordinem creationis et reparationis hominum, et mittitur, ut patefaciat Evangelium, et assumat naturam humanam, et sit Mediator, Redemtor, Iustificator et Salvator.

XV.

Spiritus sanctus est tertia persona divinitatis, procedens a Patre et Filio, et est substantialis amor, et laetitia coaeterna inter Patrem et Filium, et nobis sic manifestata est, quod mittatur in corda credentium, ut tales motus, amorem et laetitiam acquiescentem in Deo in eis accendat, qualis est ipse, sicut 2. ad Timoth. 1. expresse scriptum est: Non dedit nobis Spiritum timiditatis, sed roboris, dilectionis Dei, et castificationis.

XVI.

Differunt nasci et procedere. Nasci est a potentia cognoscente, quia genitum est Imago gignentis. Ut autem in hominibus potentia cognoscens format imagines et loquitur: Sic Filius est aeterni Patris imago cogitatione genita est λόγος ostendens eum in revelatione Evangelii. Procedere vero est a voluntate: quia Spiritus sanctus est motor seu agitator.

XVII.

Filius nominatur λόγος, non solum quia cogitatione nascitur, sed etiam quia est persona proferens Evangelium ex sinu aeterni Patris, et conservans ministerium Evangelii, et est efficax in his qui credunt Evangelio, et voce Evangelii dicens consolationem in mentibus eorum et vivificans eos, sicut inquit: Ego vitam aeternam do eis, et ostendens Patrem et effundens Spiritum sanctum in corda eorum. Etsi enim fit vivificatio per tres personas, tamen hoc ordine fit. Aeternus Pater per Filium colligit Ecclesiam, qui immediate voce Evangelii movet corda et monstrat Patrem, et dat Spiritum sanctum. Ideo dicit Athanasius: Quandocunque dicitur in homine Spiritus sanctus esse, est ibi per Verbum.

Considerandum est igitur Filium dici λόγον, et respectu Patris et respectu nostri, quia est λόγος, per quem Pater se nobis patefecit. Ideo in Iohanne dicitur: Filius qui est in sinu Patris etc. Item, Nemo novit Patrem etc. Et Dominus ipse respondet interrogantibus quis sit: τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Ego sum verbum, quod loquor vobis ab initio, Sum illa persona initio missa ad Ecclesiam, quae protuli Evangelium ex sinu aeterni Patris, et locuta sum cum Patribus. Haec declaratio nominis λόγος, quod alloquatur Ecclesiam, congruit

ad dicta in Iohanne, et est dulcior quam declaratio de modo generationis. Nazianzenus utramque declarationem recitat: Filius dicitur λόγος, quia sic se habet ad Patrem, sicut ad mentem sermo, et quia est ἐξαγγελτικός, id est, proferens Evangelium.

XVIII.

Congruit ad hanc enarrationem τοῦ λόγου, quod Esaias nominat eum Consiliarium, videlicet proferentem hoc mirandum consilium de redemtione et salvatione ex sinu aeterni Patris, et postea capite 41. nominat eum Evangelistam.

XIX.

In Epistola ad Hebraeos appellatio est Imago, quam nominat fulgorem paternae lucis. Est enim usitata phrasis apud Hebraeos dicere gloriam pro luce. Postea inquit: Character substantiae Patris. Dicitur autem Filius imago, quia Pater sese perfecte intelligit, cum sese intuetur: in ea cogitatione fulget integra et substantialis imago aeterni Patris, sapiens, verax, benefica, iusta, casta, misericors. Congruit autem et haec appellationis ratio. Filius eo dicitur imago, quia annuntiando Evangelium ostendit arcanam voluntatem Patris. Nec dissimiles sunt voluntates Filii, et aeterni Patris. Promissio gratiae edita per Filium est universalis. Cum igitur Filius sit imago aeterni Patris, non cogitetur alia et dissimilis arcana esse voluntas Patris.

XX.

Sint autem in conspectu testimonia, quod λόγος sit ὑφιστάμενος, non cogitatio aut vox evanescens. Sitque hoc primum valde illustre testimonium, quod in quotidiana invocatione cogitandum est. Certissimum est nihil invocandum esse, quod non est natura Deus et omnipotens, iuxta dictum: Dominum Deum tuum adorabis et ei soli servies, et Invocatio absentis tribuit ei omnipotentiam, videlicet audire et iudicare corda, quia solus Deus penitus videt corda et discernit Hypocrisin a vera invocatione. 1. Paral. 28. Omnia corda scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit.

Affirmat autem tota scriptura Prophetica et Apostolica Messiam invocandum esse, Psalm. 45. Quoniam ipse est Deus tuus, et adorabis eum, et Psalm. 72. Deprecabuntur coram ipso semper, et Gen. 48. Ipse Iacob invocat eum dicens: Deus Abraham, et angelus qui eripuit me de cunctis malis, benedicat his pueris, et Matth. 11. dicit. Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos. Et 2. Thes. 2. Ipse Dominus noster Iesus Christus et Deus et Pater noster, qui dilexit nos et dedit consolationem aeternam et spem bonam, in gratia confirmet vos. Ergo fateri necesse est, quod Messias sit non tantum homo, sed quod sit λόγος, de quo dicitur: Verbum caro factum est, et sit ὑφιστάμενος, non evanescens. Haec in quotidiana invocatione cogitanda sunt, et statuendum est vere aspici et exaudiri gemitus cordium nostrorum ab hoc ipso Messia ad Ecclesiam misso, qui immediate vult custos esse Ecclesiae suae, sicut inquit: Nemo rapiet oves meas de manibus meis.

XXI.

Deinde addantur testimonia quae de divinitate Filii loquuntur, ut Iohan. 1. Deus erat Verbum. Et cum Paulus ad Colossenses de persona Christi inquit: Omnia per eum facta esse, et consistere per eum omnia, Fatendum est in Christo non tantum esse humanam naturam, sed et divinam, et verbum non esse evanescentem sermonem, sed ὑφιστάμενον quod manet in persona Christi. Sicut ipse testatur Iohannis 8. Antequam Abraham natus est, ego sum. Item, Si videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius. Item, Glorifica me Pater ea gloria, quam habui apud te, antequam esset mundus. Est igitur λόγος ὑφιστάμενος.

XXII.

Huc pertinent omnia dicta de omnipotentia Christi, Iohannis 10. Ego vitam aeternam do eis. Iohan. 5. Pater meus usque modo operatur et ego operor. Quae ille facit, Filius similiter facit. Item Sicut Pater exuscitat mortuos et vivificat, sic et Filius, quos vult, vivificat. Quid simplicius et planius dici potest? Cogita autem, quantum referat firmissime statuere, quod natura Deus se demiserit, ut nostrae naturae massam assumeret, et fieret Redemtor. Saepe igitur cogitentur haec testimonia, et ad confirmationem et ad consolationem. Matth. 18. Ubicunque sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Sunt autem propria naturae divinae, ubique adesse, exaudire, et opitulari ubique. Quid dulcius cogitari potest, quam hunc Redemtorem, qui pro te victima factus est, nunc quoque adesse custodem tuum, et gestatorem, sicut in Esaia inquit:

Ego gestabo vos, sicut pastores agnos recens editos in gremio suo gestant.

XXIII.

Ideo Paulus inquit: Habitat in Christo plenitudo divinitatis corporaliter. Hic duo sunt discrimina, quae sic interpretor. In aliis sanctis habitat Deus separabiliter, docens et movens eos, et non totam sapientiam et omnia dona tribuit, sed in Christo habitat σωματικῶς, id est, ita, ut sint una persona λόγος et natura assumta, et sint hae duae naturae inseparabiliter iunctae in tota aeternitate. Nam ut nos dicimus nunc usitato sermone persona, sic Graeci dixerunt σῶμα. Et cum λόγος in persona Christi sit essentialiter Deus, ibi plenitudo est potentiae, sapientiae, iustitiae, vitae, et omnium donorum.

XXIIII.

Primae Corinth. 10. Paulus affirmat, Christum adfuisse populo Israël in deserto. Bibebant ex spirituali comitante eos petra, Petra autem erat Christus. Haec dicta quae affirmant ante assumtionem naturae humanae adfuisse Ecclesiae Filium Dei, maxime perspicue ostendunt λόγον ὑφιστάμενον esse, et declarant missionem ad Ecclesiam, et quod semper per ipsum immediate collecta sit et colligatur Ecclesia, et quod ideo haec persona assumserit naturam humanam, quia haec ipsa persona ad colligendam Ecclesiam missa est. Notum sit igitur et dulcissimum dictum Irenaei libro 3. cap. 2. ubi affirmat λόγον esse personam et semper adfuisse Ecclesiae, etiam antequam assumsit humanam naturam. Verba Irenaei haec sunt: Ostenso manifeste, quod hunc, qui a principio λόγος fuit apud Deum, per quem omnia facta sunt, qui et semper aderat humano generi, novissimis temporibus secundum praefinitum tempus a Patre, unitum suo plasmati, passibilem hominem factum misit.

Sint igitur in conspectu testimonia, quae affirmant, semper adfuisse Ecclesiae Filium. Fit enim invocatio ardentior, cum hoc officium Filii et hanc familiaritatem nobiscum cogitamus, quod sit missus, ut semper colligat Ecclesiam, servet ministerium Evangelii, sit efficax cogitatione Evangelii, sicut dicitur: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Item Christus est nobis factus a Deo sapientia, iustitia, sanctificatio et redemtio.

SAPIENTIA est, quia profert Evangelium ex sinu aeterni Patris, et credentibus ostendit patrem. IUSTITIA est, quia propter eum dantur remissio peccatorum et reconciliatio, qua coram Deo iusti, id est, accepti sumus. Est et SANCTIFICATIO, quia per eum immediate nova lux in mentibus accenditur, et ostenditur voluntas Patris, et datur Spiritus sanctus. Est et REDEMTIO, id est, liberator, per quem redemta est Ecclesia, et liberatur a morte aeterna, et donatur gloria et vita aeterna. Est autem et haec descriptio effectuum Christi testimonium, quod sit omnipotens. Ac pertinent dicta de missione ante assumtionem humanae naturae ad hanc propositionem, videlicet, Abraham vidit diem meum et laetatus est. Item, Antequam Abraham natus est, ego sum. Item, τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Item, Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis. Item, Ex plenitudine eius nos omnes accepimus, inquit Baptista, Omnes Patres et Prophetas accepisse Evangelium et vivificationem et iustitiam ad vitam aeternam, dante hoc Filio et propter eum.

XXV.

Valde confirmant piam mentem cogitantem de divinitate in Filio Dei, dicta quae loquuntur de praesentia eius in Ecclesia ante nativitatem ex virgine. Simul autem cogitetur de omnipotentia, qua et tunc fuit efficax, et eodem modo efficax est in Ecclesia post assumtam humanam naturam. Nam et haec dicta de omnipotentia sunt testimonia divinitatis. Nominatur Christus caput Ecclesiae Ephes. 1. Dedit eum caput super omnia Ecclesiae, quae est corpus eius integrum, perficientis omnia in omnibus. Expresse autem fatentur scriptores lib. 3. sententiarum distinctione 13. Nomen capitis tribui toti personae, et alias additis proprietatibus competere ei secundum humanam naturam, alias secundum divinam.

Est caput efficacia, perfectione, merito et ordine. Primum efficacia, quia haec persona proprie missa est, ut immediate per eam aeternus Pater colligat Ecclesiam. Haec persona initio profert Evangelium, per eam immediate Adam et Eva vivificantur: Adest Ecclesiae, et eam immediate vivificat, sustentat, et servat. Per eam Nohe in arca, populus in mari rubro, tres viri in flammis, et in summa universa Ecclesia immediate per hanc personam servatur: Sic inquit Paulus in Ephesiis, Perficere eum omnia in omnibus, et supra dictum est: Ego vitam aeternam do eis. Item, Quos Pater vivificat, hos et Filius vivificat. Haec efficacia est capitis praesentis in Ecclesia, secundum divinam naturam.

Quanquam autem aliquae actiones, vivificare aut resuscitare mortuos competunt Christo secundum naturam divinam: tamen actiones dicuntur esse totius personae communicatione Idiomatum, ut dicimus: homo numerat, etiamsi tantum mente numerat. Fiunt iam hae actiones in natura assumta, et ideo fiunt, quia decretum de illo mirando foedere factum est, videlicet de Filio mittendo ad assumendam humanam naturam. Et fiunt actiones multae ministerio assumtae naturae, ut cum iudicabit Filius resuscitatos visibiliter, iudicium vere erit potentiae divinae, sed ministerio naturae assumtae, sicut inquit: Omne iudicium dedit Filio. Est autem et sua efficacia naturae assumtae, quae antecellit omnibus creaturis potentia, et multa potenter agit, quae capiti congruunt.

Secundo Christus est caput perfectione, non solum iuxta divinam naturam, sed etiam humanam, quia et humana natura in Christo antecellit sapientia et iustitia omnibus angelis et hominibus.

Tertio est caput merito, iuxta humanam naturam, quia, cum perfectissima obedientia meruerit Ecclesiae Redemtionem, iustum est eum superiorem esse universa Ecclesia.

Quarto ordine iuxta missionem, sicut Iohannes inquit: Prior me est, quia primum haec secunda persona propter decretum de assumenda humana natura ad Ecclesiam missa est. Dignitas autem etsi summa est, et propter has causas, quas recitavi, efficaciam, perfectionem, meritum et ordinem: tamen per se est dignissima persona, propter naturam divinam, et propter assumtae naturae Excellentiam.

Hae causa omnes cogitentur, cum Paulus nominat Christum caput. Expresse autem dicit: Perficiens omnia in omnibus, quod intelligatur sicut hoc dictum: Ego sum vitis, vos palmites: Sine me nihil potestis facere, scilicet salutare. Etsi tota divinitas colligit Ecclesiam et est in ea efficax: tamen per Filium missum ad Ecclesiam haec immediate fiunt, et voce Evangelii. Et verum est dictum: Filius agit per se, sed non a se. Ideo dicit: Sedet ad dexteram aeterni Patris, dans dona hominibus. Haec dona dantur a Patre, Filio et Spiritu sancto, Et tamen immediate dantur per Filium. Sic et Psalmus loquitur: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis. Etsi tota divinitas colligit Ecclesiam, tamen Psalmus tribuit hoc Filio, quia per ipsum hoc fit immediate missum, ut proferat Evangelium ex sinu aeterni Patris, et sit Redemtor et salvator Ecclesiae.

EX VETERI TESTAMENTO.

Adiungantur et testimonia ex Prophetis: apud quos hoc commune semper in conspectu sit, quod universaliter docent Prophetae, Messiam invocandum esse. Nihil autem invocandum est, quod non est natura Deus. Item: quod universaliter docent Prophetae, Messiam reddere iustitiam et vitam aeternam, quod est naturae omnipotentis. Et quia ante naturae humanae assumtionem, cum Patribus et Prophetis loquitur, et tribuuntur ei proprietates divinae, fateri necesse est, quod Messias sit Deus. Iacob inquit: Benedicat Deus his pueris, et angelus qui liberavit me ex omnibus malis. Ubi non dubium est, nominari angelum Filium missum ad Ecclesiam, qui semper fuit et est custos suae Ecclesiae, et proprietates sunt divinae naturae, liberare ex cunctis malis, a peccato, et morte et a furoribus Diabolorum, item restituere iustitiam et vitam aeternam. Loquitur Daniel cum Domino, quem nominat Palmoni, id est, mirificum, videlicet mirandis modis colligentem et servantem Ecclesiam, et mortuis reddentem vitam, quia est persona immediate loquens cum Moise, et ostendens se ei in Petra. Exodi 33. et Filius λόγος qui ibi expresse inquit: Vacabor in nomine Domini coram te: Et cum inquit, Posteriora mea videbis, significat hanc personam assumta natura humana in fine istius politiae cernendam esse. Quare et veteres sapienter illud Pauli: Lex est data in manu Mediatoris, intellexerunt de Filio. In manu Mediatoris, scilicet Filii, sicut affirmat Paulus, adfuisse eum populo in deserto.

Hieremiae 33. Et hoc est nomen quod vocabunt eum IEHOVA iustitia nostra, ubi Propheta expresse nominat Messiam Iehova, quod nomen nusquam creaturis tribuitur. Etsi autem Iudaei astute eludunt: tamen manifesta est refutatio, cum ait: Vocabunt eum Iehova, id est, invocabunt. Est autem et ipsa Invocatio testimonium divinitatis, et ait sic invocandum esse, ut fateamur hoc germen David quod est Iehova, esse iustitiam nostram, id est, vivificatorem et iustificatorem, tollentem peccatum, reddentem iustitiam et vitam aeternam. Haec est proprietas divinae potentiae, nec tribui potest creaturis.

Esaiae 7. Vocabitur nomen eius Emmanuel, id est, nobiscum Deus, Nec valet elusio Iudaica de vocabulo, quia additur proprietas naturae omnipotentis. Pater vitae perpetuae. Dare enim vitam aeternam est naturae omnipotentis: Sic inquit ipse Dominus: Ego vitam aeternam do eis. Est autem in hoc dicto Esaiae, et in appellatione Emmanuel considerandum testimonium de missione Filii ad

Ecclesiam, quod videlicet propter hanc personam recipiamur, et quod per eam immediate colligatur Ecclesia, et quod haec persona immediate sit custos et caput Ecclesiae, quod semper ei adest, eam servat et gestat.

Micheae 5. Egressiones eius ante dies mundi. Hoc testimonium etsi breve est, tamen affirmat Messiam fuisse ante creationem mundi. Est igitur aeternus et Deus. Quare et norunt eum patres ab initio, et adesse eum Ecclesiae sciverunt, et eum invocaverunt, ut apparet in precatione Iacob supra recitata.

Psalm. 45. Et concupiscet rex decorem tuum, quia ipse est Deus tuus, et adorabis eum. Hic et adoratio et proprietas competit naturae omnipotenti. Et dulcis consolatio est, cum Ecclesiae species propter infirmitatem, crucem, et scandala videatur deformis esse: tamen Psalm. inquit, Hunc regem delectari pulchritudine Ecclesiae. Rex concupiscet decorem tuum. Est enim pulchra coram ipso, quia non est Idololatrica, sed retinet Evangelium, agnoscit et invocat verum Deum sine Idololatria, et huic vero Deo desponsata est fide, et est domicilium et templum Dei. Cum igitur in ea sit lux, videlicet verus Deus et agnitio veri Dei, est pulchra, etiamsi in hac mortali natura adhuc sunt reliquiae peccati et multiplicia vulnera et scandala Ecclesiam lacerant. Hanc consolationem deformitati nostrae opponamus, et laetemur nos esse in vera Ecclesia, quae coram Deo pulchra est, non est Idololatrica ut agmina Mahometistarum, Papistarum, Anabaptistarum, et multorum fanaticorum.

Psalm. 72. dicit Messiam sempiternum esse et semper adorandum. Fuit nomen eius semper ante solem, et benedicentur in eo omnes gentes. Item, Timebunt eum, donec erunt Sol et Luna. Item, Adorabunt eum omnes Reges. Hic Psalmus affirmat Messiam aeternum esse item adorandum esse. Hae sunt proprietates Dei, et intelligitur adoratio, non de externo gestu corporis tantum, qui exhibetur praesenti regi more politico, sed de adoratione naturae quam non cernimus oculis corporalibus, a qua petimus bona, quae non possunt dari a creaturis, quam confitemur dare vitam, iustitiam et salutem. Et in hoc ipso Psalmo sic declaratur adoratio, quia affirmat hunc Regem tribuere bona, quae creaturae dare non possunt. Eripiet pauperem, cui non est adiutor, dicit talem esse opitulatorem, qui desertos ab omnibus creaturis servat, ut servantur Adam et Eva deserti ab omnibus creaturis.

XXVI.

Responsio ad quaedam argumenta.

Postquam autem certis et illustribus testimoniis vera doctrina de Christo confirmata est, tenendae sunt etiam perspicuae responsiones ad ea quae contra veritatem opponuntur: Ac maxime speciosa obiectio est:

Natura divina non patitur, non moritur,
Christus est mortuus,
Ergo non est Deus.

Responsio ad minorem vera et necessaria est. Christus mortuus est secundum naturam humanam, sicut Petrus inquit, Christum passum esse carne, et Irenaeus pie et erudite dicit pag. 185. Christum crucifixum et mortuum esse requiescente verbo, ut crucifigi et mori posset, id est, natura divina non est quidem lacerata aut mortua, sed quievit, cessit irae aeterni Patris adversus peccatum generis humani, non est usa sua potentia, non exeruit suas vires, et voluit hanc obedientiam et humilitatem, qua quidem maiorem humilitatem ostendit erga aeternum Patrem, quam ulla alia creatura. Huius solutionis hic fons est, cum in Christo sint duae naturae, quaedam propria uni naturae non impediunt, quo minus et altera natura adsit, ut proprium est humanae naturae, edere, dormire, esurire, sitire. Haec non impediunt, quo minus adsit divina natura, quia naturae retinent suas proprietates: Sic lacerari membra, pati, mori, propria sunt humanae naturae, nec impediunt, quo minus adsit divina natura, sicut expresse dictum est: Ego habeo potestatem ponere animam et rursus eam sumere: Nam et sic assumsit humanam naturam, et sic induit infirmitatem, ut non maneret in morte. Hanc personam voluit aeternus Pater esse victimam, et quiescente verbo mori, secundum eam naturam, quae mori poterat. Sed voluit eum non manere in morte. Ideo inquit Athanasius pag. 28. Corpus assumsit, quod mori posset, quia morte placanda erat ira aeterni Patris. Manere autem in morte fuit impossibile propter unitam naturam divinam, quae mori non poterat. Teneantur autem hoc loco modi loquendi in Ecclesia, bono iudicio distincti. Haec propositio non est recepta in Ecclesia, Natura divina moritur, Quia in abstracto natura secundum se consideratur, non comprehenditur persona. Et vetustas tam severe custodivit hunc modum loquendi, ut decretum extet inter caeteras optimas sententias, in libro 9. Tripartitae historiae: Si quis dicit, quod in passione crucis dolorem sustinuerit

Filius Dei divinitate, et non carne et anima rationali, quam assumsit in servi forma, ut dixit sancta scriptura, anathema sit: *εἰ τὶς εἴπῃ, ὅτι ἐν πάθει τοῦ σταυροῦ ὀδύνην ὑπέμεινεν ὁ υἱὸς θεοῦ θεότητε, καὶ οὐ σαρκὶ καὶ ψυχῇ λογικῇ, ἣν ἀνέλαβεν ἐν δούλου μορφῇ, ὥςπερ εἶπεν ἁγία γραφὴ, ἀνάθεμα ἔστω.* Sed hae propositiones de Christo receptae sunt: Christus mortuus est, Deus mortuus est, et dicuntur esse verae communicatione Idiomatum.

Est autem communicatio Idiomatum figura loquendi, in qua proprietas unius naturae, tribuitur personae in concreto propter unionem Hypostaticam, ut recte dicimus: homo numerat, quanquam mente numerat tantum. Nec intelligatur communicatio Idiomatum, Physica confusio naturarum, sed prudenter cogitetur, quid sit persona.

Ingens dissimilitudo est harum propositionum: Baptista patiente Deus patitur, iuxta dictum: Quicquid fecistis uni ex minimis meorum, mihi fecistis: Et huius propositionis: Christo patiente Deus patitur. Nam Baptista patiente Deus patitur: haec vera est per *μεταφορὰν*, scilicet quia relatio, hoc est, contemtus ad Deum pertinet, ut contumelia Legati pertinet ad Dominum, scilicet relatione seu cogitatione: Sed in hac propositione: Christo patiente Deus patitur, non est Metaphora, sed significatur personae unitas, videlicet, quod haec persona patiens vere sit Deus, et tamen non intelligatur Physica confusio naturarum. In hoc, qui moritur, est natura divina, sed haec ad tempus quiescit, et vult istam humilitatem.

Prodest autem exempla intueri tradita in scripturis. Iohan. 8. Antequam Abraham natus est, ego sum. Haec propositio vera est communicatione Idiomatum, id est, de persona recte sic dicitur. Etsi enim natura humana Christi non erat ante natum Abraham, tamen persona eadem est, quae et ante fuit, et deinde assumsit humanam naturam. Et Zachar. 12. Videbunt me, quem confixerunt. Filius inquit se vulnerari, cum nondum naturam humanam assumsisset, sed propositio vera est communicatione Idiomatum. Sic Esa. 43. Servire me fecisti in peccatis tuis, laborare in iniquitatibus tuis.

Utile est etiam nosse dicta veterum scriptorum, qui de formis loquendi certa testimonia tradere voluerunt. Verba Hieronymi in expositione fidei ad Damasum haec sunt: Nos autem ita dicimus a Dei Filio susceptum esse passibile nostrum, ut Deus impassibilis permaneret. Passus est enim Filius Dei secundum illud, quod pati poterat, scilicet secundum substantiam assumtam. Item mortuus est Dei Filius secundum scripturam iuxta id, quod mori poterat.

Et Augustinus Psalm. 129. Per illud, quod homo erat, mortuus est Deus, et per illud, quod Deus erat, homo exuscitatus est et resurrexit.

Ambrosius de incarnatione verbi: Ergo moriebatur secundum naturae nostrae susceptionem, et non moriebatur secundum aeternae vitae substantiam.

Cumque nemo in Ecclesia sic sit locutus: Christus secundum utramque naturam mortuus est, diligentiam et circumspectionem Ecclesiae veteris nos quoque imitemur, ac sciamus eos usos esse particula, secundum, tanquam disiunctiva. Christus mortuus est secundum humanam naturam. Hic non fit divulsio personae, sed sua cuique naturae proprietas attribuitur, sicut particula Secundum usus est Paulus Rom. 1. Nato ex semine David secundum carnem. Et Act. 2. dicitur, Secundum carnem resurgere Christum.

Retinenda est igitur personae unitas et tamen non sunt confundendae naturae. Nestorius autem non retinuit unitatem personae negans hanc propositionem de Christo: Deus est passus, quia sentiebat *τὸν λόγον* adesse humanae naturae per assistentiam, ut ipsi loquebantur, id est, societatem, sicut revera adfuit Heliae vel Esaiae. Huic impiae imaginationi necesse fuit adversari, sicut necesse est discerni Christum ab omnibus sanctis. In Christo sic sunt unitae duae naturae, ut sint unum *ὑφιστάμενον*, id est, ut gestetur humana natura a *λόγῳ*, Sic ut sint inseparabiles naturae, deinde in tota aeternitate, et ut natura humana redigeretur in nihilum, nisi sic gestaretur. Usi sunt hac similitudine Athanasius, Cyrillus et Iustinus: Sicut homo est *ὑφιστάμενον* habens animam et corpus, sic unum est *ὑφιστάμενον, λόγος* et natura assumta. Sed tamen correctionem addidit Iustinus, quia exemplum non prorsus congruit. Verba Iustini haec sunt: Quidam sic explicarunt, cogitantes tanquam animae et corporis coniunctionem: Etsi autem concinnum est exemplum, tamen non congruit per omnia, congruit tamen secundum aliquid. Graeci sic: *τινὲς μὲν τὴν ἕνωσίν ὡς ψυχῆς πρὸς σῶμα νοήσαντες, οὕτως ἐκδεδώκασιν, καὶ ἁρμόδιόν γε τὸ παράδειγμα, εἰ καὶ μὴ κατὰ πάντα, κατὰ τὶ γοῦν.*

Iudico etiam discernendas esse proprietates, aliae sunt solius naturae divinae, ut non posse vulnerari, non posse mori, aliae sunt solius naturae humanae, posse vulnerari, mori etc. Ex his fiunt propositiones verae communicatione Idiomatum, et tamen cavendum est, ne fiat confusio naturarum.

Aliae sunt proprietates, quae sunt immediate personae, Christus est Mediator, Redemtor, Sacer-

dos, Rex, Salvator, Quia fatendum est, quod λόγος venerit, non tantum ut hanc suam massam, quam assumserat, sustentaret, sed propter nos, ut haec persona esset salvatrix, quae habet multa officia, quorum exercet quaedam immediate per humanam naturam, ut passionem, mortem, quaedam per divinam naturam, ut vivificationem.

Christus est sacerdos benedicens. Benedicere autem non est solius humanae naturae, sed personae, quia est et orare pro nobis, et offerre pro nobis suam obedientiam, et remittere peccata, et communicare sese nobis, iuvare et vivificare. Ac orat Filius pro Sanctis a principio mundi, ut in Psalmo dicitur: Postula a me et dabo tibi gentes haereditatem. Missus est ad Ecclesiam, proferens Evangelium et immediate colligens Ecclesiam. Ideo etiam, Filius proprie assumit humanam naturam, quia ipse immediate missus est ad Ecclesiam.

Et quanquam Vivificatio est opus totius divinitatis, tamen fit hoc ordine, Patre mittente Filium, et Filio dicente consolationem, et Spiritu sancto accendente novos motus. Quod vero obiicitur, actiones ad extra communes esse tribus personis: Recte respondetur: Servata cuiusque personae proprietate, vel servato ordine personarum. Unde et regula Augustini tradita est: Agit Filius non a se, sed per se.

ALTERUM ARGUMENTUM.

Pater maior me est:
Ergo Filius non est natura Deus.

Usitata responsio est: Patrem maiorem esse Christo secundum naturam humanam, Ego concinniorem responsionem esse iudico: Discernere divinitatem mittentem a persona missa ad ministerium et ad humiliationem. Pater maior me est, non quod ad essentiam attinet, sed quod ad hoc officium attinet, in quo ego sum persona missa, passura sine gloria, sed Pater mittens glorificabit me. Ita Pater maior est, mittens scilicet et glorificans. Loquitur enim ibi Dominus non de essentia, sed de ministerio suo.

ALIUD ARGUMENTUM.

Honorans est minor honorato,
Filius honorat Patrem,
Ergo Filius minor est Patre.

Respondeo. Simpliciter nego maiorem quia honos et obedientia non tollunt aequalitatem essentiae et potentiae, sed distinguunt ordinem personarum. Ac verum est, quod Filius in tota aeternitate magis honorat Patrem, quam ulla creatura, quia perfectissime novit Patrem, sicut inquit: Nemo novit Patrem, nisi Filius, et cui Filius volet revelare.

Ex his dictis declaretur sententia Pauli ad Philippenses: Sic sitis affecti, sicut et Christus Iesus affectus erat, qui cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse aequalem Deo, sed se ipsum exinanivit, formam servi accipiens, et gestu inventus est ut homo. Vetustas formam interpretatur essentiam et potentiam divinam, quasi dicat qui cum esset natura Deus et potens, et posset vivificare naturam humanam, non rapinam arbitratus est esse aequalem Deo, id est, non rapuit aequalitatem Dei, id est, non exeruit potentiam divinam extra vocationem, sed ad tempus quievit, et voluit hanc humilitatem, qua haec persona Patri obediret.

Ac sciendum est usitatam φράσιν esse, quae et apud Thucydidem extat, ἡγεῖσθαι ἁρπαγὴν, id est, ducere rapinam, pro rapere. Utrique dimicarunt de hoc dicto pii et Ariani: Sed retineamus simplicem interpretationem. Prior pars testatur Filium esse natura Deum et potentem, cum ait, in forma Dei. Secunda pars de certo tempore humiliationis loquitur: Non rapuit aequalitatem Dei, id est, non est usus sua potentia extra vocationem, deinde formam servi nominat et naturam humanam et proprietates naturae humanae, passibilitatem, laetitiam, dolores, mortalitatem sine peccato.

Tenenda est etiam regula, quod λόγος assumserit humanam naturam integram et incorruptam habentem omnes vires et appetitiones naturae proprias et ordinatas: Item non vitiosam, sed tamen passibilem sine peccato et mortalem. Et has infirmitates assumsit volens propter nos, ut fieret victima. Sic Ebr. 4. dicitur: Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, sed tentatum per omnia secundum similitudinem sine peccato. Etsi igitur Christus videbat Patrem et beatus erat, tamen ut vere esuriit secundum humanam naturam, ita vere sine simulatione sensit dolores in lacerationibus et morte, scilicet quiescente verbo, sicut inquit: Tristis est anima mea usque ad mortem. Assumsit naturam humanam cum illis proprietatibus et affectibus sine peccato.

Ideo ad Philippenses dicitur: Gestu inventus est ut homo, ubi intelligas proprietates humanae naturae non simulatas, appetitiones, affectus, laetitiam et dolorem, iram et zelum, mortalitatem etc.

Aliud argumentum.

1. Corinth. 15. Tradet regnum Deo patri: Tunc et ipse Filius subiicietur Patri, qui subiecit ei omnia. Ex hoc dicto ratiocinabantur Ariani, Filium esse inaequalem Patri. Cyrillus breviter respondet: subiectio seu obedientia non tollit aequalitatem essentiae et potentiae, sed ostendit ordinem personarum. Nec displicet mihi haec brevis responsio, sed adiungo magis propriam.

Filius considerandus est dupliciter, quo ad officia ut persona missa, vel quo ad essentiam divinam, Nam ut persona missa, et assumens naturam humanam, colligens Ecclesiam et regnum ministerio Evangelii, et ut rex et caput Ecclesiae, subiicit se aeterno Patri, et tradet regnum Deo et Patri, id est, adducet Ecclesiam in conspectum Patris.

Etsi enim idem est regnum aeternum Christi, sicut dicitur: Regni eius non erit finis: tamen modus differt in hac vita et post hanc vitam. Modus in hac vita est proprie hanc personam Christi missam esse ad colligendam Ecclesiam ministerio Evangelii. In hac missione divinitas est efficax in ministerio immediate per Filium, qui est caput omnia in omnibus perficiens, intercedens pro Ecclesia, servans Ecclesiam et ministerium, sicut scriptum est: Sedet ad dexteram Patris dans dona hominibus. Item, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.

Alter modus regni est in vita aeterna, in qua non erit regnum per ministerium Evangelii, sed Deus immediate erit omnia in omnibus beatis, immediate communicabit se eis, et suam sapientiam, iustitiam et laetitiam, et agnoscent eum beati a facie ad faciem, ut 1. Corinth. 4. dicitur. Cum haec persona, quae est Christus, sit rex Ecclesiae, Deus et homo, in quantum rex, erit sub Patre seu mittente divinitate, quia hoc agnosci oportet, quod hoc regnum sit a divinitate, quod per Filium rursus ad Deum tanquam ad caput adiuncti simus, sicut ad Ephesios dicitur: Deo placuit cuncta redigere in unûm caput. Ita de officio dicitur, in quantum rex ostendet suam subiectionem et copulationem cum Patre, et tradet regnum, id est, adducet Ecclesiam ad caput, ut ita divinitas immediate regnet, non in ministerio.

Multa sunt et alia dicta, quae dextre explicantur hac distinctione, quod loquantur, non de essentia, sed de officio, ut Matth. 20. Sedere ad dexteram meam et sinistram, non est meum dare vobis, scilicet in hoc officio, quo nunc fungor, missus ad hanc obedientiam in docendo et in patiendo. Alibi vero dicit: Omnia mihi tradita sunt a Patre. Item, Omnia mea tua sunt, et tua omnia mea sunt. Utamur hanc distinctione et in hoc dicto Marci 13. De die illo vel hora nemo scit, neque angeli in coelo, neque Filius, nisi Pater. Non Filius, scilicet, quatenus ad hoc officium docendi Evangelii in hac vita missus est. Ad id officium pertinet asseverare, quod sit futurum iudicium resuscitatis mortuis, sed diem et horam praedicere, ad hoc officium non pertinet.

Magna fuit contentio de hoc dicto: Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum esse Christum. Hoc explicant alii Grammatice hoc modo, ut faciant copulativam in subiecto: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te, et Christum Iesum esse solum verum Deum. Ego sic respondeo, distingui officia. In priore parte divinitatem intelligit divinitatem mittentem, ubi tres personae intelligendae sunt. Secunda pars discernit officium personae missae, quae est Deus et homo, a divinitate mittente. Vult enim hoc dicere, In Ecclesia has duas doctrinas necessarias esse, scilicet doctrinam, quis sit verus Deus, Et doctrinam, quis sit Messias, et quae sint eius beneficia, et quomodo accipienda sint.

Primum affirmat hunc verum Deum esse, qui misit hunc Messiam. Hic intelligitur divinitas mittens Filium, et intelliguntur tres personae. Deinde discernit personam missam, patientem, resurgentem, quae est mediatrix, a divinitate mittente. Has duas doctrinas teneri et coniungi necesse est, et utraque opponenda est Ethnicis et aliis, qui aberrant a vero Deo, sunt blasphemi adversus Christum. Illi inquit non norunt verum Deum, quia negant hunc esse Deum, qui misit Filium, negant hanc personam passam et resuscitatam esse Christum, ut haec omnia Mahometistae negant.

Nos autem in invocatione alloquamur hunc verum Deum, qui se patefecit, missa hac persona, crucifixa et resuscitata, et hunc Christum intueamur, sicut ipse inquit: Qui me videt, videt et Patrem, id est, omnes aberrant a Deo, qui non sic eum agnoscunt, hunc esse verum Deum, qui misit hanc personam passam et resuscitatam.

Quare dictum illud in Iohanne: Haec est vita aeterna etc. intelligatur discernere mittentem divini-

tatem et personam missam, inde non sequitur, in persona missa non esse duas naturas. Hac igitur Grammatica Syntaxi utor: Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum esse, te scilicet mittentem, et hunc Iesum, quem misisti esse Messiam, Mediatorem, Redemtorem, et Salvatorem, colligentem Ecclesiam.

DE APPELLATIONIBUS FILII DEI.

Apud Nazianzenum in fine secundae orationis de filio Dei extat brevis declaratio appellationum. Filius unigenitus dicitur, ut discernantur a Christo filii adoptionis. Unicus autem est Filius unigenitus, qui est de essentia Patris, Deus de Deo, Lumen de Lumine. Sed homines renati nominantur filii adoptionis, quia propter unigenitum diliguntur, qui factus est frater noster assumta humana natura, ut nos vicissim efficeremur fratres ipsius, videlicet participes divinae naturae. Et tamen alia est essentia creata hominis, et alia est divinitatis essentia, quae separabiliter est in renatis, qui sunt templa Dei.

Dicitur et *ΛΟΓΟΣ* aeterni Patris. Hoc declarat vetustas, sic, ut tantum respectu Patris multi intelligant eum dici *λόγον*, videlicet ita, sicut in hominibus verbum cogitatione formatur, quod est imago rei cogitatae, ut cum homo cogitat amicum, illa cogitatione mox format imaginem eius: Sic aiunt Patrem, qui sese perfecte intelligit, gignere imaginem suam seu eloqui verbum, quod est ipsius integra et substantialis imago. Differunt enim imagines in creaturis ab hac imagine in divinitate, quia imagines in creaturis sunt umbrae evanescentes: Sed Filius aeterni Patris est imago subsistens, viva et integra, et manens *ὁμοούσιος* Patri, de essentia Patris.

Haec declaratio recte sumitur ex vocabulo imaginis. Sed adiungo dici *λόγον* respectu nostri, quia est persona, quam aeternus Pater immediate mittit ad Ecclesiam, quae profert Evangelium ex sinu aeterni Patris, et nos alloquitur, servat ministerium Evangelii, colligit Ecclesiam, et immediate est in ea efficax voce Evangelii ostendens Patrem. Ideo et haec eadem persona, quia missa est ad Ecclesiam, assumit humanam naturam. Ad hanc interpretationem *περὶ τοῦ λόγου* congruit dictum: Filius qui est in sinu Patris ipse enarravit nobis. Item, Ego sum qui ab initio vobiscum loquor. Et 1. Iohan. 1. dicitur: Quod vidimus, quod manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae. Ibi nominatur Filius Verbum vitae, quia missus est, ut nos vivificet.

SEQUITUR VOCABULUM IMAGO.

Vocabulum IMAGO extat in Epistola ad Ebraeos, ubi dicitur: Filius, per quem secula fecit, est splendor lucis et imago substantiae aeterni Patris. Hic locus et de divina natura in Christo est testimonium, quia expresse dicitur, mundum per hunc Filium conditum esse, et per eum conservari. Non est autem conditus mundus per humanam naturam, fuit igitur natura conditrix et conservatrix mundi, quae postea est in Christo nato ex virgine, et hanc nominat splendorem gloriae, id est, lucis paternae, sicut Symbolum inquit: Lumen de Lumine. Ac significantius hoc Graece dicitur *ἀπαύγασμα*, id est, fulgor a Luce, et est imago substantiae, quia, ut mens in homine format imagines cogitatione, sic Pater sese intuens, cum sese perfecte intelligat, gignit imaginem suam, quae quidem est imago non evanescens, sed subsistens, quae est *ὁμοούσιος* Patri.

Declarari autem imago et per illa potest, quod Filius sit fulgor ostendens Patrem, id est, persona loquens, seu verbum ostendens, quae sit Patris sapientia, iustitia, libertas, ira adversus peccatum, et misericordia erga credentes promissioni, et haec persona loquens, seu hoc verbum, in quo fulget sapientia et iustitia similis Patri, splendet in tota natura assumta. Ita Filius Deus et homo nominatur imago aeterni Patris ad Colossenses et Philippenses, ubi dicitur: Qui cum esset in forma Dei, formam servi accepit, id est, cum esset potens, sapiens, iustus, fortis, sicut Pater, tamen non exeruit suam potentiam etc. Et 2. Corinth. 3. dicitur: Nos retecta facie gloriam Dei intuentes, id est, Verbum lucens in nobis, in quo in conversione cernimus Deum et praesentiam eius, cernimus iram adversus peccatum, quam ratio non sic cernit: cernimus et misericordiam Dei praesentis revelatam in Evangelio, ac cernentes verbum lucens in nobis, transformamur ad imaginem illam, id est, efficimur similes verbo lucenti in nobis, a gloria in gloriam, id est, luce Filii ad agnitionem aeterni Patris, et haec fiunt Spiritu sancto simul mutante corda, et novas flammas in cordibus accendente.

Addamus et dictum Pauli 1. Corinth. 1. In Christo, qui factus est nobis sapientia a Deo, Iustitia et Sanctificatio et Redemtio. Intelligo personam Christi Deum et hominem, et tamen effectus

alii sunt immediate naturae divinae, alii sunt totius personae Dei et hominis immediate.

Christus est nobis sapientia, et quia λόγος initio protulit Evangelium ex sinu aeterni Patris, et quia ipse in mentibus lucem accendit voce Evangelii, sicut inquit: Ego sum vitis, vos palmites, et quia haec persona Christus Deus et homo visibiliter docet Evangelium, et de eo edit testimonia, nec Deus vere agnoscitur nisi per Evangelium.

IUSTITIA. Prius nominat iustitiam, postea sanctificationem. Intelligatur ergo primum iustitia Christi, ipsius obedientia, qua nos vestit et tegit. CHRISTUS est nobis iustitia, id est, ipsius obedientia est illa res, propter quam habemus reconciliationem et acceptationem in hac vita.

Simul autem est efficax, et erit consummata in nobis iustitia in vita aeterna, quando erimus ei similes, id est, sic ab eo transformati, ut sit in nobis lux, quae est vera agnitio Dei, congruens cum notitia in Filio Dei. Hunc effectum nominat sanctificationem. Simplicissime enim significat sanctum, ipsum Deum, et res, quibus se Deus communicat, vel dedicatas usibus Dei, ut homo conversus ad Deum vere templum Dei sanctum dicitur, quia in eo Deus habitat, ut in Iesaia et Iohanne dicitur. Templum saxeum et vasa dicuntur sancta procul ducta μεταφορὰ, quia sunt dedicata usibus Dei.

Redemtio. Quia haec persona Christus Deus et homo est pretium pro nobis, Nam Redemtor significat non idem simpliciter quod liberator, sed significat persolventem pretium seu λύτρα. Inde enim componitur vocabulum Graecum, quo Paulus usus est. Iam cogita, quam dulcis sententia sit illud Pauli dictum, et quam suaves consolationes nobis proponat, ideo attexit, qui gloriatur, in Domino glorietur. Cum expavescunt corda mole et magnitudine peccatorum, Cogita Dominum Iesum Christum tuam iustitiam esse, id est, offerre suam obedientiam pro te, qua places credens in Christum, etiamsi es sordida massa, similis abortivo, et idem vult esse efficax in te, etiamsi sumus valde imbecilles.

Gloriamur ergo, id est, iudicamus nos habere bona seu gloriam, scilicet non bona naturae nostrae: sed obedientiam Filii Dei, quae est redemtio nostra, et pretium pro nobis, et est iustitia, propter quam nos accepti sumus fide, qua et ipse Christus vivificat corda, et dat nobis de suo Spiritu, ut inquit Iohannes.

Nominat etiam Paulus in eodem capite ad Corinthios, Christum Dei potentiam, quod ibi certum est dici de potentia salvationis. Hoc ideo moneri necesse est, ut refutentur blasphemiae Thammeri, qui confusionem facit Ethnicorum et Ecclesiae, nec discernit Evangelium a notitia naturali, Et hoc modo diversa loca Pauli consideremus.

Rom. 1. Potentia Dei fuit nota Ethnicis ex operibus creationis. 1. Corinth. 1. Christus est potentia Dei, Ergo Christus fuit notus Ethnicis et rationi. Respondendum est. Nego consequentiam, et ratio est, quia sunt quatuor termini. Ad Romanos dicitur de potentia creationis, quam rationi aliquo modo notam esse fatendum est, quia ratio habet demonstrationes, quod hoc pulcherrimum mundi opificium non casu confluxerit ex Democriti Atomis, sed quod sit creatrix et conservatrix mundi, Mens immensae sapientiae et potentiae, verax, casta, iudex etc. Et sunt causae maximae, quare Deus etiam post lapsum velit hanc notitiam de Deo et de Lege in natura humana reliquam esse, scilicet ut ostendat et arguat peccatum, et regat disciplinam.

Quanquam autem aliquam generalem cognitionem ratio habet de una essentia creante, et definitionem Platonicam probat: Deus est mens aeterna causa boni in natura: tamen non novit distinctionem et ordinem personarum.

Deinde in Minore ad Corinthios, Potentia significat potentiam salvationis, et in hac notitia comprehenditur distinctio Patris et Mediatoris, qui est Filius Dei λόγος ad Ecclesiam missus, qui assumsit humanam naturam, ut sit propitiator, et immediate sit efficax in collectione Ecclesiae, iuxta dictum: Ego vitam aeternam do eis. Item, Ego sum vitis, vos palmites.

Hanc dulcissimam sententiam de potentia salvationis saepe consideremus, ut nos in tanta infirmitate consolemur, sciamus Filium Dei et propitiatorem esse et potentem esse, et nos sustentaturum esse, quanquam valde infirmi sumus, iuxta dictum: Virtus mea in infirmitate tua perspicitur.

Aliud Argumentum.

Ebrae. 3. Considerate Apostolum et summum Sacerdotem pacti nostri Christum Iesum, qui est fidelis ei, qui fecit eum. In hoc loco verbum *fecit* detorserunt Ariani ad suam causam, ratiocinantes inde, quod λόγος sit creatura, id est, ex nihilo factus. Sed brevissima et firmissima responsio est:

Loquitur textus non de essentia, sed de officio. Nominibus autem officii recte additur verbum *fecit*, quod significat, libera voluntate ordinavit seu constituit: Sicut verbo constituendi utitur Psalmus 2. Ego autem constitui te Regem meum, seu ordinavi certo ritu. Quare et Petrus in Actis sic loquitur: Sciat omnis domus Israël, quod Dominum et Christum eum fecit Deus, ubi et nomen Christus officii appellatio est.

Ac diligenter considerandi sunt modi loquendi, ubi de essentia dicatur, ubi de officio, ubi propositiones verae sint communicatione Idiomatum, quae receptae sint, quae non sint receptae.

Usitatae et receptae sunt hae propositiones in Ecclesia, *ὁ λόγος* est Deus, *ὁ λόγος* est homo. Christus est Deus, Christus est homo. Haec reiecta est et prorsus falsa, *ὁ λόγος* est creatura, quia creatura intelligitur res facta ex nihilo. Et propositio reiecta est: Christus est creatura propter insidias. Quia Ariani eam sic interpretabantur, ut dicerent *τὸν λόγον* etiam nondum humana natura assumta creaturam esse, id est, seu vocem creatam missam ad Ecclesiam, seu personam creatam ex nihilo, missam ad Ecclesiam. Quanquam enim Ariani videri voluerunt aliud sentire, quam Samosatenus sensit, tamen existimo eos idem voluisse, sed praestigiis verborum offudisse populo caliginem.

Posteriores addiderunt veterum disputationibus novas et spinosas cavillationes, quas prorsus omitti propter ambiguitatem satius est, cum res exponi aliis verbis perspicue possit.

Haec propositio a commentariis Longobardi reiecta est. Christus, in quantum homo, creatura est. Alia vero, quae non multo aliter sonat, a nonnullis recepta est, Christus secundum humanam naturam creatura est. Haec exilitas disputationum fugienda est, praesertim cum res aliter perspicue dici possint, videlicet in Christo nato ex virgine sunt duae naturae, *λόγος* et natura humana assumta. *ΛΟΓΟΣ* est persona *ὁμοούσιος* Patri et coaeterna Patri, non creata, sed genita de essentia Patris. Sed natura humana est creatura.

Item: Sicut non recepta est propositio, Christus est creatura: Sic non recipiendae sunt hae propositiones, Christus incipit esse. Item, Christus factus est. Sunt autem receptae hae propositiones, *λόγος* incipit esse homo. Item, *λόγος* factus est homo, *λόγος* factus est Christus, et tamen hae propositiones Graece mollius efferuntur quam atine: Nequaquam enim diceretur, *ὁ λόγος ἐποιήθη ἄνθρωπος*, Sed Iohannes mollius dicit, *ὁ λόγος σαρ ἐγένετο*. Videndum est etiam, quae vocabula significent naturam, quae personam, ut recte dicitur, *λόγος* assumsit humanam naturam, non dicitur usitate, *λόγος* assumsit hominem (etsi hac phrasi utitur vetus cantilena: suscepturus hominem) nam homo est nomen integrae personae: sed naturam humanam.

Cum dicimus, *λόγος* assumsit humanam naturam, significat naturam, quae sustentatur in divina, sic ut sit una persona *λόγος*, et natura humana. Reiecta est et illa propositio: Christus est compositus seu compositum ex natura humana et divina. Haec admonitio de phrasibus pertinet ad hoc, non ut infinitas cavillationes seramus, sicut quaesiverunt in hac materia multi otiosas propositiones, et aliquas recensere *δύςφημον* est, sed verecunde utamur receptis propositionibus et vitemus reiectas, quia docti in Ecclesia veteri plerumque eruditis causis moti sunt, quare alias phrases reiecerint, alias receperint.

Interdum peperit certamina et linguarum inscitia, ut de praedestinatione, Christus est praedestinatus esse Filius Dei. Rom 1. Hic in Paulo non dicitur de aeterna electione in Deo, sed de agnitione seu manifestatione apud homines, de hac tota persona Christi Deo et homine, quod videlicet certo cognitum sit, hunc Christum esse Filium Dei, quia resurrexit ex mortuis, et alios resuscitavit. Non loquitur Paulus de electione in Deo, sed de testimonio, quo nos convincimur, ut vere statuamus in hoc Filio, non tantum esse naturam humanam, sed etiam divinam omnipotentem. Disputant autem de illa propositione scriptores in lib. 3. Longobardi distincti. 10. et quaerunt interpretationes, ne ab usitata versione recedant. Nos omissis illis labyrinthis, retineamus nativam Pauli sententiam.

Ut autem saepe monui supra, diligenter discernenda esse dicta, quae loquuntur de essentia a dictis de officiis: Ita consideranda est natura vocabulorum. Ex hoc dicto ad Hebraeos: Deus fecit Christum sacerdotem summum, Ariani hoc extruebant, Filium esse creaturam, quia in hoc dicto usus est verbo *fecit*. Respondeo. Tunc usurpatur verbum *fecit*, quando adiicitur mentio officii. Significat enim: libera voluntate ordinavit seu constituit eum. Illustre exemplum est in icto: Eum, qui non novit peccatum, Deus fecit ro nobis peccatum, ut nos fieremus iustitia Dei in ipso. Hic manifestum est, verbum *ἐποίησε* nequaquam de essentia loqui, sed de officio, fecit eum peccatum, id est, ordinavit seu constituit ostiam pro peccato, in quam effunderetur ir a aversus nostra peccata. Simul autem pondera verborum considerentur. Tri-

stissima appellatio est peccati, quod significat quiddam reum coram Deo, et sustinens horrendam iram Dei: Sic et Esaias loquitur: Ponet animam suam peccatum, id est, hostiam pro peccato, in quam scilicet effunditur ira Dei. Sic et Ethnici nominarunt piacula, anathemata, καθάρματα, quasi dicat: tales hostias, quae si non tollantur, ira Dei adversus totas gentes irritetur.

Contra vero laetissima omnium appellationum est Iustitia Dei, id est, quiddam placens Deo et conforme cum eo. Iam quod est tristissimum, ut sensus inferorum, transfertur in Christum, sed ita, ut pro nobis sustineat: Contra vero hoc, quod est laetissimum et gloriosum, transfertur in nos, scilicet ut fiamus iustitia Dei, videlicet in hac vita imputatione et inchoatione: post resurrectionem erit integra novitas et conformitas cum Deo. Addit autem, in ipso, id est, propter Filium et per eum sumus iustitia Dei, hoc est, iusti coram Deo, placentes in hac vita non propter nostram dignitatem, sed propter Mediatorem. Hanc dulcissimam consolationem in tanta infirmitate huius vitae saepe cogitemus, ut beneficia Filii Dei intelligantur, et confirmentur Fides et Invocatio. Et adiungantur similia dicta, Rom. 5. Iustificati fide pacem habemus. Item, Per hunc habemus accessum in gratiam hanc, in qua stamus. Item ad Ephesios, Per hunc audemus accedere confidenter per fidem in Iesum Christum.

DE SPIRITU SANCTO.

Necessaria est admonitio de vocabulo Spiritus, quod in genere quidem significat agitationem seu flatum seu naturam, seu vim agitantem, sed non tantum Deo tribuitur. Saepe enim de creata agitatione usurpatur. Interdum significat ventos; interdum hominis vitam; saepe motus seu impetus hominum creatos, tum bonos tum malos, ut: Terribili et potenti, qui aufert Spiritum principum. Haec discrimina consideranda sunt, ne misceantur dicta de creata agitatione testimoniis de Spiritu increato. Cum in Iohanne dicitur, Deus est Spiritus, ibi Spiritus significat essentiam spiritualem, id est, vivam, intelligentem, efficacem, sine mole corporali. Estque in eo loco nomen commune patri et aliis personis.

Quoties autem de distinctione personarum divinitatis dicitur, discrimina ex appellationibus sumantur. Filius nominatur λόγος, quia est persona ab initio missa ad Ecclesiam, ut promissionem gratiae ex sinu aeterni Patris proferat. Hic alloquitur Ecclesiam perpetuo, servat ministerium Evangelii, et ostendit Patrem voce doctrinae, ut fulgeat in credentibus notitia praesentiae Dei, et dilectionis erga nos et misericordiae, Sicut de hoc proprio officio loquitur Filius: Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui volet Filius revelare. Cumque per vocem Evangelii Filius docet mentes, et lucet ipse in mentibus, sicut Iohannis 1. dicitur: Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem, veniens in hunc mundum: simul Pater et Filius spirant Spiritum sanctum, qui corda movet, ut luce Filii seu verbo laetentur et assentiantur, confirmentur, vivificentur, invocent Deum, diligant eum, et se subiiciant ei, denique ut motus tales accendantur, qualis est ipse, Qui qualis sit docent multa dicta, Zach. 12. Effundam super domum David Spiritum gratiae et precum. Nominatur Spiritus gratiae, qui efficit laetitiam in corde, quae testatur nos esse in gratia, de quo effectu dicitur 2. Cor. 1. Dedit nobis Arrhabonem Spiritus in cordibus nostris. Et Ephe. 1. Audientes sermonem veritatis Evangelium salutis vestrae, et credentes ei obsignati estis Spiritu promissionis sancto, qui est Arrhabo haereditatis nostrae, ubi dulcissime coniungit Paulus ministerium Evangelii et donationem Spiritus sancti. Deinde nominatur spiritus precum, id est, incitans corda ad invocationem, et nomine invocationis comprehenduntur omnes motus, qui copulati sunt, fiducia accedens ad Deum et dilectio Dei et caeteri copulati motus, subiectio, qua mens se subiicit Deo.

Paulus ad Rom. laetitiam et invocationem complectitur his verbis: Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater. Similis descriptio est 2. Tim. 1. Non dedit vobis spiritum timiditatis, sed roboris, id est, confirmantem corda contra dubitationes, contra metum in periculis, ut Laurentium in supplicio confirmat Spiritus sanctus, et efficit eum fortem, seu est fortitudo ipsius. Deinde nominatur ibi spiritus dilectionis, scilicet Dei et propter Deum proximi, quia accendit in corde dilectionem, ut in corde Ionathae ardet dilectio Dei et Davidis accensa a Spiritu sancto. Tenet Ionathas verbum Dei: Nemo appetat regnum sine vocatione. Item, Non occidas, Item, Invocandus est Deus fiducia Mediatoris, ut sit conscientia illaesa, cum his notitiis adest Spiritus sanctus, confirmans cor, ut constanter Deo obediat iuxta has notitias: Non igitur occidit Davidem, sed diligit eum.

Tertio nominatur Spiritus castificationis, quia, sicut ipse Spiritus sanctus est amans castitatis, ita efficit motus ordinatos et extinguit incendia libidinum, ut in Ioseph. Ita Paulus trium virtutum, fortitudinis, dilectionis et castitatis appellatione complexus est totius Decalogi doctrinam.

Quod autem Spiritus sanctus sit ὑφιστάμενος, seu ut Latini loquuntur persona et non sit motus creatus seu accidens in creatura rationali, seu ipse pater creans motum, haec testimonia ostendunt: Primum patefactio in Baptismo Christi, ubi clare discernuntur tres personae. Pater inquit: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Est igitur alia persona pater, alia Filius etc. descendit autem Spiritus sanctus in specie columbae. Iam si Spiritus sanctus esset creata in cordibus agitatio, non appareret peculiari specie corporali, quia accidentia non sunt extra sua subiecta, aut si esset ipse Pater, non discerneret Spiritum sanctum. Inquit autem: Super quem videris Spiritum sanctum.

Hanc patefactionem prodest in quotidiana Invocatione mente intueri, ut discernamus nostram Invocationem ab Ethnica, Cogitemus, quem Deum alloquamur et ubi patefactum. Ideo enim hae patefactiones factae sunt, ut nos doceant et confirment, et ut cogitatione aspiciantur: Sic et in Pentecoste apparet Spiritus sanctus peculiari specie corporali, quod non fieret, si esset creata agitatio in cordibus.

Ad haec testimonia adiungatur dictum de Baptismo: Ego baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, id est, Ego hac externa mersione testificor, nomine, id est, mandato Dei, te recipi a vero Deo, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi, et recipit te propter Filium, et sanctificat te Spiritu suo sancto. Et tu vicissim agnoscas hunc esse verum Deum, discernendum a commenticiis numinibus, et invoces Patrem, Filium et Spiritum sanctum. In nomine, id est, mandato vel invocatione: Vel in nomen, id est, ad agnitionem et invocationem. Cum autem directe invocatio fiat ad SPIRITUM sanctum sicut ad Patrem et Filium, necesse est eum personam esse, non creatam in homine motionem. Non enim invocanda est creata motio. Verba Baptismi comprehendunt summam doctrinae, quae est propria Ecclesiae, et mersio significat mersionem in sanguinem et mortem Christi, qua abluimur a peccato, et rursus vivificamur. Basilius urget verba Baptismi contra πνευματομαχούς. Citat etiam dictum Eusebii Palaestini, quod eo sit familiariter notum, quia est commonefactio de modo Invocationis: Sanctum Deum lucis conditorem per Salvatorem nostrum Iesum cum Spiritu sancto invocandum. Iohan. 14. Rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis. Cum ait alium, discernit a Patre et Filio hunc Paracletum. Non igitur significat Spiritus ipsum Patrem agitantem: Non enim esset alius. Nec significat agitationem creatam: Non enim mitteretur a Filio, si esset Pater agitans aut tantum agitatio creata a Patre. Ac Christus inquit Iohan. 15. Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritus veritatis, qui a Patre procedit. A se inquit mitti Spiritum sanctum: Non est igitur aut Pater agitans, aut tantum agitatio creata a Patre.

Significant et hae proprietates ὑφιστάμενον. Alius παράκλητος, qui docebit vos, quae audiet loquetur. Si Spiritus significaret agitationem creatam, esset doctrina, non Doctor a Patre et Filio audiens et accipiens.

Docent Filius et Spiritus sanctus, sed in hoc ipso dicto discrimen ostenditur: Quae audiet loquetur. Filii proprietas est proferre Evangelium ex sinu aeterni Patris, et cum voce externa notitiam accendere in mentibus, sicut inquit: Cui volet Filius revelare. Simul autem per Filium datur Spiritus sanctus, qui est flamma seu agitator movens cor, ut assentiatur et confirmans ac laetificans.

Loquitur ergo quae a Filio audit, non discedit a verbo per Filium prolato, sed ad hoc ipsum verbum traditum trahit corda et confirmat assensum, et dat firmitatem in docendo, in confessione, in consiliis, in omnibus bonis actionibus. Docet ergo, quia ad assensum trahit cor, et in assensu et affectu doctrina intelligitur.

Et nota sunt dicta Athanasii et Cyrilli, Ubicunque dicitur in homine esse Spiritus sanctus, ibi est per Filium: Sicut ipse Filius inquit: quem ego mittam, et Actorum 2. dicitur: promissionem Spiritus sancti accipiens a Patre effundet etc.

2. Cor. 12. clare discernit Spiritum sanctum a donis creatis, autorem ab effectibus: Omnia haec efficit unus et idem Spiritus.

Quod autem Spiritus sanctus fuerit, antequam Filius assumsit humanam naturam, perspicue testatur Petrus, cum inquit de Prophetis: Spiritus Christi in eis praedicens Christum passurum esse.

Hic diserte nominatur Spiritus Christi, qui fuit in Prophetis. Ergo et est λόγος ante assumtionem humanae naturae, et eodem Spiritu sanctificati sunt Patres, Prophetae, Apostoli et omnes electi omnibus temporibus.

Huc et dulcissima promissio Esaiae 59. pertinet. Hoc foedus meum cum eis dicit Dominus, Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, dicit Dominus, deinceps et in sempiternum. Eundem Spiritum ait esse in Iesaia, et in tota Ecclesia ad omnem aeternitatem. Non igi-

tur tantum post resurrectionem Christi effusus est in pectora sanctorum Spiritus sanctus, sed semper Spiritu sancto omnes electi sanctificati sunt. Et quidem dictum Esaiae dulcissimam doctrinam et consolationem continet. Affirmat semper mansuram esse Ecclesiam Dei, et ibi mansuram esse, ubi sonat vox Evangelii incorrupta et cum ea voce efficacem esse Spiritum sanctum.

Haec tota doctrina de Patre, Filio, et Spiritu sancto, quotidie in invocatione cogitanda est, et discernenda Invocatio vera ab Ethnica et Mahometica, cogitandum quem Deum et quomodo patefactum alloquamur, sicut saepe dicimus Invocationem veram discernendam esse ab Ethnica, Mahometica, Papistica, cogitatione essentiae et voluntatis Dei.

Mahometistae etiamsi cogitant unum esse Deum creatorem, tamen non volunt hunc esse Deum, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, nec agnoscunt Patrem, Filium et Spiritum sanctum. Manifeste autem scriptum est: Qui non honorat Filium, non honorat Patrem. Item: Nemo venit ad Patrem nisi per Filium. Item: Qui non credit in Filium iam iudicatus est. Impossibile est igitur invocationem Ethnicam et Mahometicam Deo placere.

Deinde differunt Ethnici, Mahometistae et Papistae a vera Ecclesia, quia non norunt, An et quare exaudiat Deus. Talis invocatio in dubitatione inanis est, iuxta dictum: Quomodo invocabunt, si non credent. Item, Quicquid petieritis credentes accipietis. Item, Orate sine ira et sine haesitatione. Sed vera Ecclesia novit promissionem Evangelii, scit Filium Dei ideo missum esse, ut sit huius mirandi consilii nuntius testis et obsignator, quod Deus vere velit nos recipere, exaudire, iuvare, salvare invocantes fiducia Mediatoris, sicut inquit: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

Cumque fit invocatio mente intueamur personas, et cogitemus propria beneficia earum, sicut nobis patefactae sunt, et sciamus simul a Patre, Filio et Spiritu sancto dari bona, sed dari propter Mediatorem Filium, et per Filium dari vocem et agnitionem Evangelii, et ostendi praesentiam et voluntatem Patris, et sic per Filium dari Spiritum sanctum flectentem corda nostra, ut assentiantur Evangelio, et confirmantem assensionem et accendentem laetitiam in Deo, et dilectionem Dei, et alios motus tales, qualis ipse est. 2. Corinth. 3. dicitur: Transformamur in eandem imaginem (scilicet Filii) tanquam a Domini Spiritu. Item, Effundam super domum David Spiritum gratiae et precum.

Ut autem bonitas Dei immensa, magis agnoscatur et celebretur, collatio cogitanda est piorum et impiorum. Quam tetri furores sunt in historiis impiorum omnibus aetatibus Cain, Caligulae, Neronis, Philosophorum, Epicureorum et Cynicorum, item Haereticorum, ut Marcionis, Manichaeorum, et aliorum fanaticorum. Quanti furores nostro tempore in multis Anabaptistis conspecti sunt. In talibus omnibus tenet Diabolus captivas mentes et captiva corda, sicut de Iuda dictum est: Satanas intravit in eum.

Haec mala quanta sint in exemplis insignibus consideretur, ut cogitemus maximas causas esse, propter quas Deus immensa bonitate Filium misit, et donat Spiritum sanctum, ut scriptum est, 1. Iohan. 3. Ad hoc apparuit Filius Dei, ut destruat opera Diaboli, quae sententia prorsus congruit cum prima promissione: Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Destruit autem merito et efficacia. Filius meretur nobis remissionem peccatorum, restitutionem iustitiae et vitae aeternae, et omnia bona, quae continentur in remissione et deletione peccatorum.

Simul etiam immediate efficax est, proferendo Evangelium ex sinu aeterni Patris et conservando ministerium, in quo ipse docet mentes, et ostendit Patrem, et quae sit voluntas eius, et quod sit praesens, et per Filium datur Spiritus sanctus, quo immediate corda ad assensionem et ad invocationem flectuntur et laetificantur, reguntur et confirmantur, et protegit Filius Dei invocantes, et depellit Diabolos, sicut inquit: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Haec sciamus magna certamina esse in Ecclesia.

David eluctatur ex suis doloribus, non suo robore, sed quia Filius per vocem promissionis est efficax et eum vivificat, et dato Spiritu sancto laetificat et confirmat.

Agnoscamus igitur bonitatem et praesentiam Dei in Ecclesia, et gratias ei agamus, et sciamus velle eum, ut petamus haec ingentia beneficia, videlicet ut regamur et protegamur per Filium et Spiritum sanctum, sicut scriptum est: Petite et accipietis: Quanto magis Pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

Itaque expressa voce damnamus Pelagianos, et omnes, qui fingunt homines sine Spiritu sancto, propriis viribus posse facere legem Dei, et sese gubernare et protegere etc. Haec impia imaginatio est horribilis ingratitudo, cum Filius Dei sese nobis donaverit, Spiritus sanctus promissus sit,

nolle ipsum Deum nobis sese donantem agnoscere, nec eius beneficia petere velle. Adversus hanc ingratitudinem contumeliosam contra Deum, his dictis nos muniamus: Sine me nihil potestis facere. Item, Qui non habet Spiritum Christi, non est eius. Et veris gemitibus petamus beneficia Filii Dei et Spiritus sancti, ut petit Propheta: Cor mundum crea in me Deus, id est, Fide purificatum, recte sentiens de Deo, et Spiritum rectum, id est, firmum innova in visceribus meis, confirmantem me contra dubitationes vera luce, depellentem tenebras, et accendentem veram invocationem: et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me, id est, sanctificantem me, dantem motus congruentes cum omnibus praeceptis Dei. Redde mihi laetitiam salutarem, id est, liberes me ex doloribus mortis et inferorum, laetifica cor meum, ut in te acquiescat: Et Spiritu spontaneo confirma me, id est, in cruce obediente. In tali invocatione considerentur discrimina personarum, beneficia Filii propria, et illa quae sunt immediate Spiritus sancti.

Addo et hoc testimonium de discrimine personarum, quod est in Actis capite 2. Ubi Christus discernitur a Patre et a Spiritu sancto, cum dicit: Dextera Dei exaltatus accipiens promissum Spiritum a Patre. Alius igitur est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus. Nam si Spiritus sanctus esset ipsa persona Patris movens, non diceretur accipi a Patre et dari per Filium. Et nisi esset ὑφιστάμενος Spiritus sanctus, non acciperet eum Filius, sed tantum esset motio creata in cordibus.

Huius testimonii magna perspicuitas est, utilis ad confirmationem doctrinae de personis, et simul docet nos de beneficio, et de regno Filii Dei, quod ad hoc ipsum constitutus sit Rex Ecclesiae hic Filius Christus, ut vere per eum detur Spiritus sanctus, sicut alio loco dicit: Sedet ad dexteram Patris dans dona hominibus. Vult igitur sic coli petitione istorum beneficiorum, ut agnoscatur eius praesentia et potentia in sanctificatione et defensione omnium invocantium ipsum.

Recitatis testimoniis addantur et Symbola, et veterum dicta, inter quae praecipue nota sit confessio Gregorii Neocaesariensis, edita contra Samosatenum, quae officia personarum etiam crudite discernit. Unus Deus Pater verbi viventis, sapientiae subsistentis, et imaginis suae integer integrae genitor, Pater Filii unigeniti, Unus Dominus solus ex solo, imago Patris, Verbum efficax, Filius sempiternus ex sempiterno, Unus Spiritus sanctus ex Deo substantiam habens, qui per Filium apparuit sanctificans, per quem Deus super omnia et in omnibus cognoscitur. Spiritus sanctus incitat corda, ut verbo Dei assentiantur, agnoscant Deum et invocent eum, et accendit motus bonos, sic ut simul mentes intueantur Deum, ut castitas Ioseph differt a castitate Scipionis, quia in Ioseph non solum praelucet Fides accensa verbo Dei per Filium, sed etiam in ipsa castitate mens intuetur Deum, sentit se ab eo regi et confirmari, et ei obtemperat, et dirigit obedientiam ad gloriam veri Dei.

Recitavi doctrinam traditam in Symbolis Apostolico et Niceno, et in Symbolo Athanasii, et haec pie me amplecti affirmo. Damno autem contrarios errores omnes, qui cum sint multi, necesse est eos considerare, ut praemuniti Deum vere invocemus et celebremus, et nostram invocationem expresse ab Ethnicis et ab Haereticis seiungamus, quia omnis invocatio, quae a vero Deo aberrat, est cultus Idoli, iuxta dictum: Dominum Deum tuum, id est, tibi patefactum in verbo tradito per Patres et Prophetas, Filium et Apostolos adorabis, et ei soli servies. Item, non habebis Deos alienos coram me. Item, Qui non honorat Filium, non honorat Patrem. Item, Nemo venit ad Patrem nisi per Filium. Item, Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Item 1. Iohan. 2. Qui negat Filium, nec Patrem habet. Item, Quomodo invocabunt, nisi credent.

Haec dicta omnia commonefaciunt nos, ut discamus, quomodo Invocatio ad verum Deum dirigenda sit, et seiungenda ab Ethnicorum et Haereticorum invocatione, de qua in Psalmo 16. dicitur: Multa sunt Idola eorum, post quae accelerant, Non libabo libationes eorum de sanguine, nec assumam nomina eorum super labia mea.

Hic clare damnat invocationem et sacrificia omnium hostium Evangelii. Legendae sunt igitur historiae certaminum in Ecclesia. Quidam nomine Valentinus innumerabilem turbam Deorum finxit, ludens Allegoriis, sicut poetae ludunt.

Marcion et deinde Manichaei posuerunt duo principia aeterna pugnantia inter se, bonum et malum, et nominarunt lucem et ὕλην. Ut enim causam mali ostenderent, finxerunt a luce oriri bonas naturas, et ab Hyle malas. Postea multa deliramenta Stoica addiderunt, finxerunt necessitatem omnium actionum, et homines ortos ab Hyle non posse converti ad Deum, et ortos a Luce non posse perire, quicquid facerent. Contra haec portenta simus armati testimoniis, quae affirmant unicam esse essentiam immensae potentiae, sapientiae et bonitatis, omnium creaturarum creatricem Angelorum et hominum, et mali causam esse voluntatem libe-

ram in Angelis labentibus, et hominibus, sicut expresse dictum est in Epistola Iudae, Angelos in lapsu non retinuisse initium suum, et reliquisse proprium domicilium.

Statim etiam tempore Apostolorum, Ebion Cerinthus et deinde Paulas Samosatenus, Photinus et multi alii contenderunt, In Domino nostro Iesu Christo nato ex virgine tantum esse humanam naturam. Haec blasphemia fons est Mahometicae impietatis, et nunc recens Servetus Hispanus et Conitza Lithuanus et Thammerus defendere illam blasphemiam coeperunt, et astute eludunt dicta Iohannis I. et alia dicta congruentia.

Teneamus autem illustria testimonia, quae affirmant *λόγον* esse *ὑφιστάμενον*, et esse Filium ante assumtionem humanae naturae, sicut inquit Dominus: Antequam Abraham natus est, ego sum. Item Paulus inquit, Affuisse Christum populo in deserto, et ad Coloss. Qui est ante omnia.

DE CREATIONE.

Voluit Deus immensa bonitate se patefacere, et se creaturis rationalibus communicare. Ideo et rationales creaturas et earum domicilium condidit, et ipsis rationalibus creaturis et domicilio impressit innumerabilia de sese testimonia, ut agnosceretur, quia in agnitione sese communicaturus erat. Insuper etiam addidit externum verbum, quo alloquens primos homines, testimonium singulare ostendit, quia hoc miraculo alloquentis Dei commonefacti, agnoscebant esse Deum et esse creatorem, et intelligebant ei obediendum esse, et audito verbo simul per Filium Pater erat in eis et laetificabat eos Spiritu suo sancto, sicut Iohan. 1. dicitur: In ipso vita erat, et vita erat lux hominum. Et sic erant iusti primi homines, Deo inhabitante in eis, cum quidem omnes potentiae suo ordine Deo obtemperarent sine peccato. Postea vero cum homines libera voluntate defecerunt a verbo, excusserunt Deum Rectorem, et coeperunt in mente esse tenebrae, in corde fuga et fremitus adversus Deum, et magna confusio appetitionum, cum desiisset regi a Deo. Rursus tamen Deus sese patefecit edita promissione et additis mox ingentibus miraculis, allocutione manifesta, promissione restituendae vitae, et inter terrores et sensum mortis nova vivificatione. Postea subinde nova miracula accesserunt, renovata et illustrata est doctrina, sacrificia de coelo accensa sunt. Henoch vivus in coelum translatus est, postea diluvium secutum est, et servata familia Noë. Deinde secuta est vocatio Abrahae, exitus ex Aegypto. Haec miracula omnia sunt testimonia de Deo, de tota eius doctrina, de Filio, de Creatione et Ecclesiae collectione.

Sic Deus opitulatur nostrae infirmitati, qua naturalis assensio post lapsum turbata est et est plena dubitationum, ideo revocat nos Deus ad agnitionem creationis expresso verbo suo et miraculis.

Primum igitur articulum de creatione ex verbo Dei discamus, Postea intueamur etiam vestigia Dei in natura, quae sunt utiles commonefactiones illis, qui doctrinam prius ex verbo didicerunt.

Est autem articulus de creatione Genes. 1. et alibi saepe expressus, quod videlicet Deus aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi una cum Filio coaeterno et Spiritu sancto condiderit ex nihilo coelum et terram, angelos et homines, et omnia reliqua corpora. Sic de Filio Iohan. 1. dicitur: Omnia per ipsum facta sunt. Et de Spiritu sancto creante dicitur: Verbo Domini coeli formati sunt, et Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Semper autem in cogitatione de creatione simul comprehendatur doctrina de assidua praesentia Dei et conservatione rerum.

Infirmitas humana etiamsi cogitat Deum esse conditorem: tamen postea imaginatur, ut faber discedit a nave extructa, et relinquit eam nautis, ita Deum discedere a suo opere, et relinquere creaturas tantum propriae gubernationi. Haec imaginatio magnam caliginem offundit animis, et parit dubitationes.

Alii Stoica imaginatione fingunt Deum alligatum esse causis secundis, nec quicquam aliter posse fieri, quam ut causae secundae cient. Alii Epicurea coecitate imaginantur omnia casu volvi et confundi. Uterque error magnos tumultus in hominum mentibus excitat. Quoties in periculis sumus, quae superant humana consilia, moventur homines cogitatione causarum naturalium, ut putent malum immedicabile esse, quia natura sic volvatur sine Deo. Adversus has dubitationes confirmandae sunt mentes cogitatione vera articuli de Creatione, ac statuendum est, non solum conditas esse res a Deo, sed etiam perpetuo conservari et sustentari a Deo rerum substantias, quotannis foecundat Deus terram, procreat fruges ex terra, impertit vitam viventibus. Haec rerum sustentatio seu conservatio usitata appellatione vocatur actio Dei generalis, quae tamen non ita alligat eum causis secundis, ut nihil faciat aliter, quam ut causae secundae cient. Sed Deus est liberrimum agens, servat sui operis ordinem, et tamen multa propter

homines mitigat, cedit natura rerum precibus Moisi, Heliae, Elisaei et omnium piorum, sicut Christus inquit: Matth. 21. Omnia quae petieritis credentes, accipietis. Si dicetis monti huic, iacta te in mare, fiet. Item, Iacta curas tuas in Deum, et ipse te enutriet. Adest Deus suae creaturae, sed non adest ut Stoicus Deus, sed ut agens liberrimum, sustentans suam creaturam, et sua immensa misericordia moderans, dans bona, aliquando impediens causas secundas, aliquando maiorem efficaciam praebens.

Ac maxime illustre testimonium est de Deo, quod sit agens liberrimum, et multa sine causis secundis agat, quod post lapsum Adae servat Adam desertum ab omnibus creaturis, et de sua Lege dispensat. Multo plus est autem de Lege dispensare, quam de ordine naturae.

Sint in conspectu testimonia et de Creatione Genes. 1. et alibi, et de assidua praesentia Dei in conservatione naturae, Deut. 30. Ipse est vita tua, et longitudo dierum tuorum. Act. 17. In ipso vivimus, movemur et sumus, id est, per ipsum datur et fovetur vita nostra, et naturae vires ac motus. 1. Paral. 18. Omnia corda scrutatur Dominus, et omnes omnium cogitationes videt. Iob. 14. Breves dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est, constituisti terminos eius, qui praeteriri non possunt.

Confirmata fide testimoniis quae Deus tradidit in scriptis Propheticis et Apostolicis, deinde utile est aspicere rerum naturam, et ibi considerare vestigia Dei, et argumenta, que testantur et esse Deum, et esse sapientem, veracem, beneficum, iustum, castum, iudicem, punientem sceleratos, et liberum, de quibus argumentis Paulus Rom. 1. loquitur, et in Actis capite 17. Tam prope adest Deus, ut si posset contrectari manibus, non procul quaerendus esset.

Sumitur autem ab ordine corporum mundi primum argumentum: Perpetuus ordo corporum mundi, motuum coelestium, generationes in singulis speciebus et ordinata in singulis rebus nascentibus, neque casu ortus est, neque maneret, si natura casu volveretur, Ideo necesse est, esse sapientem et bonum conditorem.

Secundum argumentum a mente hominis et immutabilibus notitiis in ea, ac praecipue a discrimine honestorum et turpium, quod quidem praecipuum testimonium est de Deo, ostendens et quod sit et qualis sit, videlicet qualem se ostendit his notitiis quas indidit mentibus humanis, quas ut sciamus ratas esse, ipse in natura hominis addidit vindicem, dolorem conscientiae, destruentem naturam, cum ruit contra naturales notitias, etiamsi civiles poenas effugiat. Iam cogita, quantus fuerit amor in Deo erga homines, quod suae sapientiae et iustitiae radios in creatione in eos transfudit.

DE CAUSA PECCATI ET DE CONTINGENTIA.

Cum autem pulcherrimus ordo sit in corporibus mundi et in multis rebus naturae, et homines conditi sint ad hunc ordinem, ut verum Deum agnoscant, et cum eo congruant mentes et corda: quidnam turbavit hunc ordinem et hanc dulcissimam harmoniam, ne corda cum Deo congruerent, et unde sunt tot horrendae hominum dissensiones, naturae lanienae et infinitae calamitates. Philosophi quaerunt causas in materia. Manichaei finxerunt duos Deos, ut causam mali ostenderent: Sed nos firmissime teneamus, unicum esse Deum creatorem, sapientem, veracem, bonum, iustum, castum, non volentem, nec efficientem, nec adiuvantem, nec approbantem peccata, et sint in conspectu testimonia, Esaiae 45. Praeter me non est Deus alius formans lucem et creans tenebras, id est, corpora obscura, in quibus non est lux. Item Psalm. 5. Non Deus iniquitatem volens tu es. Gen. 1. Vidit Deus omnia, quae fecerat, et erant valde bona, id est, placentia ipsi, et recte ordinata, congruentia ad ordinem in mente divina quaelibet suo loco, ut homo sic est conditus, congruens cum Lege in mente divina. Ideo tunc dicitur bonus ante lapsum, quia congruebat cum mente divina. Nec fingendae sunt contradictoriae voluntates in Deo. Iohannis 8. Quando mendacium loquitur Diabolus, ex propriis loquitur, quia mendax est et pater mendacii, pater, id est, primus fons et causa mendacii.

Discernit autem Christus mendacium a substantia, quasi dicat, substantiam quidem habet Diabolus aliunde acceptam. Nam omnes angeli a Deo creati sunt, quorum aliqui postea volentes averterunt se a Deo. Illa aversio est propria Diaboli, id est, causa aversionis fuit voluntas libera, quae poterat et repugnare et obedire. 1. Iohannis 2. Concupiscentia carnis non est ex Patre, sed ex mundo, id est, ex natura hominis corrupta, qualis nunc est. 1. Iohan. 3. Qui facit peccatum ex Diabolo est, quia ab initio Diabolus peccat, id est, prima causa peccati est voluntas Diaboli, Rom. 5. Per hominem intravit peccatum in mundum, id est,

peccatum non est res condita a Deo, sed homo sua libertate se avertit a Deo, et excussit dona Dei, et illam suam destructionem propagavit in posteritatem. Zach. 8. Malum ne cogitetis in cordibus vestris, et iuramentum mendax ne diligatis, Omnia enim haec sunt, quae odi, dicit Dominus.

His perspicuis testimoniis divinis confirmati teneamus hanc regulam immotam, Deum non esse causam peccati, nec velle peccatum, nec impellere voluntatem ad peccandum, nec approbare peccatum, sed vere et horribiliter irasci peccato, sicut iram suam expressit in verbo suo, et ostendit in assiduis poenis et calamitatibus, et morte hominum. Ac illustrissimum est irae Dei testimonium adversus peccatum, quod non est facta remissio, nisi Pater placaretur obedientia Filii. Non est igitur Deus causa peccati, nec peccatum est res condita aut ordinata, sed est horribilis destructio operis et ordinis divini.

Sunt autem causa peccati, voluntas DIABOLI et voluntas HOMINIS, quae averterunt se libere et sua sponte a Deo, nec volente Deo, nec approbante illam aversionem, et haeserunt extra ordinem in obiectis contra mandatum Dei, ut Evae voluntas avertens se a verbo Dei haesit in Diaboli dicto, et in externo obiecto pomi.

Prodest etiam hic declarari, quid proprie sit peccatum, ut discernantur res conditae a Deo, et peccatum, quod est conturbatio seu confusio ordinis divini. Ideo peccatum recte dicitur defectus seu privatio, sicut Iohannes definit: ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία.

DE ORIGINALI facilis est declaratio, id enim est in mente tenebrae, videlicet non habere illustrem notitiam et firmam assensionem de providentia, comminationibus et promissionibus divinis, et in voluntate est aversio a Deo, id est, sine metu, fiducia, dilectione Dei esse, et in corde sine obedientia esse, quae congruebat Legi naturae, id est, Legi Dei in mente lucenti, sed vagis et errantibus inclinationibus ferri extra ordinem contra Deum.

Haec mala esse defectus non obscurum est, quos Deus neque condidit neque vult, Non est igitur causa peccati. Erat autem hos defectus mox secutura subita mors totius naturae humanae. Sed Deus immensa bonitate propter Filium naturam et propagationem servat, sed servat talem massam, qualis nunc est, ut si faber poculum non ex auro, sed ex plumbo faceret. Ac ipsi destructioni vere et horribiliter irascitur, quod ostendit, quia aliter placari non voluit nisi per Filium. Nec fingantur in Deo contradictoriae voluntates. Ac in narratione de saucio viatore Luc. 10. pingitur et morbus et causa. Expresse enim dicit Dominus a latronibus, id est, a Diabolis spoliatum et vulneratum esse viatorem. Amisit enim homo lucem et rectudinem voluntatis et cordis congruentem cum Lege, quae in mente lucebat. Amisit et acceptationem, qua Deo placebat. In horum bonorum amissione facta sunt vulnera in natura, mortalitas, et calamitates horribiles in toto genere humano, morbi et neces, et in mente dubitationes, in voluntate et corde errantes motus et lacerationes in doloribus inferorum, sicut in Ieremia dicitur: Perversum est cor hominis et aerumnosum, id est, aversum a Deo. Et in illa aversione plenum horribilium dolorum, ruens in mortem et aeternas poenas.

Talia dicta Prophetica commonefaciant nos de magnitudine peccati et poenarum in nobis, ut e regione et beneficia Filii Dei agnoscamus et petamus. Et simul iram Dei et magnitudinem misericordiae cogitemus, et firmissime statuamus, Deum nec causam esse peccati, nec velle, nec adiuvare, nec approbare peccatum. Nam illa falsa imaginatio, quae fingit Deum velle peccatum, extenuat iram, et confirmat coecam securitatem, quam emendari necesse est, sicut dicitur: Ubi habitabit Dominus in Spiritu contrito et tremente sermones meos etc.

Quod autem et in ACTUALI peccato sit privatio, id intelligi potest, si non tantum consideres externum motum, sed mentem et voluntatem, quae proprie est subiectum peccati, ut in Cain, in mente est dubitatio de providentia, et de poena, et voluntas est sine rectore Deo. Quanquam igitur motus voluntatis et membrorum est res positiva: tamen in eo motu est aversio a Deo, ut si navis sine velis et remis iactetur extra viam.

Recte igitur dicitur: Peccatum esse privationem seu destructionem, et id malum non est creatum a Deo, sed initio Deus condidit Angelos et homines ornatos hoc bono, scilicet libertate, qua, si voluissent, poterant obedire Deo, et cum non vellent obedire, aversi sunt, non volente, non cogente, non adiuvante Deo, sed libera voluntate sic ruente, Erat enim condita voluntas cum libertate.

Ideo dicitur: Per unum hominem peccatum intravit in mundum. Et 1. Iohan. 2. Concupiscentia carnis non est ex Patre, sed ex mundo est.

Deinde post lapsum fateri necesse est, esse

reliquam libertatem aliquo modo ciendi externa membra, seu regendi locomotivam, ut Physici loquuntur. Ideo enim opera Legis dicuntur iustitia carnis, quia huius naturae viribus utcunque etiam a non renatis externa Legis opera effici possunt.

Abstinuit Alexander a filiabus Darii coërcens externa membra. Sic et Paris coërcere externa membra poterat. Ideo dicitur: Lex est iniustis posita, id est, ad coërcendos non renatos, et puniendos contumaces. Ac nisi haec libertas aliquo modo reliqua esset, nulla utilitas esset Legum et totius civilis gubernationis.

Manet igitur aliqua libertas, quae fons est contingentiae etiam actionum post lapsum primorum parentum, quia contingentia nominantur, quae, cum fiunt, habent causam, quae poterat ex natura sua aliter agere, ut haec in Physicis copiosius declarantur, ubi et gradus necessitatis distinguuntur. Etsi autem multa contra disputantur, tamen retinenda est vera sententia in scriptis Propheticis et Apostolicis tradita, et puriori vetustati Ecclesiae probata, quae Stoica et Manichaea deliramenta magno consensu improbavit. Explicanda sunt autem quaedam contraria argumenta.

Primum.

Determinatio divina est immutabilis.
Omnia contingentia sunt determinata a Deo.
Ergo: Omnia, quae fiunt, sunt immutabilia et necessaria.

Respondeo ad maiorem. Determinatio divina est immutabilis, scilicet ratione consequentiae, quae re ipsa non affert necessitatem. Et aliter Deus determinat bona, quae vult, et quae solus efficit, ut resurrectionem mortuorum, Aliter mala, quae neque vult neque efficit, sed praevidet quousque ea passurus sit, ut praevidet Saulem ruiturum esse, et metam constituit, in qua eum repressurus sit, sicut de Sennaherib dicitur: Iniiciam ei frenum.

Talis determinatio malarum actionum longe differt a determinatione positiva bonarum actionum.

Aliter etiam agit et determinat actiones in voluntate hominum, aliter in natura, quae non agit libere, ut dicitur: Trahit Deus, sed volentem trahit, Quia, cum non optemperat David trahenti Deo, sua voluntate libere repugnat, iuxta dictum: Perditio ex te est, a me autem salus.

Hac simplici enarratione contenti simus, quia certe necesse est discerni determinationem bonarum actionum, quas vult Deus, et malarum, quas non vult.

Secundum argumentum.

Hierem. 10. Scio Domine, quod non est hominis via eius, nec est viri dirigere gressus suos. Ex hoc dicto ratiocinantur quidam, voluntatem hominis nec bonarum nec malarum actionum causam esse. Ideo respondeo, primum phrasin recte intelligendam esse. Via significat vocationem, id est, gubernationem homini mandatam quaecunque est, sive in Ecclesia, sive in Politia, sive in Oecomia.

Monet igitur Propheta, ut et infirmitatem nostram consideremus, et petamus recta consilia nobis a Deo ostendi et dari felices eventus: et dirigere gressus significat recta, foelicia et salutaria consulere et agere.

Est igitur fallacia a dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Vocatio Davidis, non est foelix sine Deo. Ergo David nihil agit. Item, David necessario rapit alterius coniugem. Haec esse ἀνακόλουθα manifestum est, a particulari ad universale.

Consideretur autem, ubi sit nostra infirmitas sive imbecillitas, aliud est electio in mente et voluntate, aliud eventus. Interdum erramus in eligendo, ut errat Iosias inferens bellum Aegyptiis, et Iosaphat adiungens se impio regi. Interdum etiam cum non est error consilii, tamen eventus est infoelix, ut saepe cum Medicus non errat, tamen curatio non procedit ex alia causa. Non errant Israëlitae punituri Beniamin, et tamen multi trucidantur. Non errabant Iudaei resistentes Antiocho, et tamen magnae clades acceptae sunt ex aliis causis, quia Deus etiam ipsorum peccata punivit. Sed plurima sunt errata consiliorum, ut Periclis in movendo Peloponnesiaco bello, Bruti et aliorum innumerabilium, ut dicitur Proverbio. 14. Est via, quae videtur homini bona, cuius novissima ducunt ad mortem. Et Theognis inquit: οὐδεὶς ἀνθρώπων ἐστὶν ἅπαντα σοφός. Quare consideratio infirmitatis nostrae, de qua loquitur Ieremias, doceat nos regulam. Subditus esto Deo, et spera in eum, id est, fac necessaria in vocatione, et nihil facias contra praecepta DEI, et pete ac expecta auxilium ab eo, iuxta dictum: Commenda

DEO viam tuam, spera in eum, et ipse faciet. Item, Dan. 2. Deus dat sapientiam etc. Et sapientia Dei inquit apud Salomonem: Penes me est consilium et successus.

Hanc necessariam doctrinam de timore, et dulcissimam consolationem de fide, invocatione, et spe auxilii divini nequaquam sinamus transformari in Stoica deliramenta, quae sunt falsa et contumeliosa in Deum, et abducunt homines a diligentia, a fide, spe et invocatione. Et in tota hac quaestione de necessitate prudenter considerandum est, quae sit nativa sententia in dictis, quae citantur.

Valde prodest in hac disputatione considerare etiam gradus necessitatis, qui recitantur in doctrina Physica.

Primus gradus nominatur absoluta necessitas, quae est propositionum, quarum oppositae simpliciter impossibiles sunt. Sic dicuntur necessariae propositiones de essentia Dei, et de virtutibus in Deo: Deus est, Deus est essentia intelligens, verax, bona, iusta, casta, liberrima.

Secundus gradus est definitionum et demonstrationum, quae etiam dicuntur necessariae simpliciter, quod, si fingatur oppositum, fit implicatio contradictionis, ut si Trigonus non habeat tres angulos, non est Trigonus: Si virtus non est quiddam congruens cum regula mentis divinae, non est virtus. Hic gradus proximus est primo, quia est regula mentis divinae immota, sicut haec immota est, Deus est castus, ita et haec immota est, Castitas est virtus. Et in omnibus artibus considerandum est, quae membra sint necessaria, id est, lumen congruens cum norma divina, et quae membra non sint necessaria, sed probabili ratione addita necessariis. Hinc Legum naturae et iuris positivi discrimen sumitur.

Tertius gradus est necessitas Physica: Sunt enim necessaria necessitate Physica, quae quia sic ordinata sunt in natura, eodem modo se habent, sed tamen a Deo mutari possunt, ut exempla testantur, et sic condita sunt liberrima voluntate Dei, et reguntur liberrima voluntate Dei, ut ignis necessario calefacit necessitate Physica, id est, sic instituto ordine divinitus, sed tamen Deus potest sistere solem, ut fecit in pugna Iosuae.

Ac Stoicorum delirium execrandum est, qui fingunt Deum alligatum esse causis secundis, nec posse aliter agere, quam ut cient causae secundae. Imo ideo invocamus, ut sua libertate regat et moderetur causas secundas, id est, Physicas.

Non sunt igitur prorsus immutabilia haec, quae in hoc tertio gradu recensentur, ut illa, quae ad primum et secundum gradum pertinent.

Quartus gradus est mutabilium, quae tamen nominantur necessaria necessitate consequentiae, id est, quae sunt quidem re ipsa mutabilia, sed non mutantur, vel quia sic a Deo decreta sunt, vel quia sequuntur ex causis, quae non mutantur, cum tamen mutari potuissent, vel quia, cum fiunt, contradictoriae simul verae esse non possunt: ut necessaria est resuscitatio mortuorum hominum, quia Deus edidit decretum de ea. Necesse est puniri genus humanum magnis calamitatibus, quia causae non mutantur: subinde enim multorum scelera irritant iram Dei. Haec nequaquam necesse est fieri, sed se quisque disciplina regere posset.

Necesse est haereses esse, scilicet necessitate consequentiae, quia mala ingenia delectantur ludis opinionum alia aliis, et tamen frenare petulantiam possent.

Denique omnia cum fiunt, tunc necessaria hoc modo dicuntur, quia contradictoriae non possunt simul esse verae: Etsi enim in multis causae non necessario agunt, tamen cum fiunt, dicuntur necessaria necessitate consequentiae, quae non est proprie necessitas, quia causae aliter agere poterant: Sed cum fiunt, manet regula: Quod duae contradictoriae non sunt simul verae: vult enim Deus, qui est verax, propositionem veram esse veram.

DE LIBERO ARBITRIO, SEU DE VIRIBUS HUMANAE VOLUNTATIS.

Diversissimae quaestiones sunt, altera de contingentia, in qua disputatur, an omnes motus in materia corporum in brutis et hominibus, et an bonae et malae actiones hominum necessario fiant? Hanc necessitatem finxerunt Stoici, ab his Manichaei sumta initia cumularunt horribilibus furoribus. Supra autem refutata sunt Stoica et Manichaea deliramenta.

Altera quaestio est, non de omnibus in materia motibus, sed tantum de actionibus humanae voluntatis, ubi hoc praecipue quaeritur, an et quomodo voluntas humana Legi Dei obedire possit, quas actiones et quomodo facere possit, quare nos ipsos aspiciamus, et qualis sit haec hominum natura, consideremus. Prodest autem ad hanc considerationem nosse usitatam doctrinam de potentiis

animae, et scire, quae agant naturaliter, et quae agant libere propria libertate, quae regantur ab aliis, et quantum regi possint.

Vocabula etiam recte intelligantur. Liberum arbitrium significat has duas potentias copulatas, Intellectum et Voluntatem, seu facultatem voluntatis ad eligendum et expetendum ea, quae monstrata sunt, et ad reiiciendum eadem, quae facultas in natura hominis integra, longe fuit praestantior quam nunc est in depravatis, ut Liberi arbitrii est, quod Scipio non voluit alienam sponsam attingere, sed vult eam inviolatam sine contumelia reduci ad parentes. De his vocabulis multa exiliter disputat vetustas, quae tamen et intelligi et explicari facile possunt ab his, qui Physicae doctrinae elementa recte didicerunt.

In scriptis Propheticis et Apostolicis haec vocabula usitata sunt, mens et cor, quae ambo usurpantur pro intellectu et voluntate, vere et non simulate aliquid volente, hoc est, complectuntur iudicium et appetitiones veras, non simulatas, nec tantum opus externum.

Cum ergo in Ecclesia disputatur, an voluntas humana sit libera, hoc quaeritur, An et quatenus voluntas humana Legi Dei obedire possit.

Hic necesse est scire doctrinam de peccato, quod nascentes afferimus, quod est tristis caligo in potentia cognoscente, videlicet esse sine luce agnoscente Deum, et esse sine firma fide assentiente minis et promissionibus, et in voluntate et in corde esse sine rectore Deo, et vagari flammis cupiditatum contra ordinem a Deo in Lege sancitum. Haec mala impediunt interiorem obedientiam erga Legem.

Necesse est etiam scire veram doctrinam de Lege Dei, quid sit et quare data sit, quid intersit inter politicas Leges et divinam. Voci Magistratuum satisfacit externa obedientia: Sed Lex divina est iudicium contra peccatum in natura, ostendens, qualis esse debeat homo. Nec tantum praecipit externa facta, nec satisfacit Legi Dei externa obedientia.

Ut autem voluntas humana non potest deponere mortem, ita nec deponere potest suis viribus pravitatem nobiscum nascentem. Et semper sunt in non renatis horrendae dubitationes de Deo, et inordinatae flammae vitiosorum affectuum.

Disputatio est igitur, quid et quantum facere humana voluntas possit? Hic primum respondeo. Cum manifestum sit in mentibus hominum reliquam esse notitiam aliquam Legis, et voluntatem etiam post lapsum libere posse ciere locomotivam, id est, regere motus membrorum externos, potest voluntas humana etiam sine renovatione, propriis viribus aliquo modo externa Legis opera facere. Haec est libertas voluntatis, quam Philosophi recte tribuunt homini, et haec externa obedientia saepe nominatur disciplina seu paedagogia, quam dicimus in potestate voluntatis aliquo modo esse, ut sitiens potest imperare locomotivae ut manus cieat, quae poculum ori admoveant, aut ut reprimat manus. Ita cogitatio et voluntas possunt in Achille imperare locomotivae, ut reprimat manus, ne stringant gladium.

Hanc libertatem esse reliquam in hominibus etiam in non renatis manifestum est, sicut et verba Pauli significant, qui nominat iustitiam carnis eam disciplinam, quam caro, id est, homo non renatus efficit. Fatetur ergo in homine non renato talem facultatem esse, actiones convenientes Legi externas facere aut non facere.

Voluit autem Deus talem libertatem reliquam esse propter duas causas, videlicet, primum ut intelligamus discrimen inter agens liberum et naturale, et sciremus ipsum Deum esse agens liberrimum.

Deinde ut externae hominum actiones regi possent notitia Legis. Nec tamen haec externa obedientia satisfacit Legi Dei, nec est iustitia, qua homo coram Deo iustus est, nec est meritum remissionis peccatorum. Ideo dicitur: Ex operibus Legis non iustificabitur coram Deo omnis caro. Nominatur autem litera, quia cogitatio illa regens motum externum, est veluti pictura seu scriptura illita cerebro, sine vita in corde, sine flamma cordis divinitus accensa, et intuente Deum: Ut cogitatio de ira reprimenda in Achille est picta in cerebro, cum quidem cor reluctetur, nec mens Achillis intuetur Deum, nec cor laetatur in Deo: Sicut David reprimens se, ne occidat Saulum, intuetur Deum et acquiescit in Deo.

Typus etiam huius iustitiae externae est folium fici, quo se tegunt primi parentes: Nam externa disciplina utcunque tegit deformitatem naturae interiorem, ut sunt res pulchrae ordinati gestus in Scipione nolente attingere alterius sponsam, nec tamen illud folium aufert peccatum et mortem a primis parentibus.

Sunt autem aliae causae quatuor, propter quas externa obedientia in omnibus necessaria est, etiam in non renatis.

Prima est mandatum Dei. Nam omnis creatura rationalis debet obedientiam Deo.

Secunda, Ut vitentur poenae corporales. Haec est enim regula divina: Atrocia delicta puniri atrocibus poenis etiam in hac vita, iuxta haec dicta: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Vae qui spolias, quia spoliaberis. Omnis anima, quae fecerit has abominationes, evometur ex terra. Haec dicta vera esse testantur assiduae calamitates in toto genere humano, morbi, discordiae, inopiae, seditiones, bella, tragici exitus, calamitates in sobole, et aliae innumerabiles poenae, quae sunt commonefactiones manifestae de ira Dei adversus peccatum. Ideo et apud Ethnicos recitantur sententiae congruentes Legi Dei, quae et a Patribus traditae sunt, et confirmatae sunt quotidiana experientia, ut apud Homerum, *οὐ γὰρ σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσι*, et apud Pindarum *πυθ. δ.*

ἐντὶ μὲν θνατῶν φρένες ὠκύτεραι
κέρδος αἰνῆσαι πρὸ δίκας δόλιον,
τραχεῖαν ἑρπόντων πρὸς ἐπίβδαν ὅμως.

Hoc iudicium in hac vita corporali Deus regulariter exercet adversus omnes sontes, quia vult conspici testimonia irae suae adversus peccatum. Et quanquam his, qui convertuntur, remittit culpam, et tollit poenam aeternam, tamen poenas corporales non semper aufert, saepe autem conversis mitigat, ut Zach. 1. dicitur: Convertimini ad me et ego convertar ad vos. Et Oseae 10. Non faciam furorem irae meae, quia Deus ego sum. Syracid. 16. Effundens iram secundum misericordiam. Ieremias in Threnis: Misericordiae Domini, quod non consumti sumus. Item Abacuc 3. In ira misericordiae recordaris.

Tertia causa, propter quam disciplina necessaria est, videlicet necessitas tuendae communis pacis, Quia hanc iustitiam communi hominum societati debemus, ut alios non laedamus iniuste.

Quarta causa valde insignis est, de qua Paulus inquit: Lex est paedadogia in Christum, id est, sit directa disciplina non tantum ad decus Philosophicum et ad pacem communis societatis, sed ad hunc finem potissimum, ut doceri homines de Christo possint. Quomodo enim inter assidua latrocinia propagari doctrina potest. Praeterea certum est, eos qui perseverant in sceleribus contra conscientiam, nequaquam conversos esse ad Deum: Quia saepe repetita est haec sententia: Ne erretis, Scortatores, Moechi, Homicidae non possidebunt regnum Dei.

Hae quatuor causae sint notissimae, et singulos ad amorem disciplinae hortentur. De his causis et Paulus loquitur, cum inquit: Lex est iniustis posita, id est, rata, et premit eos quoad praecepta et ad poenas attinet. Non dubitet homicida ratam esse vocem de poena, Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item, Lex est data propter transgressiones, scilicet coërcendas in hac corporali vita.

Quanquam autem hanc externam disciplinam, id est, gubernationem locomotivae, ne fiant externa facta contra Legem, humanae vires etiam in non renatis aliquo modo efficere possunt, tamen simul sciendum est, hanc libertatem duabus causis saepe impediri insidiis Diaboli, et imbecillitate nostrae naturae, qua fit, ut saepe homines contra iudicium mentis impulsi affectibus ruant in scelera, sicut Medea inquit: Video meliora proboque, deteriora sequor.

Miratur Philosophia, unde sit tanta infirmitas in homine, ut affectus tanto impetu repugnent notitiis recta iubentibus: quaerit igitur, quid sit virtus, et an virtutem humana diligentia assumere possit, sicut pictores, musici, artes suas assumunt exercitiis. Paulus disciplinam nominat opera Legis, id est, actiones externas, quae fiunt locomotiva ciente aut frenante externa membra, et regitur locomotiva cogitatione et imperio voluntatis, etiamsi cor habet contrarios affectus, ut cum Achilles revocat manus, ne interficiant Agamemnonem. Haec externa moderatio fit cogitatione et imperio voluntatis ciente membra, et tamen interea in corde magnum est irae incendium.

Nominat etiam Paulus talia opera Literam, id est, cogitationes tanquam pictas in cerebro, quae non sunt vita et Spiritus sancti motus, seu Deus movens cor.

Typus est illustrior de folio fici, sicut folium tantum foris tegit motus inordinatos membrorum: Sic rectio locomotivae est externorum membrorum qualiscunque frenatio. Si qua igitur est virtus in homine non renato, est valde exilis, econtra vitia valde conspicua sunt, quae sunt affectus, id est, flammae inordinatae in corde, ut amor in Davide, vel sunt impulsiones Diabolorum seu ipsi Diaboli impellentes infirmam naturam. Ut odium in Cain, Saule, et innumerabiles impetus mali contra *στοργήν*, quae adhuc reliqua est in natura post lapsum, oriuntur principaliter a Diabolis, qui odio Dei grassantur, ut maximam multitudinem hominum perdant, iuxta dicta: Circuit Diabolus tanquam Leo rugiens, quaerens quem devoret. Et Ephes. 2. Diaboli sunt efficaces in impiis, sicut de Iuda dicitur: Sa-

tanas intravit in eum. Hinc sunt incestae libidines, parricidia, seditiones, furores moventes bella iniusta et caedes, blasphemiae, Idolorum defensio et alia multa.

Hanc tantam miseriam generis humani consideremus, et de causis cogitemus patefactis in Ecclesia, et remedia quaeramus. Sciamus Filium Dei missum esse, ut destruat opera Diaboli et conterat caput serpentis, discernamus Philosophicam doctrinam ab Evangelica, id est, sciamus veram virtutem esse lucem accensam per Filium Dei voce Evangelii, qua verum Deum intuemur, et motus Spiritus sancti in corde, sicut 2. Cor. 3. dicitur: Transformamur, ut efficiamur imago Filii Dei a Domini Spiritu, id est, lucet verbum in mente, et illi luci congruentes motus accenduntur per Spiritum sanctum. Haec remedia salutaria discamus et petamus, sicut saepissime praecipitur: Petite et accipietis. Quanto magis Pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus: Item, Effundam super domum David Spiritum gratiae et precum. Haec praecepta et has dulcissimas promissiones quotidie in invocatione cogitemus.

Supra autem dixi disciplinam illam, quam ratio efficere utcunque potest, nequaquam esse Legis divinae impletionem neque iustitiam, qua homo sit iustus coram Deo, neque mereri remissionem peccatorum, neque reconciliationem, neque vitam aeternam. Et infra de Lege taxabimus Pharisaica deliramenta, quae fingunt Legi Dei satisfieri externis operibus, cum Lex praecipiat integram obedientiam in mente, corde et externis actionibus, iuxta dictum: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde. Congruere cum Lege mentem et cor oportebat, quae horribiliter repugnant Legi Dei, sicut et testatur Paulus: Sensus carnis inimicitia est adversus Deum. Mens in non renatis plena est dubitationum de Deo, corda sunt sine vero timore Dei, sine vera fiducia Dei, et habent impetus ardentes contra Legem Dei, denique natura humana oppressa est peccato et morte. Haec ingentia mala intueamur, cum extenuatur libertas voluntatis.

Hic igitur primum et perspicue dicitur: Non potest humana voluntas exuere nobiscum nascentem pravitatem, nec potest Legi Dei satisfacere, quae iudicat et damnat peccatum in natura hominis, non tollit, sicut nec mortem tollit, nec potest voluntas mereri remissionem peccatorum, nec reconciliationem, nec vita maeternam mereri potest: sed firmissime tenenda est regula Iohannis 8. Si vos liberaverit Filius, vere liberi eritis. Et Rom. 3. Ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro coram eo. Item, Iustificamur gratis fide per sanguinem eius. Deinde et hoc verum est, Non potest humana voluntas credere de promissione divina, et inchoare interiorem obedientiam, nisi luce accensa per Evangelium a Filio Dei et effuso Spiritu sancto in corda eorum, qui convertuntur. Ideo clare dicitur Rom. 8. Qui ducuntur Spiritu Dei, hi sunt filii Dei. Item, Si quis Spiritum Christi non habet, is non est Christi. Iohan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum. Item, Sine me nihil potestis facere. Item, Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui volet Filius revelare. Sciendum est autem Filium Dei, qui est caput Ecclesiae perficiens omnia in omnibus efficacem esse voce Evangelii, et dare Spiritum sanctum cum voce Evangelii sustentamur, ut clarissime dicitur Galat. 3. Ut promissionem Spiritus accipiamus per Fidem. Item, Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Ac saepe hanc verissimam commonefactionem repetimus: Cogitantes de Deo a patefacta voce doctrinae ordiri oportere, nec quaerendam esse voluntatem Dei sine verbo ipsius, ideo expresse dicit: Cum mundus non nosset Deum in sapientia per sapientiam, placuit Deo per stultam praedicationem salvos facere credentes.

Est autem utraque concio universalis: Praedicatio poenitentiae, et promissio, Utrique igitur omnes assentiamur, agamus poenitentiam, credamus omnes in Filium, nec disputemus de alia arcana voluntate, nec fingamus in Deo contradictorias voluntates. Cumque a verbo Dei ordimur, sciamus concurrere has causas: Vocem a Deo traditam, et ipsum Filium efficacem per verbi externi cogitationem et dantem Spiritum sanctum, sicut inquit: Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Scimus, quod sit in nobis, quia de Spiritu suo dat nobis. Item, Ipse est caput Ecclesiae omnia perficiens in omnibus: et tunc oportere voluntatem non repugnare Deo, sed assentiri, cum quidem iam a Deo trahatur. Posset enim excutere Spiritum sanctum, ut excutit Saul sua sponte: Sed cum mens audiens ac se sustentans non repugnat, non indulget diffidentiae, sed adiuvante Filio Dei per Spiritum sanctum assentitur. In hoc certamine voluntas non est otiosa. Et veteres dixerunt: Praecedente gratia, comitante voluntate bona opera fieri.

Et Basilius inquit: *μόνον θέλησον καὶ θεὸς προαπαντᾷ*. Deus antevertit nos, vocat, monet, adiuvat, sed nos viderimus, ne repugnemus. Constat enim peccatum oriri a nobis, non a voluntate Dei.

Chrysostomus inquit: *ὁ δ' ἕλκων τὸν βουλόμενον ἕλκει*, trahit, sed volentem trahit. Sicut et in illo ipso loco Iohannis dicitur: Omnis qui audit a Patre et discit, veniet ad me. Discere iubet, id est,

audire vocem doctrinae traditam ab ipso, et assentiri ei, non repugnare, non indulgere diffidentiae.

Nequaquam igitur audiendi sunt Manichaei furores, qui finxerunt aliquem esse numerum hominum, quos nominant ὑλικοὺς καὶ χοϊκοὺς, qui converti non possunt, nec Enthusiastae et Stenckfeldiani audiendi sunt, qui imaginantur rapi homines coactos et quidem sine cogitatione doctrinae, et confirmant prophanitatem in illis, qui cogitant, si raptus expectandus est, interea indulgebo diffidentiae et aliis sceleribus. Nos regulam aeternam et immotam teneamus: Audite Filium, Osculamini Filium. Omni tempore debemus assentiri praedicationi poenitentiae et promissioni et repugnare diffidentiae, et addere invocationem: Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meae. Haec regula semper vera est, etiamsi hoc ita fit, quod multa Deus in sanctis agit, in quibus voluntas se tantum passive habet: retinenda tamen est regula, quae praecipit, ut Filium audiamus, et ei non repugnemus.

Certe postquam in conversione datus est Spiritus, incipit sanare voluntatem et affert initia Libertatis. Hic non cogitandum est, voluntatem in actionibus se habere ut truncum, cum Ioseph repugnat illecebris adulterae, concurrunt hae causae, Verbum Dei, quo Filius docet mentem et lucem accendit in cogitatione mandati Dei, poenarum, promissionis, gratiae, praemiorum, et multorum eventuum in utramque partem.

Et Spiritus sanctus movet voluntatem, non solum ut regat externa membra, sed ut vere sentiat scintillas, quod velit Deo obedire et repugnare Diabolo. Postea reguntur externa membra et a Spiritu sancto et a voluntate, et moventur, ut caveant et vitent occasiones. Hic sentitur voluntatem non esse trunco similem. Ideo Paulus iubet cavere, ne frustra gratiam acceperimus, effundens enim volens effundit. Et ad Ephesios inquit, diligentiam praecipiens: Accurate ambulate, non ut fatui. Item, Habenti dabitur, Qui negotiatur accepto talento. Ideo Augustinus interpretans dictum Syracidae, addit interpretationem brevissimis verbis, quae universaliter Legi addenda est: Proposuit tibi ignem et aquam, ad utrum voles, extendito manum. Addit Augustinus brevissime: Extendito ad bonum, scilicet iuvante gratia. Universaliter enim sciendum est, doctrinae Legis addendam esse interpretationem ex Evangelio, et Christum finem esse Legis, et Legem per fidem stabiliri.

Haec ut copiosius declarentur, duo vetera decreta explicanda sunt, quorum alterum inquit: Anathema sit, qui dicit Legem impossibilia praecipere. Alterum inquit: Anathema sit, qui dicit Legem Dei posse fieri sine gratia.

In posteriore vocabulum gratiae recte intelligendum est. Non enim satis est sic intelligere hoc dictum: Lex non potest fieri sine gratia, id est, sine auxilio Dei, ut: Laurentius non potest retinere in supplicio magnitudinem animi, nisi confirmatus a Deo per Spiritum sanctum.

Haec enarratio etsi vera est, tamen non est sufficiens, sed prius intelligatur gratia de reconciliatione et imputatione iustitiae propter Filium, ut obedientia Laurentii Deo placeat, et sit cultus Dei, necesse est prius personam placere propter Mediatorem fide, gratis accepta remissione peccatorum, et imputatione iustitiae propter Filium, cuius iustitia vestitus Laurentius placet iam, ac si Legi satisfaceret, et tamen verissimum est, omnes homines in hac vita procul abesse a perfectione Legis praeter Christum.

Postea addatur altera interpretatio de auxilio. Illustrentur haec et exemplorum collatione. Differunt repressio irae in Achille et Davide. Cum Achilles incensus ingenti ira stringens gladium reprimit se, ea repressio est gubernatio locomotivae, seu externorum membrorum, quae fit cogitatione Achillis: Nec tamen est mutatio cordis, nec est cultus Dei.

Sed repressio irae in Davide, est in persona, quae placet Deo fide, qua accipit imputatam iustitiam propter Mediatorem, et est in corde, in quo lenit iram Spiritus sanctus, et accendit veros motus mansuetudinis et commiserationis, qui sequuntur has cogitationes accensas verbo Dei: Mihi vindictam et ego retribuam. Item, Vitato scandalo, pessimi exempli res esset etiam in causa iusta, et quidem in populo Dei, regem a Deo unctum interficere. Fit igitur haec mansuetudo opus Deo placens, quia praelucet fides, qua persona propter Mediatorem placet, et est inchoatio obedientiae, quam Lex praecipit, quia est in corde, et fit praelucente fide, et refertur ad gloriam Dei. In tali collatione exemplorum, haec dicta magis fient illustria: Lex stabilitur per fidem, et Lex inchoatur praelucente fide, et iuvante gratia. Sciant autem iuniores hoc decretum contra Pelagianos factum esse, et dignum esse consideratione.

Alterum decretum est, Anathema sit, qui dicit Legem Dei impossibilia praecipere. Usitatum est hic respondere: Impossibilitas non est ex Lege, sed ex nobis post depravationem naturae. Sed mea responsio haec est: Iudico decretum hoc simpliciter factum esse contra Manichaeos, qui fingebant omnia peccata interiora et exteriora necessario fieri, et negabant libertatem esse regendae loco-

motivae reliquam in hac depravata natura. Haec falsa imaginatio de externa obedientia damnatur hoc decreto. Anathema sit, qui dicit Legem Dei impossibilia praecipere, scilicet in externa obedientia, seu in externo gestu. Colligatur magnus acervus optimarum admonitionum, quae simul de nostra infirmitate loquuntur, et iubent petere a Deo auxilium et consilium. Hierem. 10. Scio Domine, non est hominis via eius. Proverb. 16. Cor hominis cogitat viam, sed Dominus confirmat gressum eius. Talia dicta continent et doctrinam necessariam, et dulcissimas consolationes. Docent aliud esse electionem, et aliud eventum, ut aliud est electio belli in Pompeio, aliud eventus, ac manifestum est, ad eventum requiri multas causas extra nos. In electione etiam saepe est error consilii. Interdum cum non errat consilium, ut non errabant Israëlitae arma capientes contra Beniamin, tamen saepe iustis consiliis non respondent eventus propter alias causas, propter quas Deus alios exitus tribuit, quam quales non iniuste ratiocinati eramus. Haec omnia vult nos Deus considerare. Primum ne fiducia nostrarum virium suscipiamus iniusta aut non necessaria, Deinde ut etiam in causis iustis et necessariis petamus consilium et auxilium a Deo, iuxta dictum: Commenda Deo viam tuam, spera in eum, et ipse faciet. Nec propterea sequitur, nullam esse contingentiam, omnia fieri Stoica necessitate, humanam voluntatem habere se ut truncum, ut: cum Ioseph fugit adulteram, regitur quidem et custoditur luce accensa in eius mente a Filio Dei, et cor accenditur a Spiritu sancto: Et tamen voluntas eius non est otiosa, sequitur trahentem Spiritum sanctum, et volens vitat illecebras et perniciosas occasiones. Israëlitae iustam et necessariam causam habent belli contra Beniamin: Tamen eventus initio tristes sunt. Ideo dicit Salomon: Cor hominis cogitat viam suam, sed Deus confirmat gressus, ut ibi Israëlitae vincuntur, quia eventus non iuvatur a Deo. Iosias etiam in consilio errat, fuitque spectator illius magnae calamitatis. Ieremias inquit: Scio Domine, quia non est hominis via eius, id est, vocatio, sed ita est foelix, cum et consilia salutaria Deus monstrat, et praebet ipse secundos eventus, iuxta dicta: Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Item, Dominus dat sapientiam sapientibus.

DE LEGE DIVINA.

Necesse est usitatam partitionem retinere: Praecipua pars Legis nominatur Moralis, quae est Decalogus recte intellectus, id est, conformitas cum sapientia et ordine in mente divina. Aliae duae partes sunt politicae, videlicet Ceremonialis et Forensis seu iudicialis, ut in Politia Moisi, certae Ceremoniae et Leges, de distinctione facultatum, de delictis, iudiciis, et poenis corporum divinitus traditae sunt.

Tenenda est autem regula: Sicut politia Iudaica deleta est, ita et Ceremonias et Forenses Leges, quae non sunt naturales, deletas esse, nec alligatam esse Ecclesiam ad Ceremonias Leviticas, nec ad Leges Forenses, quae non sunt naturales. Haec doctrina expresse tradita est in Actis capite 15. et in Epistola ad Galatas et alibi.

Hic autem considerandum est, et quare illa politia constituta sit, et quare Ceremoniae et Forenses Leges traditae sint. Iohannes eruditissime discernit: Lex per Moisen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est, id est, Messias missus est, ut deleto peccato et deleta morte restituantur in nobis aeterna bona, iustitia et vita aeterna, sicut et Daniel inquit: Peccatum expiabitur et delebitur, et adducetur aeterna iustitia.

Constat autem Ceremonias et ritus Forenses non esse res aeternas, Ideo firmissime statuendum est, Ceremonias et ritus Forenses non esse institutos, ut mereantur remissionem peccatorum, seu ut essent iustitia, qua homines coram Deo essent iusti, seu ut essent illud bonum, propter quod venturus erat Messias. Quare et in Epistola ad Hebraeos dicitur: Impossibile fuit sanguine taurorum deleri peccata.

Quid igitur fuerunt Ceremoniae et ritus Forenses? Respondeo. Fuerunt illius politiae forma seu vinculum. Voluit enim Deus singulari beneficio certam politiam constituere, et a caeteris gentibus separare, ut certum esset, ex qua gente et stirpe, in quo loco terrae vellet nasci Christus, et ubi audiendus esset, ubi testimonia de ipso exhibiturus esset, ubi subinde repetiturus et illustraturus esset promissionem, et testimonia ostensurus, ut sciretur promissionem vere traditam esse a Deo.

Praedixit etiam exhibito Messia, et ostensis testimoniis resuscitatione mortuorum et aliis miraculis, finem fore politiae Mosaicae, et futurum, ut Evangelium inter gentes spargeretur, et colligeretur aeterna Ecclesia ex Iudaeis et gentibus. Haec ideo praedicta sunt, ut sciretur, promissionem Messiae intelligendam esse de aeternis bonis, et non tantum de illa politia, et veros cultus Dei esse

aeternam iustitiam, non umbras Ceremoniarum et rituum Forensium. Haec in Daniele expresse praedicta sunt, adducetur iustitia aeterna, et populus desinet esse, et templum destruetur ita, ut non rursus aedificandum sit. Destructo autem templo Hierosolymae simul iacent inter rudera et cineres Leviticae Ceremoniae et Forenses Leges, quae non sunt naturales. Nec aliae gentes ad Moisi ritus alligatae sunt. Duravit autem illa politia ab exitu ex Aegypto, usque ad ultimam destructionem factam a Tito annos 1582.

Cogitemus autem, quam dulce beneficium Dei fuerit, quod tam diu certa sedes Ecclesiae fuit, quae, etsi ingentibus aerumnis interea quassata est, tamen inter illas ipsas aerumnas vidit mirandas liberationes, quae fuerunt testimonia de Deo. Semper etiam ibi servavit Deus aliqua viva Ecclesiae membra, in quibus fulsit veritas, ut fuerunt ultimo et tristissimo tempore Zacharias, Simeon, et alii.

Cogitentur etiam causae destructionis, inter quas et haec fuit, Ne Ceremoniae Mosaicae putarentur esse res necessariae. Omissis ergo illis duabus partibus, Ceremonialibus et Forensibus legibus Moisi, quae ita deletae sunt, ne fiant, hic dicendum est de Lege Morali, quae est aeterna, et ad quam renovamur. De hac parte hanc definitionem constituo.

LEX MORALIS est aeterna et immota sapientia in Deo, et regula iustitiae, discernens recta et non recta, volens recta, et horribili ira destruens contraria, cuius notitia in creatione, rationalibus creaturis insita est, et postea saepe repetita, et declarata voce divina, ut sciamus, quod sit Deus, et qualis sit, et quod sit iudex obligans omnes creaturas rationales, et praecipiens, ut omnes sint conformes ipsi, et habeant integram obedientiam iuxta totam Legem, et accusans ac destruens omnes non conformes, iuxta dictum: Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in Lege.

Cum autem in definitione sit vocabulum *immota*, ex Evangelio adiicitur interpretatio et ἐπιείκεια, nisi fiat remissio et reconciliatio propter Filium Mediatorem. Nam ante promissionem aliter iudicari non poterat, nisi iram prorsus immutabilem esse, et sic est immutabilis, quod Deus peccato semper irascitur, et non sine poena remittit, quam in Filium Mediatorem immensa bonitate et mirando consilio transtulit. Recipit autem creaturam suam propter Filium, Suntque execrandi furores Stoicorum et Antinomorum, qui fingunt Deum velle peccatum. Iuniores hanc brevem descriptionem teneant. Lex Moralis est Decalogus recte intellectus.

DE USIBUS LEGIS MORALIS.

Recte autem dicimus, tres esse usus Legis Moralis. Primus est Politicus seu Paedagogicus, coërcere externa membra etiam in non renatis; ut 1. Timoth 1. dicitur: Lex est iniustis posita, et est Emphasis in verbo *κεῖται*, premit iniustos, quoad utrumque, id est, coërcet externa membra, et punit facientes externa delicta poenis corporalibus.

Sciendum est autem, quid sit haec externa iustitia, et quod sit aliquo modo etiam non renatis possibilis. Dixi autem supra hanc externam iustitiam esse gubernationem locomotivae, regentem externa membra, ut faciant opera externa congruentia Decalogo.

Philosophi multa de virtute quaerunt, quae sunt obscura, sed gubernationem externorum membrorum scimus esse cogitationem in cerebro, et voluntatem imperantem externis membris, ut cieant tales motus, quales docet cogitatio, ut cum Achilles reprimit se, ne interficiat Agamemnonem, cogitatio et voluntas imperat manibus, ne faciant caedem. Talis libertas adhuc in hominibus etiam non renatis reliqua est.

Ac praecipue de politico usu hoc considerandum est, quod et hic usus illustre testimonium sit de Deo, quod sit Deus et qualis sit, quod sit vindex.

Notitiae ordinatissime testantur, quod haec natura non casu ex Democriti Atomis confluxerit. Deinde hae notitiae discernentes recta et non recta, ostendunt, qualis sit Deus.

Tertio quia universaliter sequuntur poenae atrocia scelera, testimonium ostenditur, quod vere sit Deus praesens in genere humano, et puniat scelera. Nec contemnenda sunt haec testimonia de Deo, sed saepe multumque cogitanda, ut confirmetur assensio de providentia.

Hic etiam repetantur causae, quare necesse sit facere externa Legis opera, etiamsi non merentur remissionem peccatorum, nec sunt illa res, qua homo est iustus coram Deo.

Prima causa est, quare necesse sit facere externa honesta opera etiam non renatis, scilicet mandatum Dei.

Secunda, Ut vitentur poenae, quae ordine divino sequuntur atrocia scelera, iuxta dicta: Qui

gladium acceperit, gladio peribit. Item, Omnis anima quae fecerit has abominationes, evometur ex terra. Item, Vae qui spolias, quia spoliaberis. Hinc regula est: Atrocia delicta comitantur atroces poenae in hac vita.

Tertia causa est, ut aliis pax sit, Quia nascimur ad fovendam societatem, non ad infinitam deletionem generis humani.

Quarta, ut externa modestia sit paedagogia in Christum, ut doceri possimus nos et alii, et perseverantes in sceleribus contra conscientiam, non sunt sanctificati a Christo per vocem Evangelii et Spiritum sanctum. Ideo dicitur: Scortatores, adulteri, homicidae non possidebunt regnum Dei. Usus est autem Paulus appellatione non terribili, quia paedagogus non tantum castigat, sed etiam docet, et ordinatis exercitiis assuefacit. Ita usus paedagogicus Legis ad hoc prosit, ut doceantur rudiores de Deo, et de virtutibus, non ut confirmetur Cyclopica et effera barbaries. Hunc usum politicum ratio etiam in non renatis utcunque intelligit, etsi hunc quoque per caliginem aspicit, et addit errores, fingit esse merita remissionis peccatorum, esse impletionem Legis et iustitiam coram Deo. De his erroribus postea dicemus in secundo usu.

Secundus usus Legis divinae in iudicio conscientiae, in quo cum voce Legis accusantur, sensus irae Dei adversus peccatum veros et horribiles dolores affert. De hoc usu concionatur Paulus, cum inquit: Lex iram efficit. Et ad Corinthios, Aculeus mortis peccatum est, potentia peccati Lex est. Rom. 7. Peccatum occasionem accipiens per Legem occidit. Est enim Lex post peccatum horribile Dei iudicium, accusans et damnans omnes reos, quorum alii alio tempore sentiunt huius iudicii exequutionem. Et quanquam multi damnandi, ut Nero, vivunt securi, et habent cervices ferreas, frontes aeneas, corda adamantina: tamen tandem his terroribus opprimuntur.

Alii vero convertendi, ut David, Manasses, Ezechias, Paulus, in sensu talium terrorum eriguntur consolatione, intuentes promissionem gratiae, credentes Evangelio, et fiducia Mediatoris sustentati vivificantur, ut Paulus inquit: Iustificati fide pacem habemus apud Deum.

De hoc iudicio et de his terroribus loquitur Ezechias, cum inquit: Sicut Leo contrivit omnia ossa mea. Et in Psalmo: Non est pax ossibus meis a conspectu peccatorum meorum.

Etsi autem in aliis hi terrores sunt maiores, in aliis minores, quia summos nemo ferre potest, sicut in Psalm. dicitur: Non accendit Deus totam iram suam. Et in Osea: Non faciam furorem irae meae, quia Deus ego sum: tamen omnes convertendi ad Deum aliqua initia talium terrorum sentiunt, ut Psalmo 50. dicitur: Deus noster manifeste veniet, et non silebit ignis in conspectu eius.

Et vere irascitur Deus carnali securitati, ut Paulus ad Ephesios damnat eos, in quibus nulli sunt dolores, quos nominat ἀπηλγηκότας, id est, qui dedoluerunt, die da verschmerzt haben, die nichts darnach fragen. Ideo cum de contritione in doctrina de poenitentia dicitur, hi terrores intelligantur, quorum initia in vera poenitentia discenda sunt.

Etsi autem est aliqua notitia Legis divinae in toto genere humano, quae nobiscum nascitur: tamen simul magna caligo est, et ratio imaginatur, satisfacere homines Legi divinae externa disciplina. Ideo Deus semper in vera Ecclesia repetivit Legem, et docuit eam esse iudicium accusans peccata externa et interiora, tenebras et dubitationes de Deo in mente, et pravitatem cordis, quod est in hac corrupta natura ante conversionem sine timore Dei, sine fiducia et sine dilectione Dei, et ardet affectibus pugnantibus cum Lege Dei, et fremit adversus Deum, sicut Ieremiae 17. dicitur: Perversum est cor hominis et aerumnosum. Perversitas significat culpam seu contumaciam contra Legem. Aerumnosum significat ingentes dolores in fuga et fremitu adversus Deum, qui sunt culpae et poenae.

Ut igitur peccata interiora et exteriora agnoscantur, vult Deus in Ecclesia sua doceri Legem, sicut Paulus inquit: Per Legem cognitio peccati. Et quanquam Christus non est missus, ut sit Legislator novae alicuius Legis, sed ut proferat Evangelium ex sinu aeterni Patris, et sit Redemtor et Salvator: tamen cum docet, ut minister repetit vocem Legis Moralis, et eam declarat, emendat errorem Pharisaeorum, qui Legem tantum de externis actionibus interpretabantur.

Sic semper ab initio in sola Dei Ecclesia retenta est integra Lex, et subinde detersae sunt sordes, quibus obscurata fuit.

Quare furor est execrandus dicere: Vocem Legis Moralis, sicut eam Christus, Prophetae et Apostoli declarant, non docendam esse in Ecclesia. Constat enim necessariam praedicationem poenitentiae esse, in qua peccata ostendi necesse est, sicut Ieremiae primo scriptum est: Ecce dedi verba mea in ore tuo, constitui te super gentes, ut

evellas et destruas, scilicet arguendo peccatum. Et ad Titum 2. Argue eos cum omni imperio, id est, praecipiendo cum comminatione irae Dei et poenarum aeternarum. Simul autem docet Ecclesia, quod nemo Legi Dei satisfaciat, et proponit Evangelium de remissione peccatorum et iustitia fidei, quae donatur Gratis propter Mediatorem, et sola fide accipitur. Postea vero, quomodo placeat nova obedientia, suo loco dicetur.

Tertius usus est, docere renatos, qui cultus Deo placeant. Etsi enim quomodo renati et iustificati fide, sint liberi a Lege, dicendum est suo loco: Sunt enim liberi a Lege, id est, a maledictione seu ira Dei, quae in Lege proponitur, scilicet cum fidem retinent, et fiducia Filii Dei repugnant peccatis et vincunt terrores peccati: Semper tamen in hac vita docenda est Lex.

Primum, ut habeamus testimonium Dei, qui cultus ei placeant, quia totam obedientiam interiorem et exteriorem regi vult verbo suo, iuxta dictum: In praeceptis meis ambulate. Item, Lucerna pedibus meis verbum tuum.

Manet etiam ordo aeternus et immutabilis in mente divina, ut creatura rationalis Deo obtemperet iuxta dictum: Non Deus volens impietatem tu es. Ideo dicitur: Per fidem Lex stabilitur, id est, fide inchoatur obedientia et placet.

Secundo cum in renatis sint reliquiae peccati, crescere poenitentiam oportet. Ut igitur peccata magis magisque agnoscantur voce Legis, ira Dei monstranda est, ut crescat vera contritio, sicut scriptum est: Ad quem respiciam, nisi ad Spiritum contritum et trementem sermones meos. Et Dominus inquit ad suos discipulos: Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis, et Paulus inquit: Argue eos cum omni imperio, scilicet vocis divinae.

Itaque propter reliquias peccati, etiam renati docendi sunt de Lege, sicut et in Deut. scriptum est: Repetas seu acuas eis praecepta mea. Quomodo autem intelligenda sit doctrina de liberatione a Lege, suo loco copiosius dicitur.

Postquam haec de tribus usibus Legis Moralis dicta sunt, procedimus ad Decalogi explicationem quantulamcunque, ubi primum cogitandum est, Quare Lex Moralis, cum natura nota sit, tamen voce divina saepe repetita sit et magnis miraculis audientibus sexcentis millibus virorum promulgata sit.

PRIMA causa est, Quia post peccatum caligo accessit, quae naturalem notitiam fecit obscuriorem, sicut manifestum est Ethnicos cito recepisse invocationes multorum numinum et confusiones libidinum. Item ratio non damnat vitiosam concupiscentiam, quae nobiscum nascitur. Quotidiana experientia in omnibus hominibus ostendit rapi mentes, ut minus severe iudicent, cum corda ardent coeco affectu, sicut dicitur: Quae volunt homines, libenter credunt. Item, τῷ γὰρ ἔρωτι τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται.

SECUNDA causa promulgationis est, quia voluit Deus extare illustre testimonium, quod ostenderet has notitias naturales ab ipso nobis insitas esse, et iudicium conscientiae et pavores, qui ex illis notitiis oriuntur, esse Dei iudicium, et poenas interiores et exteriores, quae sequuntur delicta, non accidere casu, sed ordine divino, et hac sapientia et hoc iudicio voluit ipse doceri homines qualis sit Deus, videlicet iustus, verax, castus, vindex scelerum, et velle Deum se discerni a malis naturis, iuxta dictum: Non Deus volens impietatem tu es.

TERTIA causa promulgationis est, Quia Deus vult extare discrimen sua voce monstratum iustitiae Legis et peccati, et vult sciri in toto genere humano damnari peccatum, et poenas non accidere casu, sed ordine divino, et simul etiam vult omnes homines intelligere cum Lex a Deo hominibus insita sit et repetita, necesse est eam aliquando impleri, et restitui integram obedientiam. Ita Lex illustre est testimonium de futura vita. Legem oportet integre fieri: Non fit in hac vita, Ergo necesse est restare aliam vitam, in qua vel sit integra haec iustitia, vel sit poena aequalis magnitudini peccatorum, scilicet aeterna.

Cum autem Legem, peccatum et poenas consideramus, sciamus hoc iudicium non ideo monstratum esse, ut totum genus humanum pereat, quia Deus iurans inquit: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat: Quaeramus igitur, quomodo et per quem velit nos liberare. Ideo Paulus inquit: Lex est paedagogus in Christum, iudicamur, ut agnoscentes peccatum confugiamus ad Mediatorem. Et apud Iesaiam dicitur: Facit alienum opus, ut faciat opus proprium. Et apud Michaeam: Iram Domini portabo, sed Dominus erit lux mea. Haec prooemia de usu Legis et de causis promulgationum, semper in conspectu sint, et de amplitudine sapientiae Legis, et ordinis divini saepe multumque cogitemus, quod ut faciamus, admonent nos mors et plurimae horrendae poenae in hac vita, quarum omnium consideratio

referenda est ad hoc dictum: Bonum mihi, quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas.

DECALOGUS.

Lex Moralis postulat conformitatem in homine cum Deo, et cum sint duae tabulae. Prior loquitur de vera agnitione, qua Deus agnoscitur lucens ipse in nobis, et sese nobis communicans, et qua nos vicissim diligimus eum, et laetamur in eo, et efficimur unum cum eo. Talis erit in beatis agnitio, dilectio et laetitia acquiescens in Deo, et econtra in impiis in hac vita, et post hanc vitam mens est ignara Dei, sine luce Dei, plena dubitationum, odii, et fremitus adversus Deum, ut in Saul et similibus.

Secunda tabula ostendit conformitatem cum Deo, qualis in eo est erga homines, sicut in mente divina est haec sapientia et bonitas erga hominem, ut homo conservetur, non occidatur, sit castus, tota natura abhorrens a confusione libidinum, sit verax, et fruatur suo conveniente ordine. Ita Lex ostendit, qualis esse conformitas cum Deo deberet, non tantum in externis operibus, sed integra, in omnibus partibus hominis. Observes igitur vocabulum conformitatis, et cum de Lege cogitas gemens deplorato, non esse hanc integram conformitatem in hac depravata natura. Usitatum est sic discernere primam et secundam tabulam. PRIMA loquitur de operibus, quae Deo immediate tribuuntur. SECUNDA de operibus, quae immediate hominibus tribuuntur: Sed fiunt cultus Dei, quia propter eum fiunt. Haec phrasis usitata, facilius intelligitur in Catechesi, quam si de integra conformitate diceretur, de qua tamen cogitent illi, qui processerunt in discendo.

Sciendum est autem, cum hic recitantur brevia dicta: Non occidas, Non moechaberis, comprehendi enarrationes, quae alibi scriptae sunt in Lege Dei, ut de puniendis homicidis, de incestis etc. Haec omnia etiamsi dicuntur Forensia, tamen re ipsa sunt Moralia.

Addantur et enarrationes Matth. 5. quae ostendunt in Ecclesia Legem Moralem intelligi oportere de integra conformitate cum Deo, non tantum de externis operibus. Postremo consideratis his enarrationibus, sciamus, quae opera sint cultus Dei. Et sint in conspectu regulae: Frustra colunt me mandatis hominum, Et apud Ezechielem: In praeceptis meis ambulate.

Et valde dignum est consideratione dictum Christi, Matth. 22. ubi inquit: Mandatum de dilectione proximi esse simile primo. Haec similitudo est obligationis, quia utraque obedientia est necessaria. Est et conformitatis: Sicut Deus necessario est verax, et vult se recte agnosci, sic est necessario castus, et non vult confusiones libidinum. Ut igitur sit conformitas cum Deo, fit similitudo non solum in primo praecepto, sed etiam in aliis. Haec eruditi pie expendant.

Sit igitur definitio cultus Dei haec. Cultus Dei est opus mandatum a Deo, factum in agnitione et fiducia Filii Dei, relatum ad hunc finem principaliter, ut Deo praestetur obedientia et honos, id est, testificatio, quod statuamus hunc solum vere Deum esse, quem sic colimus, et quod sic velit coli, ut castitas Ioseph tribuit honorem Deo, id est, ostendit, quod statuat hunc solum verum Deum esse, quem sic colit, et quod sic velit coli. De his cultibus loquitur Petrus: Offerte hostias spirituales placentes Deo propter Filium.

DE PRIMO PRAECEPTO.

Primum praeceptum initio loquitur de vera agnitione Dei, quam lucere in nobis in hac vita oportet fide accensa per verbum, quo se verus Deus patefecit. Quia enim verax est, vult vere agnosci, non vult ludibria opinionum de se fingi, sicut impii homines horribili furore semper fecerunt, faciunt et facient.

Deinde praecipit de unitate cum Deo, Quia enim ideo conditus est homo, ut sit adiunctus Deo tanquam capiti, et sese Deus in tota aeternitate homini communicet, non communicat se avulsis ab ipso, furentibus odio ipsius et iustitiae ipsius.

Consideres autem hic expresse positas esse affirmativas et negativas sententias, Primum ponitur affirmativa: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Hoc opus seu testimonium de Deo propter discrimen additum est, quia discernendus est verus Deus et patefactus suo verbo in Ecclesia ab omnibus commenticiis numinibus. Omnes Ethnici fatentur aliquid esse Deum, et intuentur opus, videlicet mundi opificium, quod est testimonium de Deo, sed tamen non satis est sic agnoscere Deum, quia haec notitia excutitur, cum videmus iustos affligi et malos florere, et magno impetu dubitationes irruunt, an Deus nos curet, an exaudiat, an sic velit coli, et quomodo velit coli.

Edidit igitur Deus et verbum et alia testimo-

nia, et se patefecit, et sic vult coli, sicut se verbo patefecit, et vult se verum Deum patefactum agnosci et discerni a commenticiis numinibus. Sic Adae principio fuit datum verbum in Paradiso, et propositum totum opificium mundi, ut esset testimonium de Deo, sed postea, cum lapsus fuit homo et moriturus esset, editum est aliud verbum, scilicet promissio gratiae propter venturum semen, et additum est illustre testimonium, scilicet vivificatio Adae et Evae, postea addita sunt alia signa. Accendebantur victimae coelestibus flammis, sic et nobis idem verbum Evangelii propositum est, et certum testimonium, scilicet Filius Dei crucifixus et resuscitatus, per hunc placatus est Pater, et propter eum exaudit et salvat, et vult sic agnosci Deus, quod hic sit verus Deus, qui se patefecit misso Filio, ut sit Mediator, qui dedit huic Filio Evangelium de remissione peccatorum et de vita aeterna, et quod sic velit coli, sicut per hunc Filium nos docuit. Quare in omni invocatione discernamus hunc verum Deum a commenticiis numinibus, et semper cogitemus nos alloqui hunc verum Deum, qui se patefecit misso Filio, et commonefactionis causa prodest saepe expresse recitare formam.

Omnipotens Deus aeterne Pater Domini IESU CHRISTI, creator coeli et terrae et hominum, una cum Filio tuo coaeterno et Spiritu tuo sancto, miserere mei, et iustifica me per et propter Iesum Christum Filium tuum, et sanctifica me Spiritu tuo sancto, collige, serva et rege Ecclesiam.

Haec forma comprehenditur in verbis Baptismatis et Symboli, et quod sic velit invocari Deus mentione Filii, ostendunt haec dicta: Qui non honorat Filium, non honorat Patrem. Item, Haec est vita aeterna, ut agnoscant te solum verum Deum, et quem misisti IESUM esse CHRISTUM.

Sciamus igitur initio in hoc mandato doceri, oportere lucere in nobis veram agnitionem Dei, sicut se patefecit misso Filio suo, per quem colligitur Ecclesia, propter quam collectionem omnia miracula facta sunt.

Deinde praecipitur huius veri Dei ardens et perfecta dilectio super omnia, et laetitia in eo, timor Dei super omnia et fiducia super omnia, iuxta dictum: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

Considerata autem Antithesi, fit illustrior doctrina, et magis conspicitur ingens miseria nostra, quae vero dolore deploranda est. In mentibus humanis sunt tenebrae et dubitationes horrendae.

Epicurei et Cyclopes cogitant nihil esse Deum. Academici dubitant, Stoici fatentur aliquid esse mentem ordinatricem, sed alligant eam ad causas secundas. Pharisaei fatentur esse Deum, sed negant se ab eo exaudiri, diligi et iuvari sicut Saul. Hanc dubitationem comitatur horribilis fremitus adversus Deum, ut Paulus inquit: Sensus carnis inimicitia est adversus Deum. Et Ieremias: Perversum est cor hominis et aerumnosum. Sic aversae sunt mentes et corda a Deo, cum deberent esse copulata cum Deo, templa Dei, vivificantis ea, ut sine peccato et sine morte viveremus.

Pugnant ergo in una parte cum primo praecepto ignoratio Dei, in altera parte odium veri Dei et cultus Idolorum. Homines in metu quaerunt aliquid tanquam Deum: Quia ratio scit aliquid esse Deum, id ipsum tamen amittunt et oderunt, cum deseri se vident, sicut Hecuba inquit: Invoco ignavos opitulatores seu Deos.

Donec autem metuunt, quaerunt aliquid, ut poëta inquit: Primus in orbe Deos fecit timor, quod verum est de Idolis. Alius fingit aliud numen, et vult Deum placare alio cultu. Bellatores collocant statuam Martis, puerperae Iunonis statuam. Denique ut cupiditas vagatur, ita finguntur cultus. Amatores Venerem, Mercatores Mercurium, Sapientes Palladem finxerunt. Alii fiduciam Deo debitam collocant in suas vires, ut Aiax. Alii pacta cum Diabolis faciunt, ut Magi. Omnes autem aberrantes a vero Deo nominantur cultores Idolorum, et eo peccant, quia fingunt id esse Deum, quod non est Deus. Aut tribuunt omnipotentiam Dei creaturae, et hac fiducia eam invocant, ut invocantur homines mortui, aut fiduciam collocant in aliquid, quod non est Deus, ut Magi in diabolo, Aiax in suam fortitudinem, aut cogitant Deum esse mendacem, ut Saul, Iudas, desperatione a Deo deficientes.

In hac longa Anthithesi consideretur, quanta sit moles peccatorum in hac natura hominis depravata, contra primum praeceptum, et e regione discamus, quid doceatur in hoc praecepto, et quomodo inchoëntur agnitio et dilectio Dei et quomodo perficiantur. Utrumque sciri necesse est quae peccata in hoc praecepto damnentur, et quomodo fiat inchoatio novae obedientiae.
Etsi enim in nemine praeter Filium Dei fulsit et fulget perfecta obedientia sine ullo peccato: tamen in omnibus, qui convertuntur, inchoari obedientiam necesse est, iuxta dictum: Per Fidem Lex stabilitur.

Sciendum est igitur, Legem ne quidem inchoari posse, nisi agnito Filio, et apprehensa promissione

gratiae, iuxta dictum: Nemo venit ad Patrem nisi per Filium, Quia Lex loquitur de Deo, sicut se patefecit. Sic autem se patefecit, quod velit agnosci, se esse patrem Domini nostri Iesu Christi, et quod propter Filium remittat peccata credentibus, et sanctificet eos Spiritu suo sancto, et reputet iustos propter Filium, quanquam non habentes in hac vita perfectam obedientiam.

Non agnoscens Filium non novit Patrem. Et 1. Iohan. 2. Qui negat Filium, nec Patrem habet, nec potest esse dilectio Dei in corde, nondum habente remissionem peccatorum: fugit enim Deum tristi dubitatione et fremitu, sed agnito Christo dirigitur mens ad verum Deum, et accepta remissione peccatorum fiducia Mediatoris, cor acquiescit, et accenditur laetitia, per Spiritum sanctum, qua homo incipit se Deo subiicere et eum diligere. Sic inchoatur obedientia, et quanquam valde languida et imperfecta est, placet tamen Deo propter Mediatorem, propter quem persona reputatur iusta.

Quanquam igitur puerile est numerare opera huius praecepti, cum mens et cor deberent ardere firmissima agnitione et amore Dei, tamen ut in Catechesi puerili recensemus praecipua opera, quae haec sunt.

Primum, Vera agnitio Dei, sicut se patefecit misso Filio: sicut ostenditur in scriptis Propheticis et Apostolicis, in Lege Morali et Evangelio et Symbolis. Et hanc agnitionem amplecti vera assensione, quae nominatur Fides. Item, Non indulgere dubitationibus, sed repugnare, et abhorrere a falsis opinionibus de Deo, a quibuscunque traduntur, sive a Philosophis, sive ab impiis Iudaeis, sive a Mahometicis etc. et damnare omnia Idola. Horum operum summa comprehensa est in his dictis: Dominum Deum tuum adorabis et ei soli servies, Item, Fugite Idola. Item, Non habebis Deos alienos. Item, Qui non honorat Filium, non honorat Patrem.

Post agnitionem sequuntur tres affectus in corde, qui magis sentiri possunt, quam alii affectus remotiores a sensu, Timor Dei, Fides, id est, fiducia, et laetari in Deo.

Timor est expavescere agnitione irae Dei adversus peccata, sed cum fide accedente ad Deum, ut sit timor filialis. Haec est enim distinctio perspicua inter timorem servilem et filialem.

Timor sine fide, qui est dolor sine consolatione, nominatur servilis, ut in Saule. Hic timor est fuga et fremitus adversus Deum, et pugnat cum hoc praecepto, quod praecipit fidem et dilectionem: Sed timor Servilis fugiens Deum, negat eius promissionem esse veram: negat ipsum esse misericordem.

Sed timor Filialis est reverentia aut dolor cum fide. De hoc timore dicitur: Initium sapientiae timor Domini. Item, Ad quem respiciam, nisi ad trementem sermones meos.

Tertium opus seu tertia virtus, est Fides, quae est fiducia misericordiae acquiescens in Deo propter Mediatorem, et accedens ad Deum, accipiens remissionem peccatorum et reconciliationem, invocans eum, et petens omnia necessaria bona in hac vita et salutem aeternam. Quae fiducia accenditur, cum agnoscimus verum Deum et Mediatorem Filium, assentientes Evangelio, per quod et Filius colligens Ecclesiam efficax est, et Spiritu sancto consolatur eos, qui in veris doloribus se Evangelio sustentant. In hac consolatione fidem et fiduciam comitatur laetitia acquiescens in Deo, ut Rom. 5. dicitur: Iustificati fide pacem habemus erga Deum.

Cum hac laetitia coniuncta est dilectio, qua homo fide accipiens remissionem et reconciliationem iam laetatur in Deo, et se ei subiicit, et habet bonum propositum obediendi ei iuxta omnia praecepta divina, cum laetitia acquiescente in Deo, praelucente vera fide. Ita describitur Dilectio Dei. 1. Iohan. 5. Haec est dilectio Dei mandata eius servare. Tantum autem in hac vita de dilectione intelligitur, quantum sentitur laetitiae acquiescentis in Deo. Ad has virtutes, fidem, laetitiam, dilectionem, accedunt et spes et patientia.

Est autem Spes certa expectatio vitae aeternae gratis dandae propter Mediatorem: et est expectatio auxilii in hac vita iuxta consilium Dei. Etsi autem vicinae virtutes sunt Fides et Spes, et divelli non possunt, tamen aliquod est discrimen.

Fides accipit in praesentia remissionem peccatorum, et reconciliationem seu iustificationem, statuit se iam placere Deo et exaudiri innixa promissioni, et iam accipiens Spiritum sanctum in praesenti consolatione, ut Laurentius sentiens laetitiam in supplicio, tunc sentit se corroborari a Spiritu sancto.

Sed Spes est expectatio futurae liberationis, cuius conspectu lenitur dolor, quia bonum est obiectum laetitiae, Doloris obiectum est res crucians, quatenus cruciat.

Cum autem affectus vicini sint fides et spes, vocabula: fiducia, fides, spes, expectatio, interdum promiscue usurpantur, ut Psalm. 2. Beati omnes, qui sperant in eum. Et Esaiae 58. Qui confidunt in me, haereditabunt terram. Ubi vocabulum accommodatius est spei. Esaiae 28. Omnis, qui credit in eum, non confundetur. Ibi vocabulum

proprie significat credere. In Psalmo de profundis: Sustinuit anima mea in verbo eius. Speravit anima mea in Dominum, utrumque vocabulum significat expectationem, et tamen comprehendi fidem et spem oportet, quia fides intuetur verbum.

Primi praecepti Virtus est etiam patientia, quae est in fide et dilectione Dei tolerare adversa, quae Deus vult nos sustinere, et velle hanc obedientiam propter Deum, ac intuentes voluntatem Dei, minus habere dolorum, nec fremere adversus Deum, sed a Deo expectare aut liberationem aut mitigationem, ut latro in cruce accepta remissione, iam in fide et dilectione Dei tolerat poenam, quam scit a Deo impositam esse, qui vult homicidas puniri. Ideo et hanc obedientiam vult Latro propter Deum, et intuens voluntatem minus habet dolorum, nec fremit adversus Deum, sed expectat finem poenae et vitam aeternam. Sentit etiam in corde mitigationem.

Omnibus autem Legibus additae sunt promissiones et comminationes, quia ordo sapientiae et iustitiae in Deo hic est, ut iustis bene sit, et iniustitia destruatur. Et sic conditae sunt rationales creaturae, ut essent conformes Deo in sempiterna iustitia et sempiterna laetitia. Postquam autem Diaboli et natura humana defecerant a Deo, secutae sunt poenae, sicut de genere humano concionatur Paulus: Per peccatum mors. Hunc ordinem Lex etiam in corporalibus poenis ostendit, et in atrocibus delictis ac manifestis, sive Magistratus facit officium, sive non facit, tamen etiam in hac vita Deus ipse corporalibus poenis atrocia delicta punit, iuxta haec dicta, ut de blasphemis et periuris: Non habebit Deus insontem, quisquis vane usurpabit nomen eius. Et de homicidis: Omnis, qui gladium acceperit, gladio peribit. De incestis: Omnis anima, quae fecerit has abominationes, eradicabitur de terra. De furtis: Vae qui spolias, quia spoliaberis etc.

Sunt igitur et primo praecepto additae promissiones et comminationes. Etsi autem poenae corporales in Lege sunt umbrae significantes iram Dei et destructionem aeternam, tamen cum Lex dicit, vagari eas per tertiam et quartam generationem, loquitur proprie de corporalibus poenis, quas Deus exequitur, ut propter Idolorum cultus per totum genus humanum omnibus temporibus horribiles poenae corporales vagantur.

Quod autem obiicitur dictum Deut. 24. Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, Praeceptum traditur politico iudici de externis delictis, sed Deus poenam in hoc praecepto maiorem sancit corporalem, quam ipse tamen exequitur, non iudex politicus, quia huius peccati magnitudinem ipse intelligit.

Postea Ezechiel capite 18. addit ex collatione Evangelii mitigationem, quia Evangelium est promissio gratiae, quae aufert poenam aeternam, et mitigat corporales poenas. In hanc sententiam ibi dicitur: Filius non portabit iniquitatem patris, scilicet in poena aeterna, si conversus fuerit. Opponit igitur Evangelium Legi, inquiens: Vivo ego, dicit Dominus, Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Et Ezech. 33. Quocunque die conversus fuerit impius ab impietate sua, etc. omnia peccata eius non imputabuntur ei, id est, poena aeterna auferetur, et mitigabuntur corporales, etiamsi non prorsus auferuntur.

DE SECUNDO PRAECEPTO.

Dulcis et utilis est consideratio ordinis in Decalogo. Primum praeceptum loquitur de mente et corde, quia Lex docet de totius hominis conformitate cum Deo, et orditur a summis potentiis, per quas fit copulatio cum Deo, videlicet lucente Deo ipso in hominibus per notitias, et transformante nostra corpora ad suos motus ad ordinatum amorem, ordinatam laetitiam, et ad alios affectus ordinatos.

Quia vero homo conditus est ad societatem, et sermo est nuntius mentis et cordis in societate, mox secundum praeceptum loquitur de sermone, et praecipit convenientiam sermonis cum corde, quod est conforme cum Deo.

Ut autem prius affirmativam sententiam tradidit: Ego sum Dominus Deus tuus, et addit negativam: Non habebis Deos alienos: Ita deinceps scias in negativis semper inclusas esse affirmativas, cum ait: Non usurpabis nomen Dei vane, prohibentur omnes abusus nominis divini.

Sciendum est igitur, qui sint veri usus. Hi comprehenduntur his gradibus, Vera invocatio Dei, Gratiarum actio, doctrina et confessio.

Quae sit vera invocatio, discitur in communi doctrina de precatione, videlicet, in qua verum Deum alloquimur, et cogitamus praecepta de invocatione et de promissione, et fide petimus bona, quae promisit etc.

Pertinet ad invocationem et iuramentum, quia re ipsa iuramentum est invocatio Dei, in qua affir-

mamus, Deum veracem esse, et punire mendacia, et petimus, ut nobis sit testis, nos vere ea sentire, quae dicimus, et ita sit testis, ut puniat fallentes, quod et facit Deus iuxta pactum in hoc praecepto sancitum: Non habebit Deus insontem, qui vane usurpat nomen eius. Ita duas res magnas facit iurans, tribuit Deo honorem veritatis, et Deum orat, ut sit testis veritatis puniens fallentem iuxta pactum, et benefaciens non fallenti. Ac servat Deus pactum, horribiliter punit fallentes, benefacit non fallentibus, etc.

Est autem universaliter tenenda regula de omnibus virtutibus, Deus vult notas esse virtutes, veritatem, castitatem et alias, ut doceat nos, qualis sit ipse, et discernamus eum a malis naturis, quia vult nos verum Deum agnoscere, alloqui et discernere a malis naturis et a commenticiis numinibus.

Non enim brachiis Deum amplectimur, sed mente cogitandum est, nos hunc verum Deum alloqui, qui se patefecit in Lege et promissionibus, qui et ille ipse est, qui misit Filium mediatorem. Haec quotidie in invocatione cogitanda sunt.

Sciendum et hoc est, universaliter et caeteris praeceptis includi primum praeceptum, quia obedientia praestatur illi vero Deo, et ad hunc finem referenda est, ut Deo hic honos, quem ipse nos docet, praestetur. Quod autem et supra de primo praecepto monuimus, ita inchoari et placere obedientiam, cum prius fide accipitur remissio peccatorum, et iustificatio, id est, reconciliatio et acceptatio propter Filium gratis. Idem de singulis praeceptis cogitandum est, iuxta illud: Christus est finis Legis.

Secundus usus nominis divini, quem postulat Deus, est gratiarum actio. Hic sciatur, quid proprie sit gratitudo, de qua usitatam hanc definitionem tradimus.

GRATITUDO est virtus composita ex duabus virtutibus, Veritate et Iustitia. Veritas profitetur, unde sint accepta beneficia, et Iustitia vicissim obligat ad mutua beneficia. De Veritate dicitur in Psalmo: Sacrifica Deo sacrificium laudis. Item, Invoca me in die tribulationis, et eripiam te et glorificabis me. Item, Confitemini Domino, quoniam bonus etc. De obligatione vero ac mutuo officio dicitur Oseae 2. Ego frumentum eis dedi, et aurum, ex quo fecerunt Baal. Et Dominus significat universam obedientiam esse debitum, ad quod Deo obligati sumus, ut grati simus, Quod debuimus, fecimus.

Tertius usus divini nominis est, recte docere doctrinam, quam Deus tradidit.

Quartus, confiteri voce et aliis signis in tota vita, iuxta dictum: Luceat lux vestra coram hominibus, ut glorificent patrem vestrum coelestem. De his quatuor usibus colligantur praecepta affirmativa, passim in Propheticis et Apostolicis scriptis tradita: ut de Invocatione: Oportet semper orare et non languefieri. Et Syracid. 7. μὴ ὀλιγοψυχήσῃς ἐν προσευχῇ σου, E regione considerentur antitheses, quia mundus plenus est abusuum nominis divini. Manifestum est enim multos esse sermones Epicureos et blasphemos, innumerabiles falsas invocationes et falsas doctrinas. Nomen Dei, item nomen Ecclesiae, item nomen libertatis Christianae quantis sceleribus praetexuntur.

Pugnant cum secundo praecepto universaliter omnia scandala, quia propter mala exempla multi alienantur a doctrina, et multi imitatores fiunt deteriores et Epicurei.

Pertinet ad secundum praeceptum et regula de fama, Syracid. 41. Curato nomen, quia Deus vult intelligi discrimen virtutum et vitiorum, et propterea approbari recta, et vituperari turpia. Vetat etiam Deus proponi mala exempla propter pericula imitationis, de qua dicitur apud Iuvenalem: Quoniam dociles imitandis turpibus et pravis omnes sumus, Et nota sit vox AUGUSTINI: Bona conscientia mihi opus est propter Deum, bona fama propter proximum.

DE TERTIO PRAECEPTO.

Ut in primo dicitur de mentis et voluntatis conformitate cum Deo, in secundo de sermonis conformitate: Ita nunc in tertio, cum Ecclesia colligatur voce doctrinae, praecipitur singulariter de conservatione ministerii docendi Ecclesiam, ad quam opus est congregatione et signis, quae sunt nervi congregationis.

Etsi autem in Moise verba nominatim praecipiunt de septimo die, tamen sciamus certo Mosaicas Ceremonias, quae sunt iuris positivi, abolitas esse. Et Paulus expresse inquit: Nemo vos arguat in vicibus Festorum aut Sabbatorum. Sed post politiam Mosaicam liberum est eligere diem nostro arbitrio ad publicum congressum, in quo populus doceatur, et administrentur Sacramenta et ritus divinitus traditi, ut sint vincula publicae congregationis, sicut de coena Domini dicitur: 1. Cor. 11. Quoties comedetis panem hunc, et poculum hoc bibitis, mortem Domini annuntiate, donec veniat.

Sic igitur veteres scripserunt. Tertium praeceptum quo ad genus est naturale, et pertinet ad omnia tempora, scilicet quo ad conservationem ministerii. Sed quo ad speciem, est Ceremoniale, et non obligat nos, scilicet quo ad ritum septimi diei, et ad modum otii seu cessationis eo die. Sed tamen decet eo die non facere operas, quae impediunt ministerium Evangelii, aut alios abducunt a ministerio. Hae nominantur operae serviles. Ex hoc fonte sumatur responsio ad vulgare argumentum.

Ceremoniae Mosaicae sunt abolitae.
Praeceptum de Sabbato est Ceremoniale,
Ergo est abolitum.

Respondeo ad minorem. Praeceptum de Sabbato est Ceremoniale quo ad speciem, id est, quo ad certi diei observationem et cessationis modum. Haec species est abolita. Sed est naturale seu morale, quo ad genus attinet, id est, ad praecipuam sententiam praecepti, scilicet ut conservetur ministerium. Consentaneum est autem Apostolos hanc ipsam ob causam mutasse diem, ut ostenderent exemplum abrogationis legum Ceremonialium politiae Mosaicae in die septimo.

Simul autem sciamus Deum velle publicos et honestos congressus esse, et velle doctrinam Evangelii non esse arcana Eleusynia, sed vocem publicam, ut Filius in toto genere humano agnoscatur, sicut praeceptum est: Hunc audite. Qui quidem et ipse immensa bonitate conservator est ministerii, sicut scriptum est: Sedet ad dexteram aeterni Patris dans dona hominibus, Prophetas, Apostolos, Evangelistas, Pastores et Doctores. Item, Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad seculi consummationem. Et quidem per eum et propter eum Ecclesia usque ad extremum iudicium colligitur, Idque regnum Christi nominat Paulus, cum inquit, Postea traditurum esse regnum Deo et Patri. Ac valde necessarium est hanc assiduam praesentiam et efficaciam Filii Dei in Ecclesia cogitare, de qua Paulus inquit: Ipse est caput omnia in omnibus perficiens. Et Dominus inquit: Ego sum vitis, vos palmites. Item, Sine me nihil potestis facere, Manete in me et ego in vobis.

Haec de praesentia et de efficacia Filii Dei in ministerio, et de dignitate ministerii complectitur doctrina tertii praecepti, iuxta hanc sententiam: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Quo dicto expresse affirmatur, Deum efficacem esse, per externi verbi, lecti seu auditi, cogitationem. Est ergo opus tertii praecepti, conservatio ministerii Evangelii, quae pertinet non solum ad docentes, sed etiam ad populum audientem, et ad coetum, qui praeparatur ad docendum. Docentes recta doceant, et Sacramenta recte administrent. Auditores sint memores huius dicti: Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.

Nec constituitur hoc dicto potestas extra Evangelium, sed mandatum traditur de audiendo Evangelio, et necessaria consolatio additur, vult nos scire Filius Dei, revera efficacem esse Deum voce ministri, sicut voce Filii, et non quaerendas esse alias revelationes extra scriptum verbum, sicut Stenckfeldius et Anabaptistae abiiciunt scriptum verbum.

Etsi autem omnes corruptelae doctrinae simul sunt peccata contra primum, secundum, et tertium praeceptum, tamen quatenus labefactatur ministerium, proprie pugnant cum tertio praecepto, et quidem Stenckfeldiani furores et Anabaptistici, qui negant Deum efficacem esse per vocem doctrinae, directe delent totum ministerium. Sunt igitur peccata contra tertium praeceptum, et Donatistarum furores, qui contendunt Deum non esse efficacem, si doctores aut administrantes Sacramenta non sint sancti: Cum tamen fides verbo Dei, non sanctitate ministri niti debeat, iuxta hoc ipsum dictum: Qui vos audit, me audit, id est, non ministri personam, sed meam respiciat.

Sunt et alia multa peccata contra tertium praeceptum, prorsus abolere ministerium Evangelii, ut multi Tyranni faciunt. Item, Corrumpere doctrinam aut Ceremonias. Item, Non convenire ad publicos congressus in Ecclesiis recte constitutis, et malo exemplo alios abducere. Item, Non tribuere debitam reverentiam Evangelii ministris. Item eripere eis victum. De poena horum manifestissimorum delictorum expresse dicitur, Aggaei 1. Quia domum meam negligitis, coeli non dant rorem, et terra fit sterilis, et Ieremiae 17. Si non sanctificabitis diem Sabbati, succendam ignem in portis Ierusalem et devorabit domos et non extinguetur, et simus memores dicti Ignatii, *τὰς ἑορτὰς μὴ ἀτιμάζετε.*

DE SECUNDA TABULA.

Mirum videtur dictum Christi de secunda Tabula, cum inquit: Secundum mandatum simile est primo. Sed causae gravissimae sunt, videlicet, ut intelligatur similitudo obligationis eatenus, quod hu-

mana autoritate nullum mandatum secundae Tabulae aboleri possit.

Est et Antithesis opposita errori Hypocritarum omnium temporum, qui praeferunt Ceremonias laboribus Oeconomicis et Politicis a Deo mandatis, ut Monachi suos ritus nominant perfectionem, et longe anteferunt vitae Oeconomicae et Politicae: Tunc etiam sacrificia valde quaestuosa erant, sicut Missa apud Sacrificulos. Ideo amplificabatur dignitas sacrificiorum, quae stulte cumulabantur sine mandato divino.

Tales superstitiones taxantur dicto Christi, quod dilectionem antefert, sicut Prophetae saepe docent, Oseae 6. Misericordiam volo, non sacrificium, et scientiam Dei plusquam holocausta, id est, praecipio veram agnitionem et invocationem Dei, de qua prima tabula Decalogi concionatur, et praecipio beneficentiam erga homines, de qua secunda tabula loquitur, Et Ecclesiast. 4. Custodi pedem tuum, cum accedis ad domum Dei, et appropinqua, ut audias potius quam ut offeras victimas stultorum, qui nesciunt, quantum faciant mali.

Ad haec testimonia adiungantur alia similia in concionibus Prophetarum. Illustratur dictum Christi et hac differentia: Ceremoniae etiam divinitus traditae in casu necessitatis omitti possunt, ut David comedit panes propositionis, sed moralia non habent talem exceptionem, et semper de his tenenda est regula: Non sunt facienda mala, ut eveniant bona, quia Deus immutabiliter postulat in mente et corde hominis conformitatem cum ipso.

Discendum et hoc est ex illo dicto Christi, quod officia Oeconomica et Politica vere sint cultus Dei, in his qui fide reconciliati sunt, et referunt haec opera ad debitum finem, id est, ut testentur eo opere hunc esse Deum, quem colunt, et Deum velle sic coli, et hac obedientia Deo praestent debitum honorem: sicut cultus Dei est castitas Ioseph. Item, Militia Davidis. Item, Omnia officia patrisfamilias et matrisfamilias.

Honora Patrem et Matrem.

Lex Moralis est sapientia et norma iustitiae in Deo, patefacta creaturae rationali etc. Est autem primus gradus sapientiae vera Dei agnitio, et ut vivificet Deus creaturam rationalem, vult in ea lucere, et sic illa fit unum cum eo, et vicissim eum diligit, ita fit ei conformis. Deinde sapientia est in homine intelligere ordinem, quem et inter homines sanxit Deus, et iustitia est conformitas cum voluntate divina, quae vult hunc ordinem servari. Sicut Deus condidit homines, non ut perirent, sed ut essent, sic vult parentes gignere et genita servare, et vicissim diligi parentes a genitis. Vult et deinde caeteros esse, non deleri, unde sunt praecepta: Honora patrem et matrem. Non occides etc. Deinde vult intelligi Deum esse castum et veracem, et nos debere ei conformes esse in castitate et veracitate: hinc sunt praecepta: Non moechaberis, Non dices falsum testimonium. Praeceptum, Non furtum facies, habet similem causam, ut praeceptum, Non occidas, quia inferiores spoliati fame perirent. Utraque igitur tabula ostendit, qualis debeat esse in homine conformitas ad sapientiam et iustitiam in Deo erga ipsum et erga homines propter ipsum.

Est autem secundae Tabulae primum praeceptum: Honora patrem et matrem, quia ordinem personarum primum constitui oportet. Estque primus gradus imperii autoritas parentum. Includantur ergo in hoc praeceptum alia passim tradita, de obedientia debita legitimis Magistratibus, quibus Deus tradidit locum parentum, et summa comprehensa est Rom. 13., Unde longior declaratio sumatur.

Vocabulum honoris tres gradus complectitur: Reverentiam in mente propter Deum, Deinde externam obedientiam, Tertio ἐπιείκειαν in quibusdam erratis parentum et Magistratuum tolerandis.

Primus gradus honoris est intelligere ordinem divinum, et propter Deum venerari hunc ipsum ordinem, et velle subiici Parentibus et Magistratibus, videlicet ordine divino: Nam cuicunque tribuendus est honos, propter aliquid divinum tribuendus est.

Est autem ipse ordo opus sapientiae Dei et testimonium de Deo, et de providentia, ut res ipsae, generatio, et sobolis conservatio. Deinde custodia societatis, Legum, iudiciorum, pacis, non fiunt sine auxilio Dei. Itaque praesentiam Dei in coniugio et in imperiis aspicere debemus, et has res, propter DEUM venerari et diligere.

Haec reverentia in mente primus gradus honoris est. Deinde accedat externa obedientia, de qua teneatur regula: Necesse est obedire non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Haec sententia testatur peccatum mortale esse, contumaciter violare edicta politica civilium Magistratuum.

Tertius gradus est ἐπιείκεια in tolerandis qui-

busdam oneribus gravioribus, quae vel a parentum infirmitate oriuntur, vel comitantur aerumnas imperiorum, ut 1. Petri 2. dicitur: Subditi estote omni humanae creaturae propter Deum, Subditi estote Dominis, non solum bonis et aequis, sed etiam asperis.

Necesse autem est res et personas discernere, ut coniugium est res ordinata divinitus, bona, et digna reverentia, etiamsi multi eo abutuntur. Ita politicus ordo est res ordinata divinitus, et quidem illustre testimonium est sapientiae, iustitiae et praesentiae Dei inter homines. Significat enim ordo has res bonas, leges honestas, iudicia, iustas poenas, distinctionem dominiorum, contractuum, conservationem communis societatis. Huius ordinis quantum reliquum est, id vere a Deo conservatur, etiam cum partes aliquae lacerantur, ut etiamsi lupi aliquas oves rapiunt, tamen diligentia Pastoris magna pars gregis servatur: Ergo etiamsi aliqui iniustē dominationem ad se transferunt, ut Pisistratus, iniuste se facit Dominum Athenarum, aut cum turpissima bellua NERO praeest in imperio, quanquam personae peccant, tamen ipsi ordini politico debetur reverentia, ut Paulus execratur Neronem, sed veneratur ordinem divinitus institutum.

Deinde de personis quaerendum est, quae tolerandae sint, et quomodo eis debeatur obedientia, et quae non sint tolerandae, et quo ordine sint removendae. Hic definitiones tenendae sunt.

Bonus Magistratus est qui habet προαίρεσιν iusta faciendi, et plerumque iusta facit, etiamsi aliquando labitur, aut in aliqua parte est negligentior aut asperior, quam esse debebat.

Haec definitio necessario tenenda est de personis, in qualibet honesta functione, de milite, de scholastico etc. et sumta est ex his dictis, Paulus inquit: Hoc requiritur, ut fideles inveniamur. Medicus sciat artem et habeat bonam voluntatem, quae comprehendit etiam sedulitatem.

Altera pars sumitur ex Salomone, Non est iustus in terra, qui benefaciens non etiam peccet, ut David, Cyrus, Augustus, etiamsi et voluntatem recte faciendi habent, et multa recte faciunt, tamen multa negligunt. De talibus loquitur Petrus: Subditi estote dominis, non solum bonis et aequis, sed etiam asperis.

Hic postulatur obedientia, et erga publicum ordinem, et erga personam talis Magistratus, cui congruit definitio iam recitata. Nam aut praecipit ea, quae congruunt ad ordinem politicum: tunc Deo necesse est praestari obedientiam, illa ipsa praecipienti, quae sunt sancita Legibus, aut quaedam agit negligentius, aut in parte aliqua asperius agit, tamen retinenda est persona et praestanda obedientia propter divinum mandatum.

Contra vero Malus Magistratus seu Tyrannus est, qui habet προαίρεσιν scelerate faciendi, et in praecipuis rebus scelerate facit, etiamsi interdum aliquid iuste facit, ut NERO. Tales removendi sunt a gubernatione per Magistratus ordinarios, ut Neronem Senatus et praestantissimi Duces iudicarunt hostem. Constantinus Ecclesias defendit contra Collegas et affinem. Ius etiam habent singuli immediate laesi, si sint affecti atroci et notoria iniuria, interficiendi Magistratus, ut et textus in Iure dicit: Consulem licere interfici deprehensum in adulterio. Et Hipparchum Athenis interfecit Harmodius propter sororem et alias contumelias. Sed disputationem de personis relinquo prudentibus considerandam.

In quarto praecepto proprie de parentibus et Magistratibus loquimur. In tertio de Sabbato, dicimus de ministris Evangelii, et de obedientia, quae eis debetur, et quia Pontificii faciunt κακοζηλίαν, cum imitatione potestatis politicae constituunt regna in Ecclesia, necesse est de discrimine admoneri homines. Violatio Legum politicarum in Imperiis est peccatum mortale, iuxta dictum: Necesse est obedire non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: ut contumaciter gestans arma contra prohibitionem legitimi Magistratus, aut nolens obedire latae sententiae in legitimo iudicio, iuxta honestas leges, haud dubie facit peccatum mortale.

Sed in Ecclesia sciendum est de traditionibus humanis, quae ab Episcopis aut Pastoribus conduntur, non esse peccatum earum traditionum violationem extra casum scandali, quia expresse scriptum est: Nemo vos arguat in cibo, potu, vicibus festorum etc.

Sed magna contentione opponitur hoc argumentum:

Non debetur minor reverentia Ecclesiasticae potestati quam politicae.
Legum politicarum violatio est peccatum mortale,
Ergo et traditionum in Ecclesia.

Respondeo: Concedo maiorem de reverentia,

sicut eam Deus ordinavit. Ordinavit autem, ut debeatur obedientia ministris Evangelii in omnibus, quae sunt iuris divini, iuxta dicta: Qui vos audit, me audit, Qui vos spernit, me spernit. Haec dicta tantum ad doctrinam et mandata iuris divini pertinent, et non constituunt Episcopis aut Pastoribus regnum extra ministerium.

De ipsorum autem traditionibus Evangelium hoc sancit, Ordinationes humana autoritate factas intelligendas esse sine opinione cultus et sine opinione necessitatis, ut sunt observatio festorum, lectionum etc. Sed cum opponitur exemplum Legum politicarum, constanter respondendum est, dissimile esse, et causa haec est, quia Deus armavit potestatem politicam autoritate condendi proprias leges, quae non pugnant cum iure divino, et vult illo vinculo munitam esse pacem, videlicet obedientia debita honestis legibus et sententiis Magistratuum.

Sed ministros Evangelii nequaquam vult instituere novos cultus, et si quid boni ordinis causa instituitur, ut series festorum, vult ea intelligi sine opinione cultus et necessitatis. Hanc libertatem in Evangelio sancitam nulla humana autoritas mutare potest. Haec scire necesse est.

DE QUINTO PRAECEPTO.

Non occides.

Tota haec pars Decalogi constituens politiam in externa gubernatione manifestam habet necessitatem. Et hic ipse politicus ordo manifestum testimonium est, quod sit Deus, et quod sit iudex et vindex, quia Deus manifeste est exequutor harum legum, etiamsi Magistratus non faciunt officium, aut non possunt facere iuxta dictum: Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit. Ideo et Ethnici dixerunt hunc ordinem iustitiae divinum esse, ut in versibus Empedoclis dicitur:

ἀλλὰ τὸ μὲν πρῶτον νόμιμον διά τ' εὐρυμεδόντος
αἴθερος ἠνεκέως τέταται καὶ ἀπλέτου αὐγῆς.

Comprehendantur autem in hac Decalogi parte etiam dicta de Magistratuum officio, quos Deus vult executores esse poenarum. Qui cum non faciunt officium, Deus tamen poenas exequitur, et servat regulam: Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit. Item: Omnis anima, quae fecerit has abominationes, eradicabitur.

Cogitentur etiam in his praeceptis non utilitates tantum, sicut Iurisconsulti cogitans, pacis causa prohiberi caedem et adulteria, sed intueamur causas priores: Deus vult conformitatem cum suo ordine. Ipse autem diligit Filium Christum, prohibet iniustas caedes in toto genere humano. Est castus, ideo vult et nos castos esse, et destruit contraria. Item, sciamus etiam interpretationem a Christo traditam Matth. 5. videlicet non tantum externa opera contraria Legi, iniustas caedes et libidinum confusiones prohiberi, sed etiam interiores flammas pugnantes cum Lege Dei.

Sciamus etiam, quomodo respondendum sit Iuliano et aliis, qui disputaverunt Evangelii doctrinam absurdam et perniciosam esse vitae humanae, quia prohibeat vindictam. Respondendum est enim prohiberi vindictam privatam seu non ordinatam a Deo, severissime vero praecipi et muniri ordinatam a Deo, videlicet officium Magistratuum.

Haec ipsa distinctio utilissima est imperiis, et ostendit praesentiam Dei in dilectione societatis humanae. Haec tota doctrina perspicue in Ecclesiis nostris explicata est Dei beneficio, et refutanda sunt deliramenta Monachorum et Anabaptistarum, ad quorum argumenta erudite respondendum est.

Deus dicit: Mihi vindictam et ego retribuam.
Ergo nec Magistratus exerceat vindictam.

Respondeo: Nego consequentiam, quia in antecedente comprehenditur officium Magistratus, ego retribuam vel per me immediate, ut cum Deus delet Pharaonem, Sodomam, vel mediate, ut Deus punit Catilinam per Consules.

DE SEXTO PRAECEPTO.

Non moechaberis.

Legem et virtutes vult Deus intelligi, ut et sciamus, qualis ipse sit, et in Invocatione discernamus eum a malis naturis. Facit autem illustre discrimen, Castitas, quam quantum velit Deus, dupliciter intelligi potest, et quia ipse horribiliter punit confusiones libidinum, et quia Diaboli tam furenter impellunt homines, ut varie contaminentur, quod faciunt, non quia voluptas similis sit in ipsis, ut in carnali natura, sed odio Dei, ut magis offen-

datur Deus, et plures homines perdant. Quare magnifaciamus castitatem, et in Invocatione Deum discernamus ab omnibus immundis naturis cogitatione castitatis. Ego expresse dico: Omnipotens, aeterne, vive Deus, sapiens, caste, verax, liberrime etc.

Sciamus autem in praecepto, Non moechaberis, comprehendendas esse omnes prohibitiones de incestis commixtionibus recitatas Levit. 18. capite, ubi et universalis comminatio poenae corporalis expressa est; Omnis anima quae fecerit has abominationes, eradicabitur.

De poenis aeternis expresse dicitur, 1. Cor. 6. Nec scortatores, nec moechi regnum Dei possidebunt.

Cognita Lege, et poenarum comminatione, definitio castitatis constituatur. Castitas est virtus, vitans omnes commixtiones et effusiones seminis a Deo prohibitas.

Deinde consideretur, quomodo velit Deus coniungi marem et foeminam.

Prima regula in Paradiso tradita est: Erunt duo in carnem unam, id est, inseparabiliter iuncti. Haec sententia et institutionem coniugii et prohibitionem vagarum libidinum continet, et prorsus idem dicit, quod praeceptum: Non moechaberis. Cogitemus autem causam, quare expressa voce in Paradiso prohibitae sint vagae libidines, cum non sit expresse dictum: Non occides, quia luce naturae magis intelligebatur hoc praeceptum, Non occides, quam alterum, Non moechaberis. Ut autem alibi dicitur, In negativis praeceptis comprehendi affirmationes, Ita hic dicimus: cum adulterium prohibetur, simul legitimum coniugium approbari sciamus, et complectamur universam doctrinam de coniugio, castitate, et poenis vagarum libidinum, et sciamus etiam, cum in conversione remittuntur poenae aeternae, tamen poenas corporales in hac vita sequi contaminatos, ut in Davide, Mitigatio tamen fit his, qui convertuntur ad Deum, iuxta dictum: Non accendit Deus totam iram suam. Item, In ira tua Domine misericordiae recordaberis.

DE SEPTIMO PRAECEPTO.

Non furtum facies.

Deus vult intelligi Iustitiam aequalitatem esse, ut sciamus ipsum aequalem esse, et non *προςωπολήπτην*. Lex, Non occides, sancit aequalitatem, ne tu alterius corpus violes, nec alius tuum, sed aequaliter serventur omnia membra generis humani. Ita Lex, Non furtum facies, sancit aequalitatem, ne alteri quicquam eripias vi aut fraude, nec alius tibi quicquam eripiat, sed aequaliter suum quisque teneat. Rursus igitur considerandum est in negativis praeceptis comprehendi affirmativa. Cum prohibetur furtum, perspicue confirmatur dominiorum distinctio. Ideo hoc praeceptum fanaticis hominibus opponendum est, qui clamant in Evangelio praecipi Platonicam communicationem facultatum, sicut nunc Anabaptistae docent, et saepe magni tumultus ex hoc delirio orti sunt.

Confirmat autem Deus distinctionem Dominiorum non solum Lege, sed etiam poenarum executione, quia etiam, cum cessat Magistratus, tamen Deus regulam servat: Vae qui spolias etc. Item, Male parta, male dilabuntur. Et notum sit illud Pindaricum:

ἐντὶ μὲν θνατῶν φρένες ὠκύτεραι
κέρδος αἰνῆσαι πρὸ δίκας δόλιον,
τραχεῖαν ἑρπόντων πρὸς ἐπίβδαν ὅμως.

Haec doctrina grata sit omnibus, ut habentes proprium, laeti sciant Deo placere hunc ordinem, et a Deo defendi et ei gratias agant, et omnes ab alieno libentius abstineant, sintque in conspectu plura testimonia ex hoc praecepto Decalogi nata. Prov. 5. Fontes tui deriventur foras, et tu dominus eorum maneto. Citatur Augustini dictum: Tolle iura Imperatorum, et nemo audet dicere, haec villa mea est, Unusquisque, quod possidet, iure humano possidet.

Haec dicta etsi in speciem excusantur, tamen si fontes considerentur, impropria et periculosa sunt, et quidem a multis non recte intelliguntur. Unusquisque, quod iuste possidet, tenet iure divino iuxta hanc Legem: Non furtum facies. Et cum dicunt: Aliud est induci in possessionem, seu initio distingui dominia, ut cum deducuntur coloniae, victor attribuit agros, Aliud est loqui de retinendis iis, quae attributa sunt. Ad id quoque respondeo. Nec prima origo distinctionis dominiorum est ab autoritate humana, sed a Deo, haereditas tibi relicta a parentibus est tua iure divino et humano, emtione, mutatione, donatione, transferuntur dominia iure divino et naturali.

Tales translationes non oriuntur ab imperiis. Magistratus sit custos illius ordinis: Sic nec attribuit tibi haereditatem, sed sit custos et executor Legum.

Sed omissa subtiliore disputatione teneamus vocem Decalogi: Non furtum facies, Quaecunque est origo distinctionis dominiorum, postquam Deus furta prohibet, sciamus iure divino contractus, et proprietates confirmari, et muniri, et hoc iure teneri reges, principes et privatos.

Nec licet principibus sumere ex alienis facultatibus quantum volunt, sicut et historia de vinea Naboth ostendit. Sed dictum 1. Reg. 8. Hoc est ius regis, auferet agrum etc. loquitur de legitimis stipendiis, quae ad regni constitutionem et ad communem defensionem, conferuntur, iuxta dictum: Estote contenti stipendiis vestris.

Prudenter etiam intelligendum est dictum: Omnia sunt regis, quod aulici assentatores nimium amplificant. Sicut in historia HENRICI LUCELBURGENSIS narratur, mota quaestione in itinere de quadam arce, disputatum simul esse, An vera sit propositio: Omnia sunt Imperatoris. Cumque alter Iurisperitus defenderet eam propositionem veram esse, alter contrarium tueretur, fecerunt iudicem Imperatorem Henricum, ita ut victus daret equum victori. Imperator, ut solet fieri, magis favet illi, qui amplificat potentiam Imperatoris, pronuntiat veram esse propositionem, Omnia esse imperatoris, victus dedit equum victori. Inde faceti homines reprehendentes assentationem, hunc iocum sparserunt: Alter respondit aequum, alter habet equum.

Haec inserui commonefactionis causa, ut consideretur humana levitas, quae de hoc praecepto ludens, laudem ingenii esse ducit, graviter defraudare homines, ut sunt infinita artificia stellionum et impostorum in contractibus, et iniustarum expilationum in aulis, unde vetus Proverbium est, *τάμιαι λάμιαι*.

DE OCTAVO PRAECEPTO.

Non dices falsum testimonium.

Ut supra dixi, Notitias virtutum traditas esse divinitus, ut sint testimonia, quod sit Deus, et ostendant, qualis sit, et quod sit vindex: Ita in hoc mandato considerandum est, Deum severissime postulare veritatem, ut ipsum veracem esse sciamus, sicut Iohannis 8. inquit Dominus: Qui misit me, est verax. Rom. 3. Sit autem Deus verax. Quod eo firmius statuendum est, ut sciamus Deum nec velle peccata, nec causam esse peccati, quia saepissime affirmat, se irasci peccato. Zach. 8. Iuramentum mendax ne diligatis, omnia haec odi, dicit Dominus. Cum autem sit verax, non sunt in eo contradictoriae voluntates.

Est autem VERITAS virtus servans convenientiam cogitationis, sermonis et gestuum cum re cogitata, et convenientiam sermonis et operum in pactis seu contractibus. Ac sciamus de veritate praecipi, cum dicitur: Sit sermo vester est, est, non, non: et prohiberi mendacia in plurimis locis Proverb. 12. Abominatio Domini labia dolosa, et Proverb. 19. Testis mendax non erit impunitus, et qui loquitur mendacium, peribit. Hae prohibitiones et comminationes flectant nos ad veritatis amorem, et ad fugienda mendacia, praestigias Sophismatum et imposturas in tota vita, in iudiciis, in pactis, in contractibus, in doctrinis et in artibus.

Corruptelae quidem doctrinae de Deo proprie pugnant cum secundo praecepto: Non usurpabis nomen Dei tui vane, sed corruptelae in artibus collocentur inter mendacia pugnantia cum hoc praecepto: Non dicas falsum testimonium etc.

Discernantur autem a mendaciis figurae, quibus aliquando sancti et sapientes cum magna laude utuntur. Rachel arte occultat Idola. Raab negat se habere hospites Israëlitas. Coniunx Davidis fingit maritum aegrotale, et collocat statuam in recto. Et 2. Regum 17. teguntur in cisterna Achimas et Ionathas. Tales figurae non sunt mendacia proprie loquendo, sed velut stratagemata, et ut ab Herodoto dicitur, *σχήματα λόγου* seu Ironiae, seu *παρὰ τοῦτο*, id est, non causa ut causa: ut Rachel non surgit simulans morbum.

Est autem proprie loquendo mendacium cogitatio contraria rei seu dictum contrarium rei, quam dici necesse est, seu gestus contrarius rei, cum ex futilitate aut studio nocendi oritur. Haec definitio comprehendit omnia mendacia, quae proprie sic nominantur et sunt peccata, ut cum miles gloriatur se eodem die praeliatum esse in Cilicia et Macedonia. Item alia palam falsa et perniciosa aliis, ut cum Palamedes calumniose accusatur.

Sed figurae, de quibus dictum est, sunt occultationes earum rerum, quas non necesse est dici interroganti, sicut Michol non debuit maritum prodere. Vetustas sic distinxit: mendacia alia sunt perniciosa, alia iocosa, alia officiosa. Etsi autem modos loquendi veterum scire non est inutile: tamen concinnius est nomen Mendacii non transferre ad stratagemata, aut figuras, aut iocos, videlicet ut ad Apologos aut poëmata, ut cum lupus accusat

ovem aut cum pictor pingit Sphingem, volens significare Sophisticam. Vetustas iocosa mendacia nominat Apologos et Poëmata. Officiosa sunt, ut stratagemata, aut figurae Raab, Michol et similes. Haec non sunt peccata, sed sunt consilia singularis sapientiae, quae congruit cum sapientia Dei. Sunt enim commonefactiones de rebus veris et bonis quasi pictura ostensa: et referuntur ad hunc finem, ut prosint aliis, ut quid sunt aliud Ceremoniae Mosaicae nisi tales figurae, aliud significantes, quam quod oculis cernitur. Vult enim Deus homines docere, aut proprio sermone, aut figurato, aut picturis.

DE NONO ET DECIMO PRAECEPTO.

NONUM ET DECIMUM praeceptum ostendunt discrimen Legum Politicarum et Legis divinae. Leges Politicae tantum praecipiunt de externis actionibus, non loquuntur de motibus aut cordis pravitate, ut non rapias res alienas, quia reliqua est in natura libertas frenandi externa membra, seu regendi locomotivam. At Leges divinae praecipiunt de integra obedientia, de interiore et exteriore, seu de integra conformitate omnium virium hominis, mentis et voluntatis et cordis cum Deo, ut accusent et damnent non tantum externa delicta, sed etiam tenebras mentis, et pravitatem cordis. Ideo haec duo praecepta postrema addunt hanc declarationem superioribus. Non concupisces uxorem alterius. Non concupisces res alienas. Et repetitur haec declaratio Matth. 5.

Pharisaei et Monachi dixerunt tantum damnari vitiosos affectus, cum accedit consensus, non *προπάθειας*, hoc enim nomine aliqui usi sunt. Hunc errorem taxat Paulus ad Romanos septimo et octavo capite, et affirmat peccata esse omnes vitiosos affectus, etiam cum nondum accessit consensus, et radicem eorum, scilicet peccatum originis, quod comprehendit tenebras in mente, dubitationes de Deo, et in voluntate et in corde aversionem a Deo, scilicet quod cor est sine timore Dei, et sine dilectione Dei, et habet horribiles fremitus adversus Deum in iudicio seu poenis. Complectitur et ingentem confusionem affectuum, pugnantium cum Lege Dei. De his malis omnibus, de radice et fructibus inquit Paulus: Sensus carnis inimicitia est adversus Deum. Haec mala damnantur in his praeceptis.

Discant autem iuniores haec vocabula recte intelligere, et discernant affectus. Vocabulum concupiscentiae saepe usurpatur pro illa mala radice, etsi appetitiones differunt, quaedam sunt conditae a Deo in natura, quae fuissent etiam in integra natura, ut amor Dei, appetitio cibi, potus et similes. Item *στοργαὶ*, ira, qualis est in Elia zelus.

Aliae sunt appetitiones suo genere vitiosae, ut fremitus adversus Deum, ira in Cain, incendium inordinati amoris in Davide, et omnes tales motus pugnantes cum Lege Dei. Ideo Augustinus, cum damnat concupiscentiam, addit restrictionem, et nominat malam concupiscentiam.

Ego brevius vocabulo *ἀταξίας* utor, cum damnatur concupiscentia, dico *ἀταξίαν* significari in omnibus viribus, in hac depravata natura, sicut loquitur Ieremias: Cor hominis perversum est et aerumnosum in omnibus.

Hae admonitiones propter iuniores in his praeceptis repetuntur. Pharisaei et Monachi negant peccata esse radicem vitiosorum affectuum, et vitiosos affectus. Stoici pariter volunt tolli omnes affectus, cum necesse sit discerni conditos in natura et alios pugnantes cum Lege Dei.

ADMONITIO COMMUNIS DE PRAEMIIS ET POENIS SEU DE PROMISSIONIBUS ET COMMINATIONIBUS.

Ut autem in gubernatione humana videmus Leges contemni, si non delinquentes puniantur, sicut dicunt Aeschines et Demosthenes, *οὐδὲν ὄφελος τῆς πολιτείας μὴ ἐχούσης νεῦρα ἐπὶ ἀδικοῦντας*, Ita consideremus in Lege divina promissiones et comminationes: et longa commemoratio est benedictionum et maledictionum in fine Deuteronomii. De quibus primum hoc sciamus, quod omnes homines nati in hac pravitate naturae, sint rei peccati, et communem poenam sustineant, scilicet mortem corporis.

Item cum nemo Legi satisfaciat, quaestio est, quid prosint comminationes et promissiones. De hac quaestione postea dicemus, quia necesse est discerni promissionem Evangelicam videlicet gratiae, et promissiones legales, et exponi, quomodo hae quoque prosint reconciliatis.

Prius autem de maledictionibus et poenis dicamus, et sicut usus Legis alius est politicus, alius

accusare peccata coram Deo: Ita executio poenarum differt. Atrocia delicta in vita politica universaliter comitantur atroces poenae etiam in hac vita corporali, sicut de homicidio hae regulae testantur, Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit: et de incestis libidinibus, Omnis anima quae fecerit has abominationes, eradicabitur. De rapinis: Vae qui spolias, quia spoliaberis. De periuriis et blasphemiis: Non habebit Deus insontem, quisquis nomen DEI vane usurpaverit. His comminationibus regulariter eventus respondere experientia testatur, quae etiam Ethnicos has regulas docuit, quanquam et a patribus eas acceperunt. Et ut apud Pindarum dicitur: *βέβαιον ἕξεις τὸν βίον δίκαιος ὤν*. De hac paedagogica doctrina etiam homines saepe monendi sunt, et sciendum est has corporales poenas non casu accidere, nec tantum hominum consilio institutas esse, sed ordinatas esse a Deo, et quidem Deum executorem esse, etiam cum Magistratus sunt infirmiores et negligentiores, aut non faciunt officium.

Vult enim Deus haec manifesta spectacula testimonia esse, quod sit Deus, et ostendere, qualis sit, videlicet iustus et vindex, vult commonefactiones esse, quod Lex naturae insita rationi sit Lex divina, et quod sit providentia, et quod Deus custos sit politicae societatis. De hac praesentia Dei inter homines commonefaciunt nos haec horrenda spectacula, de quibus et concio Christi dicit: Mensuram confertam et agitatam dabunt eis in sinum.

Deinde cogitentur causae, de quibus Iurisconsulti loquuntur, quod tranquillitatis publicae causa oporteat tolli sceleratos: Sed prius in his poenis iudicium Dei contemplemur.

Sed praeter exequutionem poenarum corporalium accedit et alia maledictio, videlicet ordinatio ad poenas aeternas, quae opprimunt omnes homines, qui non sanantur agnitione Filii Dei, ut cum in Saule, Iuda incipit sensus irae Dei, in quo sese interficiunt. Illi ingentes dolores et fremitus adversus Deum sunt initium aeternarum poenarum, ut Johannes inquit: Qui non credit in Filium, ira Dei manet super eum. Et sic maledictionem in Lege denuntiatam, declarat Paulus de aeternis poenis: Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in Lege, ut sciamus ea.

De utilitate autem benedictionum legalium et promissionum corporalium nihil dici potest, nisi prius dicatur de promissione gratiae. Ideo semper in conspectu sit haec distinctio.

Duae sunt promissiones, altera gratiae, propria Evangelii propter Filium Dei Gratis dandae, videlicet remissionis peccatorum, reconciliationis, seu iustificationis, donationis Spiritus sancti et vitae aeternae.

Altera promissio est bonorum corporalium, quae duplex est: aut gratuita, conservationis corporis Ecclesiae iuxta dictum: Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis. Esaiae 48. Etiam in senecta gestabo vos. Item, Erit sicut in diebus Nohae, unus assumetur, alter relinquetur. Item, Ero vobiscum usque ad consummationem seculi. Aut est addita bonis operibus iustorum, ut: Qui dederit potum aquae uni ex minimis meorum propter doctrinam, Amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

Traditae sunt autem promissiones de conservatione Ecclesiae et bonis corporalibus propter quatuor causas.

PRIMA est, ut sciamus bona corporalia non casu obiici, sed vere a Deo dari, sicut dicitur: Benedictio Domini divites facit. Item, Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Item, Leones esurierunt, timentibus autem Dominum non deerit ullum bonum.

SECUNDA causa, Ut sciamus Deum velle conservare Ecclesiam in hac vita, iuxta haec dicta: Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis. Item apud Esaiam: Posui verba mea in ore tuo, et dextera mea protegam te, ut plantes coelos.

TERTIA causa, ut petitio corporalium sit exercitium invocationis iuxta dictum: Invoca me in die tribulationis, et ego eripiam te. Item, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Item, Ipse est vita tua et longitudo dierum tuorum: In ipso sumus, vivimus et movemur.

QUARTA causa, Quia vult petitionem corporalium esse commonefactionem de promissione et petitione gratiae, quia petitio sine fide, inanis est, vel ut Augustinus dicit: Oratio sine fide peccatum est. Oportet igitur in omni petitione corporalium praelucere fidem, petentem et accipientem gratiam propter Filium Dei, sicut et in precatione communi mox additur: Remitte nobis debita nostra. Item, Si fuerint peccata vestra ut coccinum et vermiculus, eritis candidi sicut nix, ubi et promissio gratiae, et promissio conservationis corporis Ecclesiae, et mitigationis poenarum comprehenduntur.

Quod promissio conservationis corporis Eccle-

siae sit gratuita, ostendunt haec dicta Esaiae 48. Propter nomen meum longe faciam furorem irae meae, propter me faciam, ut non blasphemer, id est, propterea ut sit aliqua pars generis humani, in qua Deus recte agnoscatur, et recte invocetur, non sinam funditus interire Ecclesiam. Psalm. 88. Visitabo in virga iniquitates eorum, misericordiam vero meam non amovebo ab eis. Haec et similia dicta sint in conspectu, et inter tantos fluctus et confusiones generis humani consolentur nos, ut certo statuamus, mansuram esse Ecclesiam Dei, gratuita misericordia Dei propter Filium. Dabit igitur ei aliqua hospitia. Sicut et Esaiae 30. haec coniunguntur: Dabit vobis Dominus Doctorem, et panem et aquam cum tribulatione.

Sciamus autem omnes promissiones corporales habere exceptionem castigationis et crucis, ut castigatur David rapiens alterius coniugem: Castigantur 10 tribus, item duae tribus. In his calamitatibus publicis aut privatis aliquando etiam pii onerantur, ea afflictio nominatur crux, ut afflictio Iob, Ioseph et similium.

Etsi autem bona opera piorum non sunt impletio Legis, et haerent peccata in sanctis in hac vita: tamen eis promissa sunt et corporalia et spiritualia praemia, quia Deus approbat ea, et nominat iustitiam et cultus Dei praelucente fide, et vult Deus exerceri fidem et spem et dilectionem talium operum exercitiis, ut haec omnia simul exercet vidua Sareptana. Credit doctrinae Eliae et agnoscit verum Deum, scit ei hanc obedientiam placere, quod Prophetae praebet hospitium, exercet simul fidem, exercet dilectionem, quia Deo praestat obedientiam et pascit Prophetam.

Ita Abdemelech, quia benefecit Ieremiae, servatur in excidio Ierusalem. Talia multa sunt praemia corporalia, mitigatio poenarum praesentium, defensio vitae, politiae et oeconomiae, foelicitas liberorum etc.

De talibus praemiis loquuntur haec dicta: Date et dabitur vobis. Item, Qui dederit potum aquae uni ex minimis meorum propter doctrinam, habebit mercedem. Esaiae 33. Regem in decore suo videbunt, id est, videbunt florentes politias, florentia imperia. Item 58. Frange esurienti panem tuum, et requiem dabit tibi Dominus semper.

Ita fiunt ratae promissiones, additae operibus, in his qui iustificati sunt fide, et recte praestant obedientiam, de qua dicit Petrus: Offerte hostias spirituales placentes Deo propter Iesum Christum, quasi dicat: non propter Legem: Tamen de his regula semper tenenda est, cumulari beneficia haec immensa Dei bonitate, non propter operum dignitatem, sicut Iacob inquit: Minor sum cunctis miserationibus tuis. Haec confessio simul in his exercitiis luceat.

Considerandum et hoc est, promissiones in Moise de politia Israelitica in specie loqui. Ac post destructionem politiae Israeliticae non est una Ecclesiae sedes in politia certa, sed passim inter gentes Ecclesia colligitur. Quare promissiones, quae de hospitiis et aliis bonis corpori necessariis in Evangelio loquuntur, iuxta dictum: Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis, intelligantur in genere. Deus dat hospitium Athanasio in urbe Trevirensi, etiamsi Alexandria pellitur. Semper autem corporalibus promissionibus addatur exceptio castigationis et crucis.

DE PECCATO.

Vocabulum peccati in Ecclesia non tantum intelligatur de actione, ut Latini Grammatici loquuntur, sed significat aversionem a Deo, ream coram Deo, seu damnatam, nisi fiat remissio, sive id malum sit actio, sive morbus haerens in natura. Ac usitatum est nominare duas species, peccatum Originale et peccatum Actuale. Et usitata definitio est sumta ex Anshelmo. Peccatum originis est carentia iustitiae originalis debitae inesse. Etsi autem magni labyrinthi sunt disputationum de hac descriptione, tamen recte institutis explicatio facilis est.

Cum privationes definiantur per habitus, prius cogitetur, quid fuerit iustitia originalis, quae saepe describitur, cum dicitur homo conditus ad imaginem et similitudinem Dei. Et interpretatur Paulus imaginem Ephes. 4. Ut induatis novum hominem creatum secundum Deum in iustitia et sanctitate vera. Erat igitur iustitia Originalis et acceptatio coram Deo, et in mente lux recte agnoscens Deum, et quae assentiri Verbo Dei poterat, et radii illustres sapientiae Legis transfusae in homines in creatione. Et erat in corde congruentia cum Lege Dei, Dilectio Dei, et Laetitia in Deo, et integer ordo omnium virium hominis. Et talis si mansisset homo, fuisset templum Dei, et sicut in primo capite Iohannis dicitur, si homo retinuisset Verbum Dei, Filius Dei in homine vivificasset eum, sicut dicitur: Verbum erat vita hominis, et fuisset homo sine peccato et morte, ac fulsisset in eo firma notitia Dei per Verbum habitans in mente, et arsis-

sent corda dilectione per Spiritum sanctum habitantem in corde.

Haec bona omnia comprehenduntur, cum nominatur iustitia Originalis. Carentia igitur non tantum est reatus, sed etiam amissio integritatis naturalis, et bonorum, quae fuissent addita. Sicut usitate loquuntur scriptores de viatore saucio, spoliatum esse gratuitis, id est, desiisse hominem esse templum Dei, et vulneratum esse in naturalibus, id est, secutam esse caliginem in mente, quae gignit horribiles dubitationes, et secutam esse contumaciam in corde, item, Mortem et omnes corporis languefactiones. Hac simplici declaratione considerata, definitionem Anshelmi non aspernamur, sed multi, qui quaestiones in Longobardum scripserant, corruperunt eam insulsis explicationibus.

Existimo autem definitionem sic constitui posse. Peccatum originis est reatus propter lapsum primorum parentum, propter naturae humanae depravationem, quae secuta est lapsum primorum parentum, quae non tantum poena est primi lapsus, sed etiam peccatum. Membra huius definitionis confirmantur his testimoniis: quod posteritas sit rea propter lapsum primorum parentum. Rom. 5. dicitur: Per unius delictum in omnes homines mors intravit. Deinde quod depravatio naturae simul cum illo reatu accesserit, non tantum ut poena, sed etiam ut peccatum, id est, malum, propter quod etiam homo est reus aeternae poenae, nisi sit facta remissio propter Filium. Nam Paulus expresse nominat hunc morbum, Legem in membris, et, ne poena tantum intelligatur, addit: pugnantem cum Lege mentis. Et cum dicitur: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea, vocabulum prius significat proprie depravationem, alterum significat proprie reatum.

FINIS.

VI. DE ECCLESIA ET DE AUTORITATE VERBI DEI

PHILIPPO MELANTHONE AUCTORE.

Ab illis libris, in quibus aut universa evangelicae doctrinae dogmata a Melanthone variis modis tractata sunt, aut magna eorum pars exhibetur, nunc transgredimur ad eos, in quibus de singulis partibus dogmatices egit. Inter quos ordiamur ab iis, qui continentur in hacce collectione:

Libelli | aliqvot vti- | les Philippi Me- | lanthonis. | De Ecclesia. | De Poenitentia. | De coniugio Sacerdotum. | Scripta quaedam, de usu integri | Sacramenti & Missa Theatrica. | De potestate Pontificis & Epi- | scoporum, & alijs quibusdam controuersijs col- | lecta opera & studio Casparis Crucigeri | Doctoris Theologiae. | Scriptum in conuentu Schmal- | caldensi, propositum a Theologis, qui ibi adfuerunt, | contra Suenkfeldium, Sebastianum Francum, | & nonnullos errones alios, Mense | Martio, Anno 1537. | *Responsio de Controuersijs | Stancari. | Vitebergae | Excvdebat Iohannes | Lufft. Anno* 1560. 21 plagg. litt. A—X sign., 167 foll. num., ult. fol. album. 8. min. (fol. 2^{a} — 4^{b} Melanthonis praefatio ad Albertum Ducem Prussiae, a. 1539. scripta; fol. 5^{a} — 53^{b} De Ecclesia et de autoritate verbi Dei; fol. 54^{a} cont. titulum subsequentis tract.: *Doctri- | na de Poeniten- | tia, Ideo repetita ut praestigiae | de Satisfactionibus recens | excogitatae a quibusdam | Sophistis refuta- | rentur. | Epistola ad Le- | ctorem in qua respondetur | Flacio Illyrico. | Avtore Philip- | po Melantho- | ne. Anno* 1560.; fol. 54^{b} — 59^{b} med. Mel. praefatio ad Lectorem, Cal. Oct. 1549 scripta; fol. 60^{a} — 78^{a} De Poenitentia. Phil. Mel. a. 1548.; fol. 78^{b} — 79^{a} *Defensio | conivgii Sacer- | dotum pia et erudita, missa ad | Regem Angliae, collecta | a Philippo Melan- | thone,* subsequente rhythmica Querela animarum piarum ad Deum, de Tyrannis, qui interficiunt pios propter Evangelii professionem; fol. 79^{b} — 98^{a} De Coniugio Sacerdotum, Phil. Mel.; fol. 98^{b} *Scripta | qvaedam de vsv | integri Sacramenti | et Missa Theatrica. | De potesta- | te Pontificis et Epi- | scoporum, et alijs quibusdam | controuersijs, collecta opera & | studio Casparis Crucigeri Do- | ctoris Theologiae, partim anno |* 1540. *in conuentu Schmal- | caldensi, partim anno se- | quenti in conuentu Ra- | tisbonensi.;* fol. 99^{a} — 110^{b} De usu integri Sacramenti; fol. 111^{a} — 121^{b} Contra privatam Missam; fol. 122^{a} — 125^{a} De Missa theatrica; fol. 125^{b} — 138^{a} De potestate et primatu Papae. ἀδέσποτον.; fol. 138^{b} cont. titulum: *Scriptvm | in convento | Schmalcaldensi | propositum a Theologis, qui | ibi adfuerunt contra Schuenc- | feldium, Sebastianum Fran- | cum, & nonnullos errones | alios, Mense Mar- | tio, Anno |* 1537.; fol. 139^{a} — 142^{a} Contra Schwenkfeldum; fol. 142^{b} — 144^{b} init. De Eucharistia non administranda, nisi adsint quibus ea distribuatur, Ratisbonae 7. Iun. a. 1541.; fol. 144^{b} med. — 153^{a} Annotata

a Doctore Casparo Crucigero Ratisbonae ad refutandas praestigias Sophismatum Eccianorum in praecipuis doctrinae Christianae capitibus; fol. 153ᵇ — 167ᵃ Responsio Phil. Mel. de controversiis Stancari, annexis duabus quaestionibus, et Verbis Ambrosii in epistola priore ad Timotheum; fol. 167ᵇ et ult. fol. vacant.). *)

— — (Idem Index) *Vitebergae* 1561. 8. **)

Hi libri, quinto et ultimo exceptis, eodem ordine (cum annotatt. marginal.) recusi sunt in *Peucerianae Collectionis Operum Melanthonis Parte secunda* (*Wittebergae* 1562. Fol.) pag. 117—210.; et in his Operibus Wittebergae 1580 sqq. recusis (conf. Vol. XXI. p. 591 sq.). Responsio Mel. vero de controversiis Stancari cum illic annexis legitur in huius Collectionis Operum Parte I. fol. 345ᵇ — 350ᵃ. Examini Ordinandorum proxime adiuncta, aeque ac in hoc Corporis Volumine p. 87—102. huic Examini est annexa.

Tractatus *de Ecclesia et de autoritate verbi Dei*, qui inter illos libellos primo loco exhibetur, primum seiunctim prodiit anno 1539. sic inscriptus:

De Ec- | clesiae avtorita- | te (sic) *& de veterum scrip- | tis libellus | Autore. | Philip. Melanch. | Vitebergae. | Anno. M. D. XXXIX.* (Hic titulus inclusus est figuris ligno incisis, inter quas infra titulum est Insigne Electoris Saxon., quod a grypho et leone tenetur.) — (In fine:) *Impressvm Vitebergae | per Iosephvm Clvg. | Anno M. D. XXXIX.* Supra hanc Clausulam indicatur hocce erratum: „G. 5. b. uersu 5. lege. ut recordemur mortis & beneficiorum suorum.“ (Illo enim loco in hac Ed. falso leguntur: „ut recordemur mortuis & bene ficiorum suorum.) 9 plagg. litt. A — I sign., 71 foll. non num., ult. fol. album, 8. min., (fol. A 2ᵃ — 4ᵇ Mel. praefatio ad Albertum, Ducem Prussiae Marchionem Brandenburgensem a. 1539. scripta; fol. A 5ᵃ — D 1ᵇ med. De Ecclesia et de autoritate verbi Dei, cum 49 annott. marg.; fol. D 1ᵇ — I 7ᵃ De ecclesiasticis scriptoribus vetustis, cum 4 annott. margin., subiunctâ Clausulâ; fol. I 7ᵇ — 8ᵇ vacant.).

Hanc primam Editionem eodem anno apud eundem secuta est haec altera:

De Ec- | clesiae avtori- | tate & de veterum scrip- | tis libellus. | Autore. | Philip. Melanch. | Vitebergae. | Anno. M. D. XXXIX. (Hic titulus iisdem figuris ligno incisis cinctus est.) — (In fine:) *Impressvm Viteberqae | per Iosephvm Clvg. | Anno. M. D. XXXIX.*, supra quam Clausulam nullum erratum indicatur, quoniam illo loco in hac Ed. recte legitur: „ut recordemur mortis et beneficiorum suorum. 9 plagg. litt. A—I sign., 71 foll. non num., ult. fol. album, 8. min. (fol. A 2ᵃ — 4ᵇ Mel. praefatio ad Albertum, Ducem Prussiae; fol. A 5ᵃ — D 1ᵇ med., De Ecclesia et de autoritate verbi Dei, cum 49 annott. margin.; fol. D 2ᵃ med. — I 7ᵃ De ecclesiasticis scriptoribus vetustis, cum 4 annott. margin., subiunctâ Clausulâ; fol. I 7ᵇ — 8ᵇ vacant.).***)

Haec altera Ed. cum priore in plagg. A—F omnino congruit; at inde a fol. G 1ᵃ usque ad fol. I 6ᵇ divisione aliquot paginarum et multarum linearum ab ea differt, praeterea invenitur varia lectio hisce locis: fol. G 2ᵇ lin. 12. Ed. 1. habet: *Principio*, Ed. 2. male: *Principia*; fol. G 5ᵃ lin. 3. Ed. 1. *pro alijs*, Ed. 2. *pro mortuis*; fol. G 5ᵇ lin. 5. Ed. 1. male: *mortuis et bene ficiorum*, Ed. 2. recte: *mortis et beneficiorum*; fol. G 7ᵇ lin. 2. Ed. 1. *purgatorium*, Ed. 2. male: *purgotorium*; fol. G 8ᵃ lin. 14. Ed. 1. ἀλλ' ἐστι, Ed. 2. ἀλλ' εἷς ἐστι, et lin. 23. Ed. 1. *scripturis*, Ed. 2. *Scriptura*; fol. G 8ᵇ lin. 15. Ed. 1. *scolastico*, Ed. 2. *scholastico*, et lin. 17. Ed. 1. *rhapsodiam*, Ed. 2. male: *rapsodiam*; fol. H 1ᵇ lin. 16. Ed. 1. typ. errore: δυσσβείας, Ed. 2. recte: δυσσεβείας; fol. H 4ᵇ lin. 11. Ed. 1. *ferunt*, Ed. 2. recte: *serunt*; fol. I 3ᵃ lin. 19. Ed. 1. *eorum*, Ed. 2. *eorum etc.*; fol. I 4ᵇ lin. 6. Ed. 1. *se iungat*, Ed. 2. recte: *seiungat*.

— — (Idem Index) *Vitebergae* 1550. 8. †)

---

*) Haec Ed. in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est.

**) Haec Ed. olim erat in Biblioth. senat. Norimb.

***) Utraque Ed. in meis libris est.

†) Hanc Ed. et subsequentem memorat Strobelius in praefatione suae Editionis huius libelli illico recensendae p. 8.

— — (Idem Index?) *Argentinae per Wendelinum Rihelium*, sine anni indicio. 8.

Hic tractatus inscriptus *De Ecclesia et autoritate verbi Dei*, reperitur etiam in Melanthonis *Commentariis in epistolam Pauli ad Romanos*, qui *Vitebergae* 1540. 8. *) et *Argentorati* 1540. 8. **) prodierunt, sub finem capitis XIV., eodemque loco in his Commentariis recusis in *Peucerianae Collectionis Operum Mel. Parte III.* (Witebergae 1563. Fol.) p. 1049 med. — 1082. med. Praeterea exstat in *Collectionis Operum Melanthonis*, quae *Basileae apud Io. Hervagium* 1541. Fol. prodiit, Tomo I. p. 451. med. — 486. med.

Ex his elucet, hunc tractatum illo Sec. XVI. quater seorsim prodiisse: 1) *Wittebergae* 1539. 8., 2) *ibid.* iterum 1539. 8., 3) *ibid.* 1550. 8., 4) *Argentinae s. a.* 8., et novies cum aliis Mel. libris coniunctim: 1) *Wittebergae* 1540. 8. 2) *Argentorati* 1540. 8. bis: mense Martio et m. Sept., 3) *Basileae* 1541. Fol., 4) *Wittebergae* 1560. 8., 5) *ibid.* 1561. 8., 6) *ibid.* 1562. Fol., 7) *ibid.* 1563. Fol., 8) *ibid.* 1580 (?) Fol.

Ad has tredecim Editt. antiquiores accessit haec recentior Strobelii sic inscripta:

Philippi Melanchthonis libellvs de Scriptoribvs Ecclesiasticis. Accesservnt eivsdem Orationes de vitis Ambrosii, Avgvstini et Hieronymi. Recensvit et praefatvs est Georgivs Theodorvs Strobelivs Pastor Woehrdensis. Norimbergae ex officina Baveriana. MDCCLXXX. 208 pagg. num. 8. (pag. 3—14. Praefatio Editoris; p. 15—18. Phil. Mel. praefatio; p. 19—51. Cap. I. De Ecclesia et de autoritate verbi Dei; p. 52 — 122. Cap. II. De Ecclesiasticis Scriptoribus vetustis; p. 123—208. Phil. Mel. Orationes III. de vitis Ambrosii, Augustini et Hieronymi). ***)

Praeter has Editt. tractatus ab auctore latine scripti denique etiam recensenda est Iusti Ionae translatio eius in linguam germanicam, a. 1540 ab ipso edita sub hac inscriptione:

Von der | Kirchen, vnd al- | ten Kirchen- | lerern. | Philippus Melanthon. | Verdeudtschet durch | Justum Jonam. | Wittemberg. | 1540. (Hic titulus figuris ligno incisis cinctus est.) — (In fine:) Gedruckt in der Churfürst- | lichen stad Wittemberg, | durch Joseph Klug. | 1540. 22 plagg. litt. A—Y sign., 87 foll. non num., ult. fol. album, 4. (fol. A 1ᵇ — 4ᵇ Just. Jonas Vorrede an H. Mauritius Hertzogen zu Sachsen etc. Dat. Wittemberg 1. Martij 1540.; fol. B 1ᵃ — C 1ᵃ med. Phil. Mel. Vorrede an H. Albrecht, Hertzogen zu Preussen etc. Dat. 1539.; fol. C 1ᵃ med. — J 1ᵃ med. Von der Kirchen, vnd Gottes wort; fol. J 1ᵃ med. — Y 3ᵃ med. Von den alten Kirchen Lerern, subiunctâ Clausulâ; fol. Y 3ᵇ — 4ᵇ vacant. †)

In parte extrema dedicationis ad Mauritium Ducem Sax. ait Ionas: „Dieweil aber wider vns etliche Naseweisen aus den alten Schribenten, geflickte sprüchlin ausklauben, vnd darnach seer von der alten Kirchen rhümen, habe ich dis Büchlin ins Deudtsch gebracht, Darinne allerley nützliche anzeigung ist, von der alten Kirchen vnd Vetern. etc.

De huius libelli origine et fatis Strobelius in praefatione suae Ed. p. 9—14. haec affert:

„Occasionem hunc libellum scribendi praebuerat MELANCHTHONI libellus quidam, quem Episcopus Misnensis per Iulium Pflugium Henrico Sax. Duci misit, cui titulus erat: *Doctrina Christiana generalis cuilibet fideli scitu necessaria*, sive: Eine gemeine christliche lahr, die einem jeden Christen zu wissen nöthig. De quo libro multis agit Ill. Seckendorfius in *Hist. Lutheranismi L. III.* p. 215. MELANCHTHON quoque saepius illius mentionem facit in suis epistolis, e. g. ad Camerarium p. 320. ††) *Misnensis Episcopus et Iulius exhibuerunt*

*) Scilicet in ea Ed., quae *Vitebergae apud Ios. Clug. M. D. XL. mense Martio*, 36 plagg. 8. prodiit, non vero in ea, quae quidem in titulo habet: *Vitebergae. Anno M. D. XL.*, at in fine: *Impressum Vitebergae per Iosephum Clug. Anno. M. D. XLI.* 36 plagg. 8.

**) Illo anno hi Commentarii *Argentorati* bis prodierunt: *mense Martio* 36 plagg. 8. et *mense Sept.* 39 plagg. 8. Utraque Ed. hunc tractatum sub finem capitis XIV. continet.

***) Haec quoque Ed. in meis libris est.

†) Hanc translationem ipse possideo.

††) In huius Corporis Vol. III. p. 726.

Duci Henrico scriptum de religione: petiverunt, ne in ipsorum collegiis aliquam faciat mutationem, se ipsos correcturos esse vitia suarum Ecclesiarum. Ibidem p. 323. *) *Iussi tibi libellum de Ecclesia mitti, in cuius fine declamito adversus novam sophisticam illius nostri et similium, qui nunc novo artificio pingunt abusus, ut retinendi videantur. Talem nobis librum misit nuper ille, in quo ut esset τηλαυγὲς πρόσωπον, quaedam ex nostris decerpserat περὶ πίστεως. Postea insulsissime excusat et defendit multas superstitiones, etiam divorum invocationem.* Idem Brentio nuntiat his verbis: *Libellum de Ecclesia propter quosdam edidi, qui proponebant διαλλαγὰς hac via, ut polliceremur nos Patrum sententiis cessuros esse.* Epp. Tomi Lugd. B. p. 388. **)

Cum eo tempore Patres maioris fere auctoritatis essent quam ipsi libri sacri, et de eorum fide dubitare ingens crimen haberetur, Pontificis Romani asseclas, qui pleraque sua dogmata ex codice sacro demonstrare haud valebant, et amissa auctoritate Patrum permultum amitti probe perspiciebant, aegerrimo animo hoc scriptum Melanchthonis tulisse, non mirandum est. Placet ipsum Camerarium in vita Melanchth. p. m. 237 sq. ***) de hoc libello sic commentantem audire: *Edidit libellum P. M. quo sane haud scio an ullus extet alius ipsius tam simplice libertate orationis compositus. In eo de Ecclesiae disputatur autoritate, et libris, quos scripsissent doctores in Ecclesia, quasi censoriae notae apponi videntur. Id quod ab aliis aliter acceptum esse scio. Neque ego nunc de iis dicam, qui, quoties minus clementer attinguntur eorum ulcera, vociferantur atque clamant immoderate, cum quidem medicinae leniori ipsi locum iam non esse intelligant, et secandi urendique tamen cruciatus reformident. Hos igitur talibus disputationibus et isto libello offensos fuisse mirandum non est. Verum ego ex aliis quoque, in quibus essent neque a caussa alieni, et erga Philippum Melanchthonem affecti haud male, audivi, cum de eo libello sic loquerentur, ut illum aperte reprehenderent, tanquam audacius facientem iudicium et nimis fidenter pronuntiantem de iis rebus, quarum hominis privati et unius, quamvis sapientis et docti, cognitio non esset. Ac memini ab uno prae caeteris notatum, tanquam propemodum temere ibi positum: „Veterum quosdam aliqua minus diserte exposuisse, cum sentirent commodius,' quasi illi accusarentur ut infantes atque indocti. Verum enimvero neque Philippus Melanchthon magis sententiam ferre pronuntiareque illa tanquam iudex videtur, quam indicare potius quasi monitor et hortator, ut in omnium libris legendis, quorum humana autoritas est, meminerit aliquis sibi versandum circumspecte et attente. Quod ad elocutionem vero attinet, id tale scilicet est, ut, si studium bene et proprie loquendi perpetuo tanquam castae virginis pudicitia custodiretur, nihil opus esset istiusmodi admonitione.*

Insipidus ille COCHLAEUS, cuius scripta Melanchthon βατράχους γυρίνους vocat, primus erat, qui hunc egregium de Ecclesiae autoritate libellum confutare ausus est in *Philippica quinta in tres libellos Ph. Melanchthonis nuper aeditos.* 1540. in 4. †) Qui etsi in hoc libro ait Melanchthonem tantam adeptum esse et gratiam et autoritatem apud Lutheranorum primores, ut publicis eorum conciliis Philippus potius quam ipse Lutherus adhibeatur, tum quod minus furiose loquitur, et scribit, tum quod magis amatur a doctis et bonarum literarum studiosis propter ingenii acumen, tum etiam quod honestius vivit quam Lutherus, simul tamen affirmat, hunc libellum astuti rhetoris longe plus calumniarum et inanium querelarum, quam rationum aut testimoniorum habere. Eodem modo in hunc libellum debacchatur ULENBERGIUS in *Historia de vita et rebus gestis Melanchthonis* a pag. 157—166. inter alia scribens: *Edidit lib. de Ecclesiae autoritate deque synodis et scriptis veterum, quibus de rebus ita disputat, ut et mendacia in Catholicos, in Ecclesiam veterem, et contumelias in S. Patres infarciat. Sane quidem Catholicos huius temporis adeo sycophantice passim et procaciter insectatur, ut dubium non sit, quin Lutherus ipse, conviciator omnium, quos sol vidit, impotentissimus, inhalarit illi spiritum suum, et calamo scribentis amarulentiae venenum infuderit.* Hisce similis erat FRIDERICUS STAPHYLUS in *Absoluta responsione in defensionem Apologiae suae de vero germanoque Scripturae sacrae intellectu (Colon.* 1563. 8.) p. 132. eiusmodi iudicium ferens: *Quid vere Melanchthon? An*

*) Corp. Vol. III. p. 765.

**) Corp. Vol. III. p. 924.

***) Haec pagina spectat ad Strobelii editionem huius libri Camerarii, quae prodiit Halae 1777. 8.

†) Alia huius libri editio, quae in meis libris est, prodiit a. 1543. sic inscripta: *Philippica | quinta. | In tres libellos | Philippi Melanchthonis. | I. De Ecclesiae autoritate et de ueterum scriptis. | II. De praecipua differentia inter Christianam | Euangelij et idolatricam Papistarum do- | ctrinam. | III. De officio Principum contra abusus Eccle- | siasticos. | Autore Io. Cochlaeo. |* (Insigne typogr.: Minerva) *Ingolstadij ex officina Alexandri Vueissenhorn. | M. D. XLIII.* 13½ plagg. litt. A—O (0½ plag.) sign., 54 foll. non num., 4. Locus, ad quem hic Strobelius spectat, legitur in Cochlaei praefatiuncula ad Carolum V. Imperatorem, fol. A 4 huius editionis.

non is quoque iactitat suam eximiam eruditionem et peritiam? In libello illo, quem de Ecclesia scripsit, nemo sanctorum Patrum tam illi visus est excellenti doctrina praeditus, quin eum oportuerit ipsius ferulae manum subducere, nec quisquam inter illos est, qui pro ipsius iudicio exacte et proprie de rebus theologicis loqui sciverit; se unum putat eum esse, qui Doctores omnes antecedat.

Sed clamores talium insulsorum hominum pretium utilissimi huius libelli nequaquam minuent, qui iam dudum inter libros rariores et praestantiores locum obtinuit, et ita scriptus est, ut ab intelligentibus arbitris optimus librorum Melanchthonis merito habeatur.“

Recte igitur Reimannus in *Catalogo Bibliothecae theol. systematico-critico* p. 159. hunc Melanthonis libellum vocat brevem, sed planum, ac plenum, et expectationi lectoris satisfacientem, ac vel eam ob causam in eximiis habendum, quia primus est auctor e Protestantium numero, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis catalogum adornavit historico-criticum.

Hic libellus h. l. recuditur ex *Editione Wittebergensi anni* 1560., omissa autem praefatione, quae iam in huius Corporis Vol. III. No. 1822. p. 722—724. inter epistolas anni 1539. data est.

DE ECCLESIA ET AUTORITATE VERBI DEI.

In Editione Wittebergensi anni 1560.

Saepe disputari solet, quantum tribuendum sit Ecclesiae sententiis, decretis Synodorum, et Scriptorum dictis. Etsi enim regulam tenemus, ut verbum Dei amplectamur, tamen cum videantur in Apostolicis scriptis occurrere loci ambigui, disputant aliqui potius esse sententias Ecclesiae sequendas, quam scripta Apostolorum.

Deinde affingunt autoritatem Ecclesiae anteferendam esse verbo Dei, ac posse Ecclesiam mutare tradita in verbo Dei. Citant ad has opiniones dictum Augustini: Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae Catholicae commoveret autoritas. Itaque falso praetextu nominis Ecclesiae Pontifices decernunt et praecipiunt multa pro libidine contra verbum Dei, confirmant et stabiliunt impiam doctrinam et impios cultus, ac plurimos etiam nunc deterret a vera doctrina Evangelii, quam profitemur, solum nomen Ecclesiae. Ideo necesse est de autoritate Ecclesiae recte admoneri homines.

Rursus etiam quaedam petulantiora ingenia, cum fingunt ex dictis scripturae male detortis novas opiniones, prorsus aspernantur consensum verae Ecclesiae et omnes Synodos sine discrimine, ut cum Servetus rixatur cum Ecclesia omnium temporum, et depravat dicta de Verbo, Iohannis primo, et quaerit concinniorem, ut ipse putat, interpretationem. Ut igitur talis petulantia coërceatur, aliquo modo septis, ut ita dicam, opus est. Ecclesiae, sicut veteres Synodi et Scriptores allegant prima testimonia ab Apostolis et certis autoribus accepta.

Tertullianus contra Praxeam inquit, hanc regulam tenendam esse adversus omnes haereses, Rectum esse, quodcunque primum est, adulterinum vero, quodcunque posterius. Et quidem vocat primum, quod Apostoli certo tradiderunt, sic enim ipse sese interpretatur.

Irenaeus contra Florinum allegat autoritatem superiorum, ac nominatim Polycarpi, qui fuerat auditor Iohannis Apostoli. Inquit enim execraturum fuisse dogmata Florini, si ea audiisset, et vitaturum locum, in quo illa dicta essent, tanquam pollutum.

Basilius allegat nutricem suam, cuius pietatem ait tunc in primis fuisse laudatam, et addit eam accepisse doctrinam a Gregorio Neocaesariensi, qui illo tempore eruditione et miraculis claruit, et refutavit Samosatenum, ac reliquit brevem confessionem fidei, quae continet illustre testimonium de Trinitate. Extat autem in libro 7. Ecclesiasticae historiae.

Origenes allegat Apostolos de Baptismo infantum. Ait enim in cap. 6. ad Romanos, Ecclesias accepisse traditionem ab Apostolis, ut baptizentur infantes. Hi recte allegant, autoritatem Ecclesiae. Quare ordine dicam, quid sit Ecclesia, et quae

audienda sit, ac probatis testimoniis utendum, et tamen doctrina iudicanda ex verbo Dei, ut maneat summa autoritas verbi Dei, iuxta illud: Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema sit.

Primum autem, cum nomino Ecclesiam, non intelligo Pontifices, Episcopos, et caeteros, qui probant ipsorum opiniones, Nam hi sunt hostes verae Ecclesiae, partim Epicurei, partim Idololatrae manifesti, Sed voco Ecclesiam, coetum vere credentium, qui habent Evangelium et Sacramenta, et sanctificantur Spiritu sancto, sicut Ephes. 5. describitur Ecclesia, et Iohan. 10. Oves meae vocem meam audiunt.

Etsi autem necesse est, hanc veram Ecclesiam semper durare, quia regnum Christi est perpetuum, et scriptum est: Manebo vobiscum usque ad consummationem seculi, tamen sciendum est, hanc veram Ecclesiam non semper pariter florere, sed saepe admodum exiguam esse, ac subinde restitui divinitus, missis veris doctoribus, ut Noae tempore fuit angusta Ecclesia et paucorum coetus.

Ita post diluvium retinuit veram doctrinam Melchisedech, qui fuit Sem, filius Noae, et cum Idololatria apud Chaldaeos crevisset, ac pene ubique extincta esset vera doctrina, Deus renovat Ecclesiam vocato Abraham. Postea familia Abrahae, et pauci eius auditores sunt Ecclesia, cum interim Chaldaei et Aegyptii gloriarentur se esse posteros patrum, se retinere patrum exempla et cultum, et praedicarent se esse populum Dei, cum verbum Dei non retinuissent, etiamsi ceremonias retinuerant, quibus tamen affinxerant perversas opiniones, et addiderant idololatriam.

Tempore Achaz fuit in Israël extincta Ecclesia, postea per Eliam et Elisaeum rursus aucta est, deinde iterum collapsa est.

Cum nasceretur Christus, fuit in Iuda admodum exigua Ecclesia, Maria, Ioseph, familia Zachariae, Simeon, Anna, Pastores, et pauci alii. Interea regimen Ecclesiasticum fuit penes Pharisaeos et Sadducaeos, qui erant palam impii. Sadducaei etiam erant Epicurei, et tamen arrogabant sibi praecipue titulum populi Dei.

Sic et tempore Prophetarum exigua fuit vera Ecclesia, Esaiae primo: Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma et Gomorra facti essemus. Haec verba gravissime monent nos, ne de Ecclesia cogitemus, tanquam de mundana politia, ne eam successione Episcoporum, aut gradu et loco Pontificum metiamur, sed apud eos esse statuamus Ecclesiam, qui retinent veram doctrinam Evangelii. In hoc coetu esse aliquos vere credentes necesse est, Nam ad hunc coetum pertinent promissiones. Ideo Esaias detrahit illum augustum titulum suis principibus et Pontificibus, et inquit, exiguum semen reliquum esse in illo ipso populo, qui vocabatur populus Dei.

Et Ieremiae tempore, cum ei Reges et Sacerdotes adversarentur, non erat Ecclesia coetus sacerdotum, sed illi, qui credebant concionibus Ieremiae. Amos 3. Sic liberabitur Israël, ut si pastor duo crura leoni ex faucibus eripiat. Denique fuit exigua Ecclesia prae multitudine impiorum, cum omnes gentes praeter populum Iuda prorsus amisissent notitiam Dei.

Praedicit et scriptura futuras post Apostolos Ecclesiae clades, Matth. 14. Multi Pseudoprophetae surgent, et decipient multos. Item: Cum videbitis abominationem desolationis stantem in loco sancto. Hic significat, in Ecclesia, quae sic dicitur, orituram esse Idololatriam, qua obruentur vera doctrina et veri cultus, et fiet Ecclesiae vastitas, id est, solitudo seu extinctio. Atque ita accidit. Postquam abusus Missarum et cultus traditionum orti sunt, secutae sunt tenebrae de veris cultibus, de fide, de invocatione in fide, de officiis vocationis. Quia conscientia intuens in propria merita, non potest remissionem peccatorum intelligere, nec veram invocationem et expectationem auxilii divini etc.

Item: Facient signa et prodigia, ut, si fieri posset, seducantur etiam electi, 2. Thessal. 2. Veniet defectio etc. Luc. 18. Putas, quod veniens Filius hominis inveniet fidem? Psal. 88. Numquid vane constituisti filios hominum etc. Est enim querela de venturae Ecclesiae ruina. Haec dicta testantur, etiamsi conservari Ecclesiam necesse est, tamen praesertim postremo tempore admodum exiguam et paucorum coetum esse, qui sunt spreti et abiecti in hac vita, sicut inquit Paulus: Non multi sapientes, non multi potentes etc.

Haec testimonia eo citavi, ut primum cogitetur, quid sit Ecclesia, et abducatur animus a carnalibus opinionibus, quae fingunt Ecclesiam esse politiam Pontificum, et alligant eam ad ordinariam successionem Episcoporum, sicut imperia consistunt in ordinaria successione Principum. Sed Ecclesia aliter se habet. Est enim coetus non alligatus ad ordinariam successionem, sed ad verbum Dei. Ibi renascitur Ecclesia, ubi Deus restituit doctrinam, et dat Spiritum sanctum. Et hoc modo regi et conservari Ecclesias, non ordinaria successione, testatur Paulus Ephe. 4. Dedit dona hominibus, Apo-

stolos, Prophetas etc. Docet enim eam esse proprie Ecclesiam, in qua Christus est efficax, et cui dat veros doctores.

Ideo cum obiicitur nobis nomen et autoritas Ecclesiae, primum consideremus, an fiat mentio verae Ecclesiae, an vero coetus Pontificum, et successionis illius et politiae, nec nos sinamus a verbo Dei deterreri falso praetextu nominis Ecclesiae.

Secundo, Postquam dictum est, quae sit vera Ecclesia, iam addendum est, hanc veram Ecclesiam, quae est exigua, ac tantum sanctorum, retinere veram doctrinam Evangelii, seu articulos fidei, sicut Paulus eam vocat sedem veritatis. Sed haec ipsa vera Ecclesia habet doctrinam alias magis alias minus puram et perspicuam. Habet et multa infirma membra, ut Apostoli erant Ecclesia, nec tamen intelligebant ante Christi resurrectionem, quale esset futurum regnum Christi. Petrus etiam post datum Spiritum sanctum adhuc imaginabatur cultus legis necessarios esse, sed de coelo admonitus didicit regnum Christi non esse politiam Iudaicam, sed cultus spirituales, ac perpetuos, Act. 10.

Postea inchoata praedicatione Apostolorum, lucebat in ipsis doctrina pura et perspicua, et tamen interea erant multi infirmi, qui tametsi essent vera membra Ecclesiae, et tenerent articulos fidei, tamen aliquid addebant erroris, ut qui observabant cultus legis, nec satis intelligebant abrogationem legis, et veros cultus. Hic error non erat levis, et aliquam caliginem offundebat articulis fidei. Ita Christus praedicit de Ecclesia postremi temporis, futuras magnas tenebras, quae etiam electos impedient, quo minus puram doctrinam habituri sint.

Manet igitur aliqua vera Ecclesia, quae retinet articulos fidei, sed interdum minus puros, et obscuratos aliquibus incommodis opinionibus, et habentibus aliquid erroris. Ac loquor adhuc de veris Ecclesiae membris, et Sanctis, non de aliis, qui amissa luce verbi, amittunt Spiritum sanctum, et sequuntur rationis iudicium, et cum putent se admodum pia tradere, dicunt aliena et impia. Sicut nunc quoque multi sunt praestantes doctrina, bonis moribus, specie pietatis, qui videntur sibi sanctissima dicere, cum procul absint a vera luce, hoc est, a vero intellectu verbi Dei. De talibus nondum loquor, verum adhuc tantum fit mentio de veris membris Ecclesiae, quae magna ex parte sunt infirma.

Sic igitur inquit Paulus: Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est. Sed alius superaedificat aurum, alius lignum, alius stipulas etc. Fundamentum intelligit articulos fidei, hoc est, summam doctrinae Christianae, et doctrinam de beneficiis Christi, sed ad hanc, inquit, addent alii utilem doctrinam et explicationem, et veros cultus spirituales, Haec vocat, aurum. Alii addent stipulas, id est, opiniones incommodas, et aliquid erroris habentes, Sicut initio statim conditae sunt ceremoniae, quae secum traxerunt falsas opiniones.

Ut Ambrosium existimo esse verum membrum Ecclesiae. Is tamen inquit de ieiunio quadragesimae: Caetera ieiunia sunt voluntatis, hoc necessitatis est. Haec opinio est stipula addita doctrinae fidei.

Sic Basilius addidit monasticen, tanquam stipulas, et laudat hoc genus vitae immodicis et falsis praeconiis, cum quidem ab Episcopo suo reprehenderetur. Quod autem non sit leve erratum, instituere novos cultus, saepe monet scriptura, et satis significat haec una sententia: Frustra colunt me mandatis hominum. Grave peccatum est contra primum praeceptum, cultus non mandatos a Deo instituere, aut approbare. Nam primum praeceptum cum prohibet alienos Deos, etiam prohibet alienos cultus.

Cyprianus urget poenas canonicas, quarum tunc erat usus, et confirmat opiniones, quasi sint necessariae, et propter eas remittantur peccata, Interdum inquit absolutionem sine illis inutilem esse. Fortasse sentiebat commodius, quam locutus est. Tamen illi errores non sunt leves, sed admodum densae stipulae, obscurantes puram doctrinam de beneficiis Christi, et de fide.

Porro saepe Scriptores commodius senserunt, quam loquuntur, quia plerique fuerunt admodum in docendo negligentes et improprii, et multas sententias ac formulas a vulgo mutuantur, in quibus aliquid inest errorum, Ut nomen satisfactionum sumit Augustinus a vulgo, etiamsi errores de satisfactionibus palam reprehendit. Torquet se in hac sententia interpretanda, Omne peccatum est voluntarium, ubi disputat de peccato originis, cum tamen sententia sit civile dictum, de externis delictis traditum.

Sic vocant coenam Domini oblationem, populi more, cum non sit instituta oblatio, sed Christus ipse fuerit Sacerdos, suum offerens sacrificium. Ac ne fiebat quidem olim in ceremonia Coenae, oblatio corporis et sanguinis, sed ante consecrationem offerebantur panes, et aliae res, et Sacerdos dicebat se offerre preces, gratiarum actionem, et totum cul-

tum, qui ibi fieri solet. Etsi igitur oblatio non uno modo intellecta fuit, tamen postea nomen detortum est ad oblationem corporis, unde secuti sunt ingentes abusus.

Dionysius in eo libro, qui continet ceremonias Ecclesiae, cum ritum Synaxis diligenter describat, tamen prorsus nullam facit mentionem de oblatione corporis dominici. Nec Canon Basilii continet hanc oblationem. Sed postea dicam plura de coena Domini. Haec tantum addidi, ut ostenderem veteres interdum mutuatos esse sermones incommodos a populo, ut fieri solet omnibus aetatibus.

Interdum vincuntur iudiciis et exemplis multitudinis, quae non est pia, ut trahantur in superstitiones aliqua humana imaginatione, ut in Synodo Nicena, nisi unus Paphnutius obstitisset, fuisset approbata sententia illorum, qui volebant decretum fieri, ut sacerdotes abstinerent a suis uxoribus. Sic Cyprianum et multos alios vicit consuetudo, ut probarent prohibitionem coniugii.

Item, tota Synodus Nicena consensu multitudinis aut temporis victa, approbavit canones poenitentiae, qui postea pepererunt non tolerandos errores. Magna exempla etiam pios saepe fallunt, sicut Antonii exemplum multis offudit caliginem. Hactenus dixi de piis, qui etiamsi sunt sancti, tamen plurimi sunt infirmi. Addam nunc de lapsis.

Interdum pii prorsus labuntur, et amittunt Spiritum sanctum, sicut Origenem iudicio prorsus fuisse lapsum, praesertim si affirmavit illos prodigiosos errores, Quod fuerint innumerabiles mundi, Quod Diaboli postremo sint salvandi. Tertullianus etiam impie damnat secundas nuptias, fortassis autem resipuerunt. Multi enim vere lapsi in vita et doctrina, tamen resipiscunt. Et saepissime fit, ut sancti vere labantur, nec iudicent iuxta verbum, et spiritualem lucem, sed decipiantur imaginatione rationis, qui tamen deinde resipiscunt. Sicut Gedeon prorsus lapsus est, humano consilio instituens cultum.

Ex his omnibus sequitur conclusio: Etsi vera Ecclesia, quae est exigua, retinet articulos fidei, tamen illa ipsa vera Ecclesia potest habere errata, obscurantia articulos fidei. Praeterea multi ita labuntur, ut approbent prorsus impios errores, contra articulos fidei, etiamsi fortassis aliqui resipiscunt.

Primum igitur, cum autoritas Ecclesiae allegatur, quaerendum est, an fuerit verae Ecclesiae consensus, congruens cum verbo Dei.

Deinde dicendum est, Scriptores qui extant, saepe lapsos esse, et fortassis aliquos ne quidem membra Ecclesiae esse.

Tertio addendum est aliud discrimen, In illo coetu, qui vocatur Ecclesia, est ingens multitudo impiorum, quorum plerique antecedunt caeteros autoritate, specie religionis, opinione doctrinae, Quales fuerunt in populo Iuda, tempore Hieremiae, Pontifices et sacerdotes impii, qui et ipsi contra Hieremiam allegabant autoritatem sedis ac legis, et promissiones: Non peribit Lex a sacerdotibus, negabant suum coetum errare posse, cum tamen prorsus errarent, et dissentirent a Hieremia. Item, tempore Christi erant paucissimi pii, videlicet, Zacharias et Simeon.

Porro cum impia multitudo dominatur in Ecclesia, constituit nomine Ecclesiae multa falsa et impia. Talis multitudo amplexa est applicationem Missarum pro vivis et mortuis, cultus votorum et sanctorum, postea exemplum nocuit piis. Talis multitudo etiam in Synodo constituit, divellenda esse coniugia sacerdotum. Saepe autem accidit in Ecclesia, ut impii, excellentes ingeniis, sumant impetus constituendi religionem humana sapientia, qui cum non moveantur verbo Dei, sed ducantur rationis imaginatione, et quaerant concinnas opiniones, gignunt impia dogmata, sicut Samosatenus, Arius, Pelagius. Alii quaerunt merita, aut quaerunt speciosum regimen, et εὐταξίαν populi, et his causis moventur ad instituendos et cumulandos cultus, ut Monachi et Gregorius, et hoc tempore Pontifices, Principes, et multi viri docti, cupientes constituere Ecclesiam, moventur humana sapientia, et omisso verbo Dei, volunt Ecclesiam iuxta suas imaginationes constituere, Nec vident esse horribilem impietatem, discedere a verbo Dei, quaerere Deum sine verbo, cultus instituere humano arbitrio, sine mandato Dei, vera dogmata mutare, et opprimere puritatem verbi Dei.

Cum igitur obiicitur autoritas Ecclesiae, ut de Missarum applicatione, Ecclesia non errat, Ecclesia tot seculis applicavit Missas, Igitur mos est servandus.

Respondendum est ad maiorem: Ecclesia universa, quae est multitudo dominantium in Ecclesia, potest errare, sicut errabant Pontifices, et sacerdotes, Ieremiae aut Christi tempore. Et quanquam praeter illam multitudinem sunt aliqui pii, qui retinent articulos fidei, tamen hi quoque moti exemplis assentiuntur quibusdam erroribus. Ita fit, ut articulos fidei minus puros retineant, Sicut videtur Bernhardus commodius sensisse, quam caeteri, etsi multis erroribus assensit, ut abusui Missarum, potestati Pontificiae, votis, cultui Sanctorum.

Non igitur multitudinis autoritas alleganda est contra verbum Dei, sed redeundum ad regulam: Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema sit. Prima sit autoritas verbi divinitus traditi. Deinde illa est Ecclesia existimanda, quae cum verbo illo consentit, ut inquit Christus: Oves meae vocem meam audiunt, et Augustinus: Quaestio est, Ubi sit Ecclesia? quid ergo facturi sumus? In verbis nostris eam quaesituri sumus, an in verbis capitis sui, Domini nostri Iesu Christi? Puto quod in illius verbis quaerere debemus, qui veritas est, et optime novit corpus suum.

Sed hic obiicitur: Si repudiatur autoritas Ecclesiae, conceditur deinde nimis magna licentia petulantiae ingeniorum, nam reiectis Ecclesiae sententiis, multi excogitabunt novas et impias interpretationes Scripturae. Hoc periculum cum non sit contemnendum, et prosit illam licentiam coërcere, rursus videndum est, quatenus requirenda sit autoritas Ecclesiae. Servetus enim, cum renovat impium errorem Samosateni, et negat verbum intelligi personam in hoc dicto: In principio erat verbum, magnifice praedicat autoritatem Scripturae, iubet hanc anteferri Ecclesiae decretis. Deinde callide disputat sermonem simpliciter intelligendum esse, Cum autem verbum in communi hominum sermone non significet personam, negat apud Iohannem intelligendam esse personam, ut si Demosthenes hoc dictum legeret: In principio erat verbum, certe non cogitaret intelligi personam aliquam.

Quaero igitur, an adversus tales non prosit opponere autoritatem Ecclesiae? Hic respondeo: Sicut Evangelium praecipit audiri Ecclesiam, ita semper dico, eum coetum, penes quem fuit verbum Dei, et qui dicitur Ecclesia, audiendum esse, sicut iubemus quoque audiri nostros Pastores. Audiamus igitur docentem et admonentem Ecclesiam, sed non propter autoritatem Ecclesiae credendum est, Nam Ecclesia non condit articulos fidei, tantum docet ac admonet. Verum propter verbum Dei credendum est, cum videlicet admoniti ab Ecclesia, intelligimus hanc sententiam vere et sine Sophistica, in verbo Dei traditam esse.

Fortassis Demosthenes non cogitaret de persona, si legeret: In principio erat Verbum. Sed auditor admonitus ab Ecclesia, quod verbum significet personam, scilicet Filium Dei, adiuvatur iam ab Ecclesia, docente et admonente, et articulum credit non propter Ecclesiae autoritatem, sed quia videt hanc sententiam habere firma testimonia in ipsa scriptura, videt de quadam persona dici, quae assumta humana natura in mundo, conversata est cum hominibus. Hanc personam videt adpellari λόγον, Colligit testimonia apta et firma de duabus naturis in Christo. Scit enim de natura Dei credendum esse voci coelesti, ac summam impietatem esse, comminisci opiniones de natura Dei, sine ipsius testimonio, 2. Petr. 1. Et Matth. 17. Hunc audite.

Item, valet prima Ecclesia, ut testis Apostolorum. Loquor autem de dogmatibus, non de humanis traditionibus, Nam dogmata volebant esse firma et perpetua. Ritus humanos non volebant esse perpetuos aut immutabiles. Nec errabant Apostoli in doctrina. Ideo prodest tenere, ubi allegent vetustissimi Scriptores autoritatem Apostolorum.

Ut de Trinitate citant eos Origenes, Tertullianus, Irenaeus, Gregorius Neocaesariensis, Alexander Episcopus Alexandrinus, et alii multi, qui cum testentur doctrinam de Trinitate ab Apostolis acceptam esse, valde confirmant pios. Itaque talia testimonia non sunt aspernanda.

Dixi autem audiendos esse Scriptores, sicut nunc quoque dicimus, audiendos esse Concionatores, quia aliqui manent in Ecclesia, qui retinent veritatem, alias purius, alias impurius. Sed addendum est, ut auditi iudicentur ex verbo Dei, quod semper manet Regula doctrinae.

Exempla.

Augustinus de peccato originali acrius contendit quam reliqui. Docet igitur et monet, cumque videamus eum vere et sine sophistica recitare sententiam Scripturae, credimus Articulum non propter Augustinum, sed propter verbum Dei, et videmus idem sentire superiores, etiamsi hunc Articulum non tam copiose aut tam perspicue tractarunt.

Aliud.

Petrus Alexandrinus Episcopus, contra Meletium, contendit lapsos recipiendos esse, et allegat veterum autoritatem. Nam haec verba recitat Epiphanius, ut doctrina, quae ad nos usque pervenit, tradit: Docet igitur et monet Episcopus ille Alexandrinus, recipiendos esse lapsos. Id credimus non propter hunc Episcopum, sed quia videmus hanc sententiam traditam esse in verbo Dei, et accedant testimonia veteris Ecclesiae.

Idem de Synodis dico, Audiendas esse Eccle-

siae Synodos, quae, cum de verbo Dei disputant, docent et monent nos, sed iudicium accedat, et cum vera tradunt, credamus propter verbum Dei, ut Nicena Synodus pie et utiliter docuit, et admonuit omnem posteritatem de Filio Dei, Sed Articulum credimus non propter Synodum, sed quia videmus sic traditum esse in verbo Dei.

Caetera, quae sunt extra Scripturas, non sic amplectenda sunt, ut Synodus Nicena condidit Canones poenitentiae, qui sunt traditiones humanae extra Scripturam, et fuerunt semina multarum superstitiosarum opinionum.

Samsonis convivae non poterant interpretari aenigma in convivio propositum, nisi interrogata eius coniuge. Quare Samson inquit: Nisi arassetis vitula mea, non invenissetis meam quaestionem. Sic circumspiciendum est, ubi sit coetus, qui habet verbum Dei, et videndum, qui coetus patrum ac Synodorum sit purior, hoc est, minus habens opinionum extra verbum Dei. Haec Ecclesia docet, monet, testatur. Sed videndum est, an ea quae proponit, habeant firma testimonia verbi Dei.

Ac profecto pios fateri decet, Patres bene meritos esse de posteritate, qui acerrimis contentionibus propugnaverunt, et retinuerunt pia dogmata. Id beneficium non est leve ducendum. Huc pertinet Augustini dictum: Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae moveret autoritas. Non sentit Augustinus, maiorem esse Ecclesiae autoritatem, quam verbi divini, aut Ecclesiam posse abolere articulos in verbo Dei traditos, Sed sentit Ecclesiam esse doctricem et testem. Non crederemus Evangelio, nisi Ecclesia doceret nos, et testaretur, hanc doctrinam ab Apostolis traditam esse.

Valet etiam hoc dictum ad refutanda nova dogmata, quae nunquam in Ecclesia extiterunt, Sicut Manichaei nova deliramenta excogitaverunt. Nam dogmata necessaria pietati, necesse est initio extitisse in praedicatione Apostolorum. Ergo nova et prorsus ignota Ecclesiae Apostolicae sunt reiicienda. Sed de dicto Augustini alias disputatum est copiosius. Certe non concedit Ecclesiae autoritatem statuendi contra verbum Dei, aut abolendi articulos in verbo Dei traditos, aut condendi novos articulos fidei.

Catalogus.

Aliquot Synodorum et Patrum exempla colligam, ut appareat in illis contineri dissimiles materias, ne sine discrimine omnia omnium dicta, aut omnes Veterum ritus pro necessariis recipiantur. Sicut inepti quidam ita admirantur antiquitatem, ut omnes veteres ritus humanos velint restitui, Perinde, ac si nunc velint Spartani omnes veteres ritus suae Reipublicae restituere, cum ritus ab hominibus excogitati, partim sint vitiosi, partim, etiamsi sunt probabiles, tamen non omnibus temporibus congruant.

Synodus Neocaesariensis vetat, ne Sacerdotes accedant ad convivia secundarum nuptiarum, ne eas videantur approbare. Tales ridiculae constitutiones multae, bonis admixtae sunt. Quare delectus habendus est, nec temere omnibus dictis veterum applaudendum.

Anno Domini 324. Nicena Synodus a Constantino convocata est, in qua praefuit Antiochenus Episcopus Eustathius. In hac Synodo gravissimae controversiae dogmatum diiudicatae sunt, et recte damnati sunt errores Samosateni et Arii, Item Catharorum, qui lapsos negabant recipiendos esse, ac negabant eos consequi remissionem peccatorum.

Postea politica quaedam ordinata sunt, de gubernatione Ecclesiarum, ut Alexandrinus Episcopus praeesset Ecclesiis Orientis, et Romanus Ecclesiis nationum vicinarum. Item, ut Episcopi ordinentur a vicinis Episcopis. Haec politica etsi sunt utilia, tamen non volebant haberi pro articulis fidei.

Tertio, Addiderunt quaedam ceremonialia, videlicet Canones poenitentiae, ut vocabant qui initio minus duri erant, et fortasse minus habuerunt superstitionum. Sed postea crevit unus ipsum, et crevit superstitio, et est obscurata gratuita condonatio. Quare in hac re Patres non satis cauti fuerunt, Cumque eventus postea ostendit talibus exemplis superstitiones crescere, non ita miremur in hac re Synodum, ut velimus illos Canones aut approbare, aut restituere. Nec propterea dissentimus a veteri Ecclesia, retinemus articulos Synodi de dogmatibus, quae proprie ad Ecclesiam pertinent. Caetera, quae sunt extra vel contra verbum Dei, non pertinent ad Ecclesiam.

Anno Domini 383. Constantinopolitana Synodus a Theodosio convocata est, in qua praefuit Episcopus Constantinopolitanus, controversia gravis diiudicata est de Spiritu sancto, quod sit persona procedens a Patre et Filio, et sit Deus, et recte damnati sunt Eunomius et alii, qui contrarium senserant. Sunt et politica quaedam ordinata, ne Episcopi in alienis Dioecesibus aliquid administrent.

Anno 433. Ephesina Synodus convocata est a iuniore Theodosio, in qua praefuit Cyrillus Alexandrinus. Haec Synodus recte damnavit Nestorium, qui negabat in Christo unitum esse verbum humanae naturae, substantiali unione, sed tantum adesse verbum, et inhabitare in humana natura, velut hospitem in domicilio, ut ibi esset efficax.

Haec fuit magni momenti controversia. Nam in Christo vere et substantialiter unitae sunt duae naturae, Nec verum est, humanam naturam solam esse Christum, ac domicilium esse verbi assistentis, Inde urserunt pii has formas loquendi de unitate personae, Deum esse natum, passum etc. Etsi autem Nestorius negabat se cum Somosateno sentire, tamen suspicor eum re ipsa idem sensisse, sed in speciem aliter proposuisse vetus delirium involucris tectum.

Anno 452. Chalcedonensis Synodus convocata est a Martiano Imperatore, in qua recte damnatus est Eutyches, qui negavit etiam duas naturas in Christo, ac contendit ipsam verbi naturam divinitus missam, editam esse per virginem, nec duas esse naturas unitas, Videtur et hic renovasse delirium Samosateni, sed alio involucro propositum. Hoc iudicium Synodi laudandum est.

Caeterum creverant iam in Ecclesia humanae traditiones. Ideo aliquas addidit haec Synodus vitiosas constitutiones, non de dogmatibus, sed de ceremoniis et cultibus extra Scripturam, et tamen adhuc sunt verecundiores hae constitutiones, quam aliae postea natae. In hac Synodo primum facta est constitutio, quae prohibet nuptias Monachis et virginibus, quae vota fecerunt, et excommunicat tales contrahentes connubia, quanquam addit mitigationem, posse et hoc concedi iudicio Episcopi.

Verum multa politica utiliter tunc constituta sunt, ne Episcopi ipsi tenerent administrationem facultatum Ecclesiasticarum, sed ut Ecclesiae haberent Oeconomos, Ne quis plura ministeria teneret. Item, ne quis sine ministerio ordinaretur. Item, ut in singulis provinciis Episcopi quotannis conveniant, et Synodos habeant de praesentibus Ecclesiae controversiis.

Haec utilia decreta Synodorum adversarii dissimulant, ac interim alia leviora proferunt, ut videantur nobis opponere veteris Ecclesiae autoritatem.

Fuerunt interim et aliae Synodi, seu provinciales, seu frequentiores, in quibus convenerunt vicinarum provinciarum Episcopi. Talis fuit Synodus Antiochena ante Nicenam, convocata adversus Samosatenum, quae pie et recte damnavit Samosateni impietatem. Talis item fuit Synodus Gangrensis in Galatia, vetus et pura, habet optima decreta contra superstitiones de coniugio, de cibis, de monachatu. Et apparet, hanc Synodum convenisse propter Montanum, Marcionem, et similes, qui illas superstitiones valde auxerunt.

Secutae sunt aliae posteriores, ut Anchirana, quae habet hanc constitutionem memorabilem, si diaconi in ordinatione non promiserint se victuros coelibes, retinendi sunt in ministeriis, etiamsi postea ducunt uxores, sed si promiserint, et postea tamen duxerint uxores, removendi sunt a ministerio. Habet et alios Canones de annis poenitentiae periculosos et superstitiosos.

Laodicena recte damnat Novatianos, sed errat taxans digamos etiam laicos, iubet eos prius puniri, quam admittantur ad communionem, prohibet etiam baptismum post duas septimanas quadragesimae. Caetera politica sunt honesta, ut cum prohibet nuptias cum haereticis. Haec Synodus non longo intervallo secuta est Nicenam.

Sub Honorio Imperatore fuit Toletana prima Synodus, quae continet multa capita utilia de doctrina. Nam pie recenset articulos de divinitate et naturis Christi, et alios quosdam. Postea quaedam attexit politica, et ceremonias de chrismate, et de votis, Haec Synodus prohibet Diaconos evehi ad munus presbyteri, si non abstineant a legitimis uxoribus. Item, excommunicat parentes, qui filias votis obligatas, si nubant, parentum affectu complectantur. Item, ipsas nuptas non admittit ad communionem, nisi discedentes a maritis.

Carthaginensis quinta anno 438. habita, prohibet Episcopis, Presbyteris et Diaconis consuetudinem legitimarum coniugum. Ita paulatim cumulata est prohibitio. Antea Diaconis concessa erat consuetudo cum uxoribus, ut testatur Anchirana Synodus. Postea secuta est prohibitio. Et hae constitutiones de coelibatu, subinde in omnibus Synodis repetuntur, et adduntur acerbiores poenae, sicut quaedam Toletana Synodus constituit, ut facultates mulierum vendantur, si redeant ad viros.

Porro haec Carthaginensis Synodus continet et aliam memorabilem constitutionem, de sacellis, de aris Sanctorum, ubi non sunt corpora eorum condita. Has aras et sacella iubet Episcopus demoliri, aut si metuant tumultus, iubet eos in concionibus populum dehortari, ne ad illa loca acce-

dant. Apparet aliquos crescentem superstitionem in cultu Sanctorum voluisse prohibere.

Synodus Carthaginensis anno 457. egit de provocatione Episcoporum. Romanus Pontifex postulavit, ut concederetur provocatio, ubicunque aliquis ad Romanum provocasset, Idque ut obtineret, commisit falsum, citavit commenticium decretum, quod affirmabat in eam sententiam editum esse in Nicena Synodo. Postea ex Constantinopoli petitis exemplis deprehensa est vanitas, et repudiata petitio Romani Pontificis. Huic Synodo interfuit Augustinus. Talibus artificiis Romani Pontifices viam sibi ad primatum struxerunt. Hoc exemplum monet, ne ita miremur antiquitatem, ut eam omnibus vitiis liberemus.

Carthaginensis quarta, decretum continet de precatione et oblatione pro mortuis his verbis: Poenitentes, qui diligenter servarunt Canones poenitentiae, si casu moriantur ante communionem, commendetur eorum memoria precationibus et oblationibus. Illa aetas nondum habebat privatas Missas, sed tamen paulatim superstitio creverat. Hic Canon non recipit mortuos, nisi diligenter servatis ritibus poenitentiae. Item addit morem de oblationibus.

Tractavit causam gravissimam Synodus Milevitana, cui interfuit Augustinus, et recte defendit piam doctrinam de peccato originali, de gratia et de iustificatione. Habet et politica quaedam, in quibus haec sunt memorabilia. Vetat provocationem ad transmarinos Episcopos. Hoc decretum nunc ne Romanus quidem Pontifex reciperet. Vetat item ab Imperatore peti Iudices non Episcopos. Id illis temporibus congruebat, nunc esset durum. De divortio etiam sanxit, ne persona innocens rursus contrahat matrimonium, et addit petendum esse, ut Imperator legem in eam sententiam ferat. Id quoque durius est. Nam Romae Fabiola contraxit aliud connubium, ut apparet ex Hieronymo.

Ea Synodus confirmat et superstitionem de votis, concedit velari virgines ante vigesimum quintum annum contra veteres Canones. Quanquam igitur de doctrina tolerabiliter pronuntiavit, tamen postea accedunt aliquae stipulae et superstitiosae constitutiones. Quare non omnia Synodorum decreta sine delectu probanda sunt, et tamen fatendum est, pias Synodos bene meritas esse, quia aliquos doctrinae Christianae articulos conservaverunt, et de his prodest tenere Synodorum et antiquitatis testimonium.

DE ECCLESIASTICIS SCRIPTORIBUS VETUSTIS.

Hi quoque bene meriti sunt, praesertim quatenus sunt testes veteris et primae Ecclesiae Apostolorum. Confirmant enim nos suo testimonio, De Trinitate, De naturis in Christo, De baptismo infantum, De usu coenae Domini, De ordinatione ministrorum, De coniugio ministrorum, De usu indifferentium, De poenitentia lapsorum. De his articulis omnibus citantur memorabilia exempla Apostolorum, quae nobis patrocinantur.

Caeterum Scriptores alii in aliis materiis fuerunt diligentiores, et, ut est humanum, saepe inconsiderate effundunt absurdas et falsas sententias, quas admoniti haud dubie fuerant correcturi. Saepe cum non male sentirent, tamen non satis perspicue dicere potuerunt, quod volebant. Saepe propter temporum consuetudinem praesentes traditiones durius defenderunt. Aliquas etiam falsas opiniones interdum habuerunt. Quare non sunt sine delectu omnia Patrum scripta probanda, et saepe ipsi inter sese pugnant, nec rarum est dissentire aliquem a se ipso. Quare iudicium esse debet penes Apostolicam scripturam: Sed subiicio exempla.

De origine.

Origenes citans Apostolorum et veterum Ecclesiarum exempla et sententias, est testis utilis posteritati de aliquot articulis, De Trinitate, De duabus naturis in Christo, De baptismo infantum, De peccato originali, De usu coenae Domini, et de aliis quibusdam.

Caeterum miscuit suis scriptis multas falsas et absurdas sententias, quarum aliquas etiam ipsius aetas improbavit. Fingit ante hunc mundum fuisse plures mundos, Fingit Diabolorum et damnatorum poenas cessaturas esse. Haec ipsius aetas etiam reprehendit.

In Rom. tractans hanc propositionem, Fide iustificamur, non ex operibus, intelligit eam *κατὰ συνεκδοχὴν*, fide sumus iusti, id est, perfecta fide complectente omnes virtutes, Idque declarat, dicit idem posse dici de caeteris virtutibus. Misericordia sumus iusti, scilicet perfecta, complectente caeteras virtutes. Hoc nihil aliud est dicere, quam homines propter opera et propter virtutes suas habere remissionem peccatorum, et iustos esse. Cumque non attendat, quid agat Paulus, quid vocet fidem,

quid sibi velit illa exclusiva, Non ex operibus, addit enarrationes confusas et perplexas, nec sibi constat.

Interdum enim effundit aliquod tolerabile dictum, sed id postea mox corrumpit, quale illud est Rom. 4. Initium iustificationis a Deo est fides, quae credit in iustificantem, et haec fides, cum iustificata fuerit, tanquam radix imbre suscepto, haeret in animae solo, ut cum per legem Dei excoli coeperit, surgant in eo rami, qui fructus operum ferant, Non ergo ex operibus radix iustitiae, sed ex radice fructus operum crescit, illa scilicet radice iustitiae, qua Deus acceptam fert iustitiam sine operibus.

In 3. capite: Ubi est gloriatio tua? Videtur iam propior esse Paulinae sententiae, admittit exclusivam, homines sola fide iustificari, et allegat latronem in cruce, et mulierem apud Lucam: Fides tua salvam te fecit. Sed postea declarans illa, videtur hoc velle, hominem initio consequi remissionem peccatorum sola fide. Postea iustum esse caeteris virtutibus, sicut ipse postea inquit: Fides reputatur ad iustitiam ei, qui convertitur, sed postea iustitia reputatur ad iustitiam, porro mira varietas et perplexitas est enarrationis, etiamsi largitur hominem initio sola fide consequi remissionem peccatorum, tamen postea imaginatur conversos sine peccato esse propter caeteras virtutes, dissentit a Paulo et a reliquis scripturis divinis, iuxta illud: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Item: Si dixerimus, quod peccatum non habeamus etc.

In cap. 7. clare dicit, Sanctos repraesentare alienam personam, cum sibi tribuunt peccatum, ut apud Danielem: Non in iustificationibus nostris, sed in misericordia tua exaudies nos. Tales sententias corrumpit, et docet fiduciam propriae iustitiae vel desperationem. Cap. 3. inquit: Sine lege manifestata est iustitia Dei, id est, sine lege naturali sunt traditae novae leges Evangelicae, ut illa: Nesciat dextra, quid faciat sinistra, Haec inquit, lex erat ante ignota. Item: Lex est spiritualis, intelligit tantum de allegoria, id est, ceremoniae habent allegoriam et saepe incommode spiritum intelligit, non de Spiritus sancti motibus, sed tantum de interpretatione vel cogitatione allegorica.

Cap. 8. Quod erat impossibile legi, quia infirmabatur per carnem, Transfert carnem ad legem, Caro legis erat infirma, id est, ceremoniae erant impossibiles, inutiles etc. At Paulus carnem intelligit naturam hominis, Lex infirmabatur per carnem, id est, non poterat fieri ab humana natura. Hi loci ostendunt Origenem currere extra viam, nec attendere, quid agat Paulus.

Possem multa levia colligere, ut cum Petrum ait excellere caeteris, quia ei dicitur numero plurali: Erit solutum in coelis, Ad totum coetum Apostolorum dicitur numero singulari: Erit solutum in coelo, Sed haec futilia omitto. Caeterum eruditis et iudicium adhibentibus prodest vetera scripta legere, primum propter historica testimonia, deinde, quia illorum collatio acuit et exercet studiosos. Ita proderit et Origenis lectio iis, qui antea recte instituti sunt, et summam Christianae doctrinae tenent.

De Dionysio.

Unus est Libellus Dionysii de Ecclesiastica Hierarchia, qui propter historiam est utilis. Caeteri continent otiosas speculationes. Illic autem traduntur ceremoniae Sacramentorum, et ritus Ecclesiae, et apparet mediocres adhuc fuisse ceremonias illo tempore. Praecipue autem ritus Missae ibi considerandi sunt, ut appareat recentiores in Ecclesiae Papae procul recessisse a veteri forma. Psalmi quidam et lectiones ex Evangelio recitabantur, dicebantur preces pro Ecclesia et Republica. Postea Presbyter stans ad aram, recitabat verba Christi de coena Domini. Deinde distribuebat populo Sacramentum. Sequebatur gratiarum actio. Hic fuit ritus Missae, unde manifestum est Missam tantum fuisse communionem, nec fuisse ullas privatas Missas. Quin et illud mirandum est, quod nec mentio fit oblationis, ne ritum quidem recenset offerendi. Haec apud Dionysium praecipue prodest observare, ut antiquitatem opponamus iis, qui defendunt abusus Missarum.

Recenset baptismum, Chrisma, communionem, ut dixi, ordinationem presbyterorum, et eorum, qui vota faciebant, et unctionem mortuorum, ubi narrat, quales fuerint ceremoniae funerum, cum cadaver in templo collocatum esset, praesente populo recitabantur aliquae lectiones ex sacris literis de resurrectione. Deinde iubebatur populus gratias agere in precibus, quod hic pie decessisset in agnitione Evangelii. Addebatur adhortatio, ut sibi quisque precaretur piam exitum ex hac vita. Hic mos fuit plenus pietatis, et laude dignus. Quae enim possunt maiora beneficia cogitari, quam in illo ingenti agone retinere Christi agnitionem, adiuvari a Christo et salvari. Hanc ceremoniam meliorem recentior aetas prorsus abolevit, retentis et cumulatis deterioribus.

Addit autem Dionysius, post hanc adhortationem, abiisse presbyterum, et perfudisse oleo cadaver, et precatum esse, ut Deus ei condonaret infirmitatem, quae in eo reliqua fuisset post conversionem. Postea cadaver condebatur in terram. Hae tantum funerum fuerunt ceremoniae tunc quidem, nondum in Missa fiebat defunctorum mentio, Multo minus offerebatur corpus Domini pro mortuis. Hanc prophanationem sacramenti posterior aetas addidit.

Hactenus de Dionysio, in quo etsi ceremoniae aliquanto minus vitiosae sunt; tamen sunt initia Monachatus, et hoc gravi reprehensione dignum est, quod non discernit inter Sacramenta divinitus instituta, et humanas traditiones. De Chrismate perinde loquitur ut de Baptismo, et aequat πάρεργα ἔργοις, ut ita dicam. Monachorum ordinationem etiam antefert ordinationi ministrorum, quod est valde vituperandum, cum ordinatio ministrorum pertineat ad praedicationem Evangelii. Illa vero Monachorum ordinatio sit superstitiosa, et tantum fiat propter cultum prohibitum iuxta illud: Frustra colunt me mandatis hominum. Et tamen ibi Monachatus vocatur perfectio. Ergo valeant eius testimonia, quod ad historiam attinet, ut sciamus, qui ritus tunc fuerint usitati, non fiant dogmata aut leges ex eius descriptionibus.

De Tertulliano.

Tertullianus recte confutavit Marcionem et reliquos eius factionis haereticos. Continet utilia Testimonia de Trinitate, recitans non suam sententiam, sed veterem acceptam ab Apostolis. Adversus Praxeam extat luculentum testimonium de verbo, hoc est, de Filio Dei, quod sit persona, etiam antequam adsumpsit humanam naturam.

Caeterum et veteres reprehendunt quaedam eius errata, videlicet, quod secundas nuptias damnat, et ridicule argumentatur: Non licet fratris mortui uxorem ducere, Ducens viduam relictam a Christiano, ducit fratris mortui uxorem, Ergo non recte facit.

Ludit etiam de regno Sanctorum, quod fingebant duraturum esse mille annos in hac corporali vita, ante mundi conflagrationem et ante ultimum iudicium, paulatim aliis citius, aliis tardius resurgentibus. Hoc Iudaicum deliramentum prorsus explodendum est ex Ecclesia.

In Libello de corona militis multa dicit de ritibus humanis, et durissime declamitat de consuetudine, habendam eam esse pro lege. His dictis in Ecclesia male detortis, ut fit, confirmarentur ingentes errores omnibus aetatibus, quia nunquam tanta est vigilantia hominum, ut non obrepant aliquae vitiosae consuetudines.

Recenset autem Tertullianus admodum pueriles mores, ne post Baptismum primis septem diebus eatur in balneum. Item, ut baptizas praebeatur gustandum lac et mel. Ibi inquit etiam: Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annua die facimus. Id nunc impie detorquent adversarii nostri ad Missas pro mortuis. Cur natales omittunt, si tantum tribuunt autoritati Tertulliani? Sed ille non loquitur de coena Domini. Verum in diebus natalibus et funerum adferebantur in templa cibi, et alia munera pauperibus. Haec vocabant oblationes et ἀγάπας, et mos erat ab ethnicis acceptus, sed nonnihil correctus. Nam Ethnici dabant epulas etiam in templis, in natalibus et funeribus, ac postea Nicena Synodus et aliae prohibuerunt hanc pompam natalium.

Ergo ut de caeteris dictum est, testimonia historica in Tertulliano prosunt, ubi commemorat, quid senserit prior Ecclesia: Sed eius enarrationes et disputationes non recipiantur tanquam dogmata, nisi quatenus consentiunt cum Apostolica scriptura.

De Cypriano.

Cyprianus vixit circiter annum Domini 260. Continet utilia testimonia, De Trinitate, de Baptismo parvulorum, De usu coenae Domini, et de forma electionis Episcoporum, quos scribit electos esse a coetu Ecclesiae, et eam electionem comprobatam esse adhibitis aliquibus vicinis Episcopis.

Sed veteres etiam taxarunt Cyprianum, quod sentit baptizatos ab haereticis rursus baptizandos esse. Effundit inter declamandum interdum absurdas sententias, cum exaggerat immoderatis hyperbolis causam, quam instituit, Ut de poenis Canonicis admodum duriter scribit, ait non valere absolutionem, nisi illae poenae fuerint persolutae. Hoc dictum quantum habeat incommodi, non est obscurum.

Vehementer etiam declamitat de coelibatu, etsi eum quidem locum mitigat, iubet contrahere con-

fugia illos ipsos, qui vota fecerant, si non servent promissum. In libello de eleemosyna inquit: peccata ante baptismum commissa remitti propter Christi passionem, sed post baptismum quaerendam esse remissionem per eleemosynas. Idem repetit de lapsis, consumptum esse beneficium Christi in baptismo, postea per eleemosynas quaerendam esse remissionem. Haec sunt plena absurditatis, quae admonitus haud dubie correxisset, Non igitur dicta ipsius omnia pro dogmatibus habenda sunt.

De coena Domini solet uti verbis oblationis et sacrificii, sicut caeteri, qui dicunt promiscue: Offerimus orationes, Offerimus panem, vinum, Offerimus corpus et sanguinem Christi, Nam id quoque reperitur apud Cyprianum. Hinc adversarii nostri sumunt testimonia, ad defendendam prophanationem Coenae Domini in Missa privata etc.

Magna vis est consuetudinis, et hanc sequentes saepe improprie loquuntur homines, Ut nunc Missam dicimus, cum nulli nota sit nominis etymologia. Ita veteres retinuerunt vocabula oblationis et sacrificii, non admodum curantes etymologiam, aut propriam significationem. Et quia vidit Augustinus aliquid in his appellationibus esse incommodi, ipse leniit, Sacrificium, inquit, dici pro memoria sacrificii, et oblationem pro memoria oblationis. Hae sunt metonymiae, ut dicimus, Pascha pro memoria, seu signo transitus. Sed nolo argute vel interpretari vel excusare locutionem usitatam illius temporis. Sic enim populus loquebatur, qui interdum recipit impropriam vocem.

Irenaeus clare dicit hanc oblationem esse gratiarum actionem. Idem sentiebant caeteri, ut testatur nomen Eucharistiae, Quare senserunt esse ceremoniam, qua aguntur gratiae. Id nihil habet incommodi. Accipimus enim, ut admoneamur beneficii nobis donati a Christo, et fidem exuscitemus, deinde agamus gratias pro eo beneficio, nec inde sequitur, id opus pro aliis faciendum esse, aliis applicandum esse etc. Haec monstra ne quidem cogitarunt Patres. Ergo cum legimus nomen sacrificii et oblationis, intelligamus aut signum sacrificii et oblationis, aut gratiarum actionem, non affingamus applicationem pro aliis.

Interdum uno nomine vocant oblationem, totum illud negotium, quod ibi agatur, videlicet, orationes et coenam Domini, Hoc cum fit, orationes intelligantur esse oblationes.

Leguntur etiam apud Cyprianum de mortuis quaedam verba, quae recentiores male detorquent, Sacrificia pro eis offerimus, sed haec dicit de Martyribus. Horum enim fiebat mentio in precationibus, cum agerentur gratiae Deo, quod illos adiuvisset. Sicut Graecus Canon dicit: Offerimus pro Patriarchis, Prophetis, Apostolis, id est, agimus gratias, quod Ecclesiam inde usque ab initio tibi elegisti, redemisti, sanctificasti etc. Haec fuit initio sententia horum verborum, non petebatur, ut mortuis Deus relaxet poenas. Postea accesserunt tempore malae opiniones, et partim verba priora mutata sunt, partim retenta forma veterum verborum aliud intellexit posteritas, quam priores intellexerant.

Ergo testimonia antiquitatis non patrocinantur recentioribus abusibus, quae partim aliena sunt a praesentibus moribus, partim si quid habent vitii, non debent opponi firmis testimoniis scripturae, quia etiam reliquae aetates habuerunt sua incommoda. Haec simplicissime sine sophistica respondeo ad verba oblationes et sacrificii.

De Basilio.

In Basilio extant utilia testimonia, De Trinitate, et de poenitentia, contra Novatum. In concione de humilitate tradit egregiam sententiam de iustitia fidei, quae nobis aperte patrocinatur. Sine ulla Sophistica detrahit iustificationem bonis operibus, nec loquitur de ceremonialibus, sed de omnibus virtutibus, nec tantum loquitur de operibus ante renovationem, sed de virtutibus in renovatis, ac iubet sentire, quod sola fiducia misericordiae propter Christum promissae iusti simus.

Verba eius haec sunt:

Dicit autem Apostolus: Qui gloriatur, in Domino glorietur, dicens, quod Christus nobis factus sit sapientia a Deo, iustitia, sanctificatio, et redemptio, ut sicut scriptum est, gloriaturus in Domino glorietur. Haec est enim perfecta et integra gloriatio in Deo, quando ne quidem propter iustitiam suam aliquis effertur, sed agnoscit sibi deesse veram iustitiam, fide autem sola in Christum iustificari, et gloriatur Paulus se despicere suam iustitiam, quaerere autem fide per Christum iustitiam, quae ex Deo est.

Haec verba satis ostendunt, Basilium sic intellexisse iustitiam fidei, quod sentiendum sit nos propter Christum per misericordiam iustos, id est, acceptos esse, non propter proprias virtutes.

Caeterum, quod Basilius primum instituit coetus Monachorum, id exemplum nocuit, et aliquid habuit vitii, etiamsi ipse primum non habuit crassas superstitiones, et illi coetus adhuc quaedam imago erant scholarum. Circumferuntur et libri quidam eius nomine, qui continent Regulas Monachorum, quorum aliqui haud dubie sunt suppositicii, et longo tempore post Basilium nati. Sunt enim pleni falsarum opinionum de coelibatu, et aliis cultibus excogitatis sine mandato Dei, et continent ridiculas nugas, ut magnum acervum poenarum seu satisfactionum, quas vocat *ἐπιτίμια*, si riserit puella in choro, sedeat biduo in vestibulo, et similes naenias, quas si quis vellet renovare admiratione antiquitatis, vere insaniret.

De Gregorio Nazianzeno.

Nazianzenus tractavit articulum de Trinitate, Alia dogmata leviter attingit. Scripsit vitam Cypriani, in qua narrat, quandam puellam amatam esse a Cypriano ante conversionem, quae invocans Mariam virginem, vicerit magicas incantationes Cypriani.

Hoc exemplum citatur de invocatione Sanctorum. Etsi autem videtur esse ficta fabella, et postea sparsa titulo Nazianzeni, tamen etiamsi vera esset historia, non est citanda ad confirmandam invocationem Sanctorum, Nam errores piorum non sunt opponendi verbo Dei, et omnibus aetatibus etiam pii in Ecclesia habent suas infirmitates.

Allegant etiam ex Basilio et Nazianzeno, quod in fine concionum de Sanctis, solent eos compellare: O Athanasi ora pro nobis. Etsi autem hae Apostrophae ex Rhetoricis figuris excusari possunt, tamen fieri potest, ut more sui temporis tunc invocaverint Sanctos, Nam invocatio Sanctorum paulatim tunc in Ecclesiam irrepsit, Et errores temporum trahunt homines, ut usitata minus improbent, et boni consulant, Sicut impetus fluminum secum rapit navigantes. Nec tamen ideo approbanda est invocatio Sanctorum. Ac postquam mos crevit, et iam retecta est impietas, prorsus ex Ecclesia tolli debet. Nec Basilius de invocatione quicquam dicit, tantum ait celebrari memoriam Sanctorum, ut eorum virtutes imitemur. Et vocat Sanctos adiutores precum nostrarum, non quod sint invocandi, sed quia omnes beati in coelo orant pro Ecclesia, et eam Deo commendant.

Epiphanius scribit mulieres quasdam invocantes virginem Mariam, solitas circumferre illius statuam. Hoc totum negotium damnat, et vocat idololatricum opus. Continet enim Epiphanius refutationes veterum haeresium, praecipue de Trinitate, et paucis aliis materiis, quem quidem historicum praecipue legendum esse censeo.

De Chrysostomo.

Chrysostomi aetas multos iam vitiosos mores receperat, quos ipse recensens, non reprehendit, Sicut laudat adeuntes monimenta Sanctorum, facit et mentionem orationis pro mortuis. Monasticam immodicis et falsis laudibus ornat. In tractatu de poenitentia cum colligit multos modos consequendae remissionis peccatorum, scilicet eleemosynas, lacrymas, et alia opera, tamen non facit mentionem fidei, de qua oportuit dici, Ac scriptum illud pleraque falsa continet, et confusum ac perplexum est.

Graeci maxime laudaverunt commentarios in Paulum, ubi in locis de iustificatione et de fide series Paulinae disputationis deducit eum eo, ut saepe repetat hanc sententiam, Quod fide consequamur remissionem peccatorum propter Christum, non propter opera. Et diserte dicit, Fide non solum diligi Deum, sed vicissim credentes sentire, quod a Deo diligantur, quanquam multis modis rei sint.

In hac sententia satis significavit se intelligere fidem, non tantum de notitia historiae, sed de fiducia, qua credimus nobis remitti peccata, et quidem hanc fidem discernit ab operibus, a non furando, non occidendo etc. et dicit hunc cultum superiorem esse. Quanquam autem eius enarratio simplicior est et minus impura, quam Origenica, tamen ipsa quoque est obscura, nec ubique secum ipsa consentit.

In 7. Cap. longius currit extra septa, Ait concupiscentiam et affectus, nisi pariant externum opus, non esse peccata. Sed tamen, si quis attente et cum iudicio leget commentarios illos, multa inveniet testimonia multorum articulorum. Et quanquam tunc in Ecclesia caligo fuit, tamen apparet retinuisse plerosque hanc communem sententiam, Quod fide propter Christum, non propter opera, donetur remissio peccatorum. Ideo etsi interdum minus commode loquuntur veteres, tamen in aliis locis, quid re ipsa voluerint, animadverti potest.

De coena Domini ex Chrysostomo satis patet, nullas fuisse privatas Missas. Describit enim presbyterum stantem ad aram, et vocantem populum, ut accedat ad communionem.

In libello de dignitate sacerdotii erudite discernit civilem et Ecclesiasticam potestatem, negat Ecclesiasticam habere eius coërcendi vi corporali.

De Ambrosio.

Multas causas attingit Ambrosius, videlicet de Trinitate, contra Novatianos, de iustificatione. Et quanquam in commentariis interdum dissimiles sententiae reperiuntur, qui non tam ab ipso scripti, quam ab aliis excerpti esse videntur, tamen perspicuum est ex eius longioribus disputationibus sensisse eum de gratia et de iustificatione, quod nos docemus.

Id testatur Epistola ad Irenaeum de Paulino dicto: Lex iram efficit, Epistola 71. ubi sic inquit: Ex operibus Legis nemo iustificatur, id est, per legem peccatum cognoscitur, sed culpa non relaxatur. Veniens igitur Dominus Iesus peccatum omnibus, quod nemo poterat evitare, donavit, et chirographum nostrum sui sanguinis effusione delevit, hoc est, quod inquit: Superabundavit peccatum per legem, superabundavit gratia per Iesum Christum, sicut Iohannes inquit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata etc. Ideo nemo glorietur in operibus, quia nemo factis suis iustificatur, sed qui iustus est, donatum habet, quia per Christum iustificatus est. Fides ergo est, quae liberat per sanguinem Christi, quia beatus ille, cui peccatum remittitur, et venia donatur.

Et similes sententiae aliquot reperiuntur in aliis locis apud hunc scriptorem, ut de vocatione gentium. Item ad Demetriadem virginem, ubi inquit: Nec ob aliud datur praeceptum, nisi ut quaeratur praecipientis auxilium. Caeterum eius titulo extant quaedam praeparationes ad Missam, et alia quaedam inania, quae videntur esse suppositicia.

De Hieronymo.

Hieronymus in versionibus utilem operam Ecclesiae navavit, et quanquam enarrationes Prophetarum sunt tenues, tamen historiarum explicatio sumpta a veteribus est utilis. De dogmatibus pauca scripsit. Adversus Iovinianum valde confirmat falsas et superstitiosas opiniones de traditionibus humanis. Vituperat coniugium, et contumeliosa oratione insectatur, quae nequaquam digna est Christiano. Colligit male detortas sententias Scripturae, quasi vituperent coniugium, ut: Si secundum carnem vixeritis, moriemini, et similes, et expresse dicit, non differre a meretrice nubentem post secundas nuptias. Item, spectandum esse, non quid concedat Deus, sed quid velit, quasi Deus non velit coniugium. Postremo ethnico more colligit vulgaria convicia sexus muliebris, et coniugii, de quibus Christianus longe aliter sentire debet, qui scit causam infirmitatis in utroque sexu esse naturae corruptionem, et tamen propter Deum sexui tribuendum esse honorem, et cum Deus non frustra condiderit hunc sexum, agnoscendum esse opus Dei, et ordinationem divinam magnifaciendam. Nec est minor infirmitas animorum in viris, in negotiis, quae viris commissa sunt, Christianus autem propter Deum fert et mitigat imbecillitatem in sociis huius vitae divinitus adiunctis, et cohaeredibus aeternae gloriae, et scit Deum velle, ut illas curemus, tanquam partem generis humani, non despiciamus Diabolica superbia. Haec atque alia in hanc sententiam in Christiana disputatione potius dicenda erant, quam illa scurrilia convicia sexus et divinae ordinationis.

De discrimine ciborum laudat ritus sine verbo Dei institutos, tanquam cultus Dei, Imo tanquam perfectionem. Ridicula vox est, quam ponit: Si vis perfectus esse, bonum est vinum non bibere, et carnem non manducare, ubi male detorsit dictum Pauli, qui cum inquit: Bonum est carnem non edere, addit, si fratri noceat exemplum. Cum autem necesse sit, tales superstitiones in Ecclesia reprehendi, pariunt enim alios multos errores, prudenter de illis inconsiderate dictis iudicandum est.

In dialogo contra Pelagium recte disputat, renovationem non fieri tantum viribus liberi arbitrii, sed opus esse auxilio Spiritus sancti. Recte etiam negat Sanctos esse sine peccato, et ponit memorabile dictum: Tunc iusti sumus, quando nos peccatores esse fatemur, et iustitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei misericordia contingit. Sed postea non satis dicit, peccata Sanctorum intelligi de actualibus peccatis, ut flammis libidinum aut iracundiae, et similibus, non intelligit de interiore, et perpetua dubitatione, securitate, concupiscentia. Constat igitur multos esse in scriptis Hieronymi non exiguos lapsus.

De Augustino.

Augustinus multas necessarias controversias tractavit, refutavit Arianos, Manichaeos, Donatistas et Pelagianos. Nam irrepserant iam in Ecclesiam philosophicae opiniones, quas Pelagius confirmavit, Evangelium transformans in Philosophiam, contendebat enim nihil esse peccatum originis, homines legi Dei satisfacere posse, et illa externa obedientia mereri remissionem peccatorum, iustos esse, et mereri vitam aeternam. Nihil de fide in Christum, nihil de auxilio Spiritus sancti dicebat. Haec Pelagii doctrina non Evangelica, sed Philosophica erat. Sicut pronemodum scholasticorum Doctorum sententia idem vult, nisi quod hi aliquid assumunt superstitionum monasticarum. Et nunc rursus multi delabuntur in opiniones Pelagianas, quia sunt plausibiles rationi.

Augustinus igitur sua aetate doctrinam Evangelii, de gratia et fide in Christum, pene extinctam restituit et rursus accendit. Propter hoc beneficium Ecclesia ei plurimum debet. De peccato originis multo loquitur maiori perspicuitate, quam caeteri omnes. Distinctius etiam et rectius loquitur de libero arbitrio, quod viribus liberi arbitrii homines facere possint externa legis opera, et honesta opera civilia, Sed sine Spiritu sancto non possint habere motus spirituales, verum timorem Dei, veram fiduciam, veram patientiam, hoc est, novitatem, quam oportet in iis existere, qui sunt salvandi.

Tradit utile discrimen literae et spiritus, docet de gratuita remissione, monet, quomodo Paulus intelligendus sit, cum inquit: Ex operibus legis nemo iustificatur, quod videlicet non tantum detrahat iustificationem ceremoniis, sed etiam moralibus operibus. Hac admonitione valde opus fuit Ecclesiae. Nam Origenes, et multi eum secuti, sparserant falsam interpretationem in Ecclesia, tantum ceremoniis detrahi iustificationem, et finxerant homines legi satisfacere, et iustos esse propter opera. Ideo Augustinus diserte hanc quaestionem tractat in libro de spiritu et litera, et affirmat Paulum universaliter loqui etiam de moralibus, cum negat nos lege iustos esse. Item, negat homines legi satisfacere, Rom. 8.

Hanc admonitionem Augustini, et hunc locum ipsius plurimum refert meminisse, quia cum ratio non satis perspiciat magnitudinem peccati originis, et naturalis corruptionis, facile delabitur ad illas opiniones, ut putet legi satisfieri, et homines propter opera iustos esse. Ita e regione obscuratur et amittitur iustitia fidei, et vera exercitia spiritualia excutiuntur, scilicet vera invocatio, quam oportet niti sola misericordia. Sicut nunc deridemur ab adversariis, qui volunt videri prudentiores, ac vociferantur nos inepte exaggerare infirmitatem, et ridicule detrahere operibus iustificationem, cum tamen ratio non aliud intelligat esse iustitiam, nisi obedientiam iuxta legem.

Sed doctrina Evangelii de peccato, item de iustitia fidei, est arcana et peculiaris sapientia verae Ecclesiae, quam etiam pauci ex scriptoribus agnoverunt, ac saniores, alii obscurius, alii clarius agnoverunt. Scotistae et similes prorsus obruerunt. Ideo postquam Deus haec rursus patefecit, diligenter tueantur illustratam doctrinam.

Porro cur adversarii vicissim non considerant, quam sit absurdum, dicere, quod Christus liberaverit nos tantum a ceremonialibus. Item, Si liberatio tantum ad ceremonialia pertinet, non profuit Patribus ante Moisen. Necesse est autem statuere, quod liberatio a lege pertineat ad universam Ecclesiam, a principio mundi usque ad finem. Haec copiosius disputantur, ut dixi, in libello de spiritu et litera.

Denique quid sit liberatio a lege, prorsus ignorant illi, qui intelligunt eam tantum de ceremoniis. Ut omnes homines post lapsum Adae sunt oppressi peccato, ira Dei, morte, ingentibus vitae aerumnis, aeternis poenis, ita sunt omnes onerati lege, quae peccatum arguit, nos accusat, et aeternis terroribus occidit, ut Paulus inquit: Ergo liberari a lege, est ab illa accusatione liberari, ne simus rei irae Dei et aeternae mortis, est non tantum a ritibus aut externis spectaculis liberari, sed multo potius a lege perterrefaciente, maledicente, damnante et interficienti nos eripi. Cum videlicet alia res proponitur, propter quam iusti pronuntiamur, scilicet, Filius Dei, factus pro nobis victima.

Sic Adam, Noë, Abraham, et omnis electi ante Moisen a lege liberati fuerunt, accusabantur a lege, exercebantur horribilibus terroribus et sensu irae Dei, et maledictionis. Sed inter hos terrores erigebantur agnitione misericordiae, propter venturum Dominum promissae, et statuebant se iustos pronuntiari propter venturam victimam, non propter legem. Norant peccata esse non tantum externa delicta, sed interiorem immunditiem, horribilem dubitationem de Deo, fremitum et indignationem adversus Deum in rebus adversis, et caeteros pravos impetus, et sciebant non aliqua lege tolli vel ipsum peccatum et naturae infirmitatem, vel iram Dei, Sed norant se agnitione et fiducia promissi Salvatoris ex tantis aerumnis eripi. Sic et illi sunt li-

berati a lege morali, videlicet, iudicante et occidente eos, et ab aeterna ira, quam lex denuntiat. Norant in illa naturali notitia non proponi gratuitam remissionem peccatorum, ideo aliunde petebant remissionem, Quod si sensissent ita se iustos fore, cum sine vitio essent, succubuissent in agone conscientiae, sed norant ideo promissum esse Salvatorem, ut statuerent se placere Deo, etiamsi essent indigni et immundi. Sic sentiebant se iustos esse, non propter legem, sed propter venturum Salvatorem.

Has tantas res complectitur liberatio a lege, quas non intelligunt homines securi, qui nesciunt, quid sit vera poenitentia, invocatio, denique qui non exercentur adflictionibus, et aut habent animos occupatos voluptatibus, aut delectantur suis opinionibus, et aspernantur verbum Dei, aut ad suas imaginationes inflectunt ac corrumpunt.

Nonnulli adversarii astutiores, etsi vident Augustini et nostram interpretationem vere esse Pauli ac Propheticae et Apostolicae scripturae sententiam, tamen obstrepunt nobis, et Origenis, Hieronymi, Chrysostomi, et nescio quorum autoritatem citant, non quod illos vere ex animo probent, sed tantum, ut fucum faciant imperitis, ne videantur victi. Non enim adferunt adversarii ad haec certamina bonam conscientiam et studium quaerendae veritatis, Sed odium nostri, contemptum Evangelii, curam tuendae suae autoritatis. Quid populus de Christo sentiat, quomodo erudiantur Ecclesiae, nihil ad se pertinere iudicant, ac partim aperte exercent sycophanticam, ut Cochleus, Vuicelius et similes, partim sunt tyranni, et tyrannorum satellites, qui propter sapientiae aut virtutis opinionem gubernant Pontificum, Regum et Principum consilia, cum sint homines ἄθεοι, qui in universum arbitrantur religiones commenticias esse, ac sibi ipsi mirum in modum hoc nomine placent, quod ausint ἀντιπέδειν πρὸς τὰς βροντὰς, ut ille apud Comicum inquit. Et tales dicturi sunt sententias in Synodis de Christi gloria, cuius nomen esse fabulosum cogitant.

Proinde pios lectores adhortor, primum ut considerent genera doctrinae, utri simpliciter et sine sophistica sententiam scripturae Propheticae et Apostolicae proponant. Deinde, cum Patres citantur, quae dicta Patrum sunt consentanea divinae voci. Est enim magna dissimilitudo Patrum. Postremo, ut Paulus iubet probare spiritus, voluntas utriusque partis spectanda est, et summa consilii. Illud agunt adversarii, non ut aliquid emendent, sed ut qualicunque praetextu defendant suam tyrannidem, confirment et muniant opes. Ideo Reges et Pontifices adversantur coniugio Sacerdotum, quia vident coelibatum ad retinendam potentiam et opes expeditiorem esse. Hoc modo cum extent notae impiae voluntatis in quibusdam manifestis articulis, satis apparet eos non agitari bono Spiritu, Sed esse hostes Christi, et nec in caeteris articulis quaerere veritatem. Quare eorum iudicia constanter repudiemus.

Psalmo 42. affirmat renatum non esse iustum propter opera, sed fide, Sic enim inquit: Plane time, si iustum te dicis, si non habes illam vocem ex alio Psalmo: Ne intres in iudicium cum servo tuo, Nam si iudicium exhibueris sine misericordia, quo ibo? Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? Ne intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Ergo si non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens, quia quicunque hic vivit, quamlibet iuste vivit, vae illi, si cum eo in iudicium Deus intraverit. Nam et apud alium Prophetam arrogantes et superbos sic obiurgat: Quare mecum iudicio contenditis? Omnes dereliquistis me, dicit Dominus. Noli ergo iudicio contendere, da operem esse iustus, et quantumque fueris, confitere te peccatorum esse, spera misericordiam, et in iusta humili confessione securius alloquere turbantem te, et tumultuantem adversus te animam tuam, Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? forte in te volebas sperare? spera in Domino, non in te, quid enim es in te, quid es de te? Ille sit sanitas in te, qui accepit vulnera propter te, et inquit: Spera in Dominum.

Psalm. 31. Qui sunt beati? Non illi, in quibus non inveniet peccatum, Nam in omnibus invenit. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. Si ergo in omnibus peccata inveniuntur, remanet, ut non sint beati, nisi quorum remissa sunt peccata. Hoc ergo Apostolus sic commendavit: Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad iustitiam. Hic recte accommodat dictum de fide, et testatur se fidem intelligere, non tantum historiae notitiam, sed fiduciam, qua confidimus nobis remitti peccata propter Christum. Nec vero quisquam potest assequi Pauli sententiam, nisi sic intelligat nomen fidei. Hoc vere est, ut dicitur, in foribus errare, fidem tantum intelligere notitiam historiae, non fiduciam promissae misericordiae propter Christum. Nec mirum est, Monachos tota vita deerrasse in enarrando Paulo, quia in hoc ipso loco turpiter hallucinati sunt. Et nunc adversariis haec caligo praecipue impedimento est, quo minus recipiant doctrinam de fide, quia nomen fidei non recte intelligunt. Cur non expendunt talia Augustini dicta, quale hoc est, quo modo recitavi? Hic testatur Paulum hoc velle, Abraham pronuntiari iustum,

quia crediderit, non tantum de posteritate sua, sed remissionem peccatorum.

Tales sententiae passim obviae apud Augustinum, satis ostendunt eum de gratia et de fide idem sentire quod nos docemus, Sicut etiam de Spiritu et litera inquit: Ex lege timemus Deum, per fidem autem confugimus ad misericordiam, Hic diserte discernit legem et Evangelium.

Etsi autem interdum in eius scriptis figurae orationis occurrunt non satis explicatae aut incommodae, hae temporibus condonandae sunt, quia vulgi consuetudo quasdam figuras receperat, ut appellationem meriti, et alias quasdam, et has explodere docti non poterant, Deinde nec ipsi Scriptores satis assuefacti fuerunt ad accuratas disputationes, et quanta tunc fuerit caligo in Ecclesia, inde aestimari potest, quod Pelagii impia opinio tanto cum plausu excepta fuit, ut Augustinus, et pauci quidam alii non sine magnis certaminibus eam rursus ex Ecclesiis explodere potuerint.

Caeterum de ceremoniis si quis aetatem Augustini nobis opponit, sciat, ne ipsi quidem Augustino placuisse omnes ritus et persuasiones sui temporis, Queritur enim multas superstitiosas opiniones haerere in Ecclesia, anteferri humanas traditiones praeceptis Dei, et sic cumulatas esse ceremonias, ut Iudaeorum servitus tolerabilior fuerit, quam Ecclesiae. Verba eius haec sunt ad Ianuarium Epistola 119. Ipsam tamen religionem, quam paucissimis et manifestissimis celebrationum sacramentis, misericordia Dei esse liberam voluit servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior fuerit conditio Iudaeorum, qui tamen divinis legibus, non humanis, subditi erant. Et primum de ritibus humanis inquit: Totum hoc genus rerum, liberas habet observationes. Deinde diserte iubet inutiles ritus humanos praecidi, Ergo non ita probat Augustinus ceremonias sui temporis, ut Ecclesiam ad eam normam constitui velit, Multa enim recepta erant, quae ne ipse quidem probat, imo reprehendi et corripi vult, quaedam more illius temporis observat, ut omnes praesentibus moribus multa condonamus.

Huius aetate percrebescere Sermones de purgatorio coeperunt, quos ipse nec refutat nec confirmat, tantum narrat, inquiens, quosdam sic existimare purgari animas piorum, postquam discesserunt a corporibus. Sed libro confessionum 9. petit his verbis precationem pro mortua matre: Inspira Domine servis tuis, ut ad altare meminerint matris meae et patris. Nec petit amplius. Quanquam autem hoc verecunde dicitur apud illum, tamen nunc sceleste detorquetur ad oblationem sacramenti pro mortuis, qualis nondum fuit Augustini tempore.

Fuerunt et vota usitata eo tempore, et quaestio incidit, an coniugia post votum contracta dissolvi debeant. Hac de re extat sententia Augustini in Decretis 27. q. 1. c. nuptiarum. Hic etsi Augustinus plus tribuit votis quam conveniebat, tamen pronuntiat coniugia post votum contracta non esse dissolvenda, et affirmat vere esse coniugia, quia altera persona non debet cum iniuria alterius redire ad votum. Nec fit obligatio irrita inter duas personas, etiamsi altera attulit mutationem prioris propositi. Haec in summa dicit in eo textu. Sed plus valuit error de votis, quam haec mitigatio Augustini. Ideo constitutiones postea secutae distraxerunt coniugia. Vidit Augustinus illam distractionem vitiosam esse, sed non satis consideravit, quid in ipsis etiam votis vitii fuerit, quod erat obscurius. Vincebatur enim vulgaribus opinionibus sui seculi. Iam mos receptus erat faciendi vota. Magna erat admiratio multorum in eo vitae genere degentium. Admiratio autem iudicio officit. Non igitur disputabat, an valerent vota, cum quidem multi essent errores impliciti illis, habebantur pro cultibus, pro singulari merito iustitiae, pro perfectione, item plerisque erant impossibilia. Haec si prius refutasset, melius prohibere distractionem coniugiorum potuisset.

Constat igitur multos abusus illa aetate iam haesisse in Ecclesia, quorum etsi aliquibus adversatus est Augustinus, tamen aliquos boni consuluit, qui postquam retecti sunt, non debent defendi. Deinde etiamsi veterum exempla suo tempore dissimulata sunt, tamen nunc ad confirmandos maiores abusus nequaquam accommodari debent, ut nequaquam valet consequentia: Augustinus iubet ad altare precationem fieri pro matre, Ergo approbandae sunt Missae pro mortuis. Aut: Augustini tempore quidam arbitrabantur esse purgatorium, Ergo approbandae sunt Missae, indulgentiae, et aliae fundationes, pro mortuis excogitatae. Nam Augustini tempore nondum erant hae prodigiosae impietates, etsi paulatim semina sparsa sunt.

De Gregorio.

Anno 590. iniit Pontificatum Gregorius, cum essent exacti anni post Augustini mortem 157. Interea influxerant in Italiam multae barbarae gentes, Gothi, Longobardi, et horum socii. Et non solum studia literarum conticuerant, et Ecclesiae neglectae

erant, sed etiam illae ipsae barbarae gentes, quae tenebant Italiam, secum invexerunt aut facile receperunt multas superstitiosas opiniones. Ideo brevi tempore valde cumulati sunt abusus.

In illa dilaceratione Italiae videbatur esse peculiaris felicitas, abesse a Republica procul in aliqua solitudine degere, sine familia, sine liberis, non spectare urbium excidia, et vastationem patriae. Miserum est enim dicere illud, quod Aeneas inquit: Et quorum pars magna fui. Itaque modesti homines, qui habebant familias, gratulabantur Monachis suam tranquillitatem. Sic crevit admiratio Monachorum, et plures coeperunt quaerere et amare secessus.

Deinde homines barbari natura mirantur novos ritus, qui speciem habent eximiae pietatis, et tanquam commercii cum Deo. Nihil mirum est igitur tunc et Monachorum coetus crevisse, et plausibiles opiniones de illo genere operum latius vagatas esse et extinctam Evangelii lucem de vera fide, et veris cultibus.

Grata etiam fuit barbaris veneratio Sanctorum. Postquam semel receptum erat hos ethnico more ornare statuis et peculiaribus templis, crevit mos imitatione potentum. Et paulatim tantum accessit impietatis, ut nihil differret veneratio Sanctorum his posterioribus seculis a manifesta Ethnicorum idololatria. Invocabantur Anna, Gregorius, non aliter quam Iuno, Mars, aut Hercules. Currebatur ad statuas, Et magna autoritate illam εἰδωλομανίαν confirmabant Episcopi, laudabant doctores. Et in talibus cultibus erat religionis summa. Interim de Christi invocatione, de fide erat ingens silentium.

Principia igitur cavenda fuerunt tantae impietatis, quae quidem Gregorius valde confirmavit, qui publicum ritum invocationis Divorum instituit, qui ossibus et pulveribus eorum templa dedicari iussit.

Tunc etiam irrepsit opinio de oblatione corporis et sanguinis Christi facienda pro mortuis. Haec opinio peperit horribilem prophanationem Sacramenti.

Etsi igitur post Gregorii aetatem maiores tenebrae secutae sunt, tamen hi errores tunc haeserunt in Ecclesia. Falsa persuasio de monachatu, de operibus sine mandato Dei excogitatis. Invocatio sanctorum, et oblatio corporis Christi pro mortuis. Hi errores magnam deinde ruinam traxerunt. Itaque Gregorii aetas non potest esse norma emendandae Ecclesiae, quod quo magis perspici possit, manifestiora errata Gregorii prius recitabo, deinde pauca de coena Domini disputabo. Gregorius libro 3. Epistolarum, in Epistola ad Catanensem Episcopum in Sicilia, praecipit: ne Subdiaconi aut Diaconi consuetudine coniugum utantur, quas ante ordinationem duxerant, cum quidem antea Siculi servassent Graecum morem, nec maritis interdixissent coniugum consuetudinem. Hic lapsus satis manifestus est. Nemo enim pius distractionem legitimi coniugii approbare potest.

Narrat fuisse quendam Speciosum, qui maluerit relinquere functionem Subdiaconi, quam carere coniugis consuetudine. Hic quisquis fuit, saniore iudicio praeditus fuit, quam illi, qui talia coniugia distrahebant.

Auget peccatum Gregorii, quod hunc morem in Siculis Ecclesiis recipi voluit, quae ad id tempus iuxta Synodorum veterum decreta retinuerant coniugia in omnibus gradibus Ecclesiasticis, nec onerabant votis Diaconos aut alios. Cur sumit sibi Gregorius imperium in alienas Ecclesias? cum quidem tam tragice declamitet se abhorrere ab universalis Episcopi appellatione. Deinde, cur ibi distrahit coniugia, ubi Diaconi non fuerant onerati votis? Cur hic non veretur superiorum Synodorum autoritatem? Hic lapsus, cum manifestam impietatem et tyrannidem contineat, satis apparet aetatem Gregorii non fuisse sine magnis erroribus.

Idem quam iniustus est adversus eos, qui infantes in monasteriis educati fuerant iussu parentum, et postea facti puberes aliud vitae genus expetebant? De his respondet, nefas esse tales deserere vitam monasticam. Haec durities non eo tantum reprehendenda est, quia aetati facta est iniuria, sed etiam, quia valde confirmavit superstitiosas opiniones de monasticis cultibus.

Addam tertium erratum non obscurum. Movetur spectris, ut comprobet oblationem Sacramenti pro mortuis. Narrat duos, qui post mortem in balneis servierunt, quorum alter petivit, ut pro se fieret oblatio Sacramenti, ut ab illis poenis liberaretur. Ab his spectris sumit dogmata in Ecclesia contra manifestum mandatum Dei, Deut. 38. Non quaeras a mortuis veritatem. Et Esa. 8. Utrum populus a Deo quaerit veteritatem pro vivis, an a mortuis? Erga qualiscunque est animarum status post hanc vitam, tamen a spectris non sunt sumenda dogmata. Deinde quis non videt poëticum esse, quod dicit pios post mortem factos esse balneatores? Similis fabula est commento de filiabus Danai, qui hauriunt aquam cribris.

Non instituimus hunc catalogum, ut errorum confutationes ederemus, quae extant alibi satis multae, tantum recensere errata volui, ut appareat falli eos, qui sic admirantur Patres, tanquam fuerint ἀναμάρτητοι, et nusquam dissentiant a scripturis divinis manifestis. Etsi igitur aliquid monent interdum eruditiores Patres, tamen de eis iudicandum est ex verbo Dei.

Omissis igitur aliis confutationibus, breviter quaedam de illa oblatione pro mortuis adiiciam. Non opus est quaeri, an sit purgatorium, nihil haec quaestio ad oblationem pertinet. Etiamsi esset purgatorium, tamen impium est, offerre Sacramentum pro mortuis. Rationes multae sunt firmissimae. Prima, impietas est constituere cultum in Ecclesia sine mandato Dei, Adplicatio coenae Domini pro aliis, fit sine ullo mandato et testimonio divino, Ergo sine ulla dubitatione haec adplicatio est impia.

Maiorem confirmant plurimae sententiae, Non habebis Deos alienos. In hoc mandato etiam cultus alieni prohibentur. Et huc pertinet dictum: Frustra colunt me mandatis hominum. Item: Quidquid non est ex fide, peccatum est. Porro cultus sine mandato Dei non possunt ex fide fieri. Sed mundus non intelligit, quantum peccatum sit, fingere cultus sine mandato Dei, discedere a verbo Dei. De hoc scelere maxime concionantur Prophetae, et deplorant hominum coecitatem, qui cultus et dogmata de voluntate Dei fingunt horribili audacia, nec retinent verbum et cultus, quibus Deus suam voluntatem nobis proposuit. Ipsi coeci quaerunt Deum aliis modis. Constat autem Christum non tradidisse Sacramentum, ut pro mortuis adplicetur. Quae ibi fit mentio mortuorum? Iubet celebrari Coenam, ut recordemur mortis et beneficiorum suorum. An mortui adsunt, ut una recordentur? Sed breviter adiiciam et alias rationes.

Secunda, Sententia certa est, quae labefactari nequaquam potest: Iustus sua fide vivet, Quare necesse est nos accipere remissionem peccatorum vivos. Ac impossibile est, contingere ullis remissionem peccatorum propter opus aut sacrificium cuiusquam sacrificuli. Causae obscurae, ambiguae, longas disputationes requirunt. Hic error de oblatione refutatur adeo perspicuis et firmis argumentis, ut nihil desiderent longam explicationem. Doctrina de remissione peccatorum certa et perspicua est. Nemini fit remissio, nisi fide propria eam accipiat. Hanc sententiam si quis tollit, contumelia adficit Christum. Ergo contumelia adficiunt Christum, qui fingunt oblationem illam mortuis mereri remissionem.

Tertia, Tantum iis prodest Sacramenti usus, qui utentes eo, recordantur mortem, et beneficia Christi. Ergo impossibile est, id opus mortuis prodesse, qui nec utuntur ipsi, nec addunt ibi recordationem. Antecedens manifestum est ex Christi institutione, quia iubet celebrari hoc mysterium ad recordationem. Nec aliud institutioni affingendum est. Si quis plura affingit, si quis transfert ad mortuos, impie contaminat institutionem Christi.

Quarta, Aperte dicit Scriptura: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Rom. 8. Corpus mortuum est propter peccatum, Spiritus vero vivit propter iustificationem, id est, iustificati Spiritu, donec hoc tempus circumferunt, in quo haerent reliquiae peccati, varie affliguntur, ut in invocatione crescant, fides, agnitio Dei, et novitas spiritualis. Sed mortuo corpore, peccati reliquiae abolentur. Et diserte addit Paulus, Vivere spiritum propter iustificationem. Illa vita iustificati spiritus, non est pavor aut sensus irae Dei, sed est gaudium in Spiritu sancto, sicut Paulus inquit. Non sunt igitur poenae purgatorii.

Christus inquit ad conversum latronem: Hodie mecum eris in Paradiso, hoc est, in vita tranquilla et beata, non in poenis et pavoribus. Non igitur discedunt iustorum animae ad cruciatus, sed ad gaudium spirituale, et ad pacem. In hac vita exercentur pii horribilibus afflictionibus, quia Deus mirabili consilio vult Ecclesiam suam subiectam esse cruci, et degustare afflictiones Christi. Sic Adam, Isaac, Iacob, Ioseph, David, Esaias, Ieremias, Iohannes Baptista, et caetera lumina Ecclesiae, fuerunt in aerumnis, quarum magnitudinem enarrare nemo potest. Ideo Petrus inquit: Humiliamini sub potenti manu Dei. Etsi igitur tales sunt poenae piorum, dum in corpore vivunt, tamen post mortem esse tales afflictiones cur dicetur? cum hae afflictiones sint destinatae ad agnoscendas peccati reliquias in carne, et ad poenitentiam, At post mortem non est locus poenitentiae, sicut Paulus clare affirmat 2. Cor. 5. Reportabit unusquisque ea, quae gessit in corpore. Et Psalmi hoc docent: Non mortui laudabunt te Domine. Item: Quoniam non est in morte, qui memor sit tui. Non igitur affirmari potest, aliquos post mortem adhuc exerceri illis cruciatibus, ut agant poenitentiam.

Sic dicunt adversarii, cruciatus illos non eo infligi, ut crescat poenitentia, sed ut sint satisfactiones, multo magis explodenda est haec opinio. Nam doctrina satisfactionum, quam sententiarii confinxerunt, falsa et impia est. Et quidem in eas disputationes, tanquam in sentinam, plurima mendacia confluxerunt, de purgatorio, de votis, de oblatione

pro mortuis, denique alia multa. Cum igitur purgatorium, quod vocant, adfirmari non possit, impietas est instituere oblationem ad liberandos mortuos, Quanquam, si esset purgatorium, non transferri ad mortuos coena Domini posset.

Sed quid disputo? Orta est mentio purgatorii a spectris, deinde confirmata propter quaestum, et nunc defenditur a Pontificibus, Cardinalibus, Episcopis, Canonicis, qui palam sunt Epicurei, ac securissime contemnunt iudicium Dei, et quae de poenis post mortem legunt, sic accipiunt, ut fabulas Poëtarum, de Ixione, Sisypho, Tantalo, aut similes, ac rident stultitiam aliorum, qui affirmant Deum proposuisse aeternas poenas impiis.

Omitto igitur disputationem in praesentia. Basileae in Synodo exhibuerunt Graeci orationem de purgatorio, quae hodie extat in Phorcensi Bibliotheca, in qua de loco Pauli 1. Cor. 3. disserunt, quem ad purgatorium detorsit aetas recentior, cum constet eum locum de poenitentia loqui: Salvabitur, sic tamen, quasi per ignem. Ergo vult lapsum poenitentia corrigi. Quare de praesenti vita loquitur, in qua locus est poenitentiae. Profecto verum est quod dicitur: Simplex est veritatis oratio. Cum Paulus de poenitentia loquatur, non potest hic locus detorqueri ad cruciatus post mortem.

De loco in Machabaeis est etiam planissima responsio, Veritas rerum erroribus gestarum non vitiatur, inquit Iurisconsultus, Et Demosthenes contra Aristocraten, reprehendens vitiosa exempla, inquit: *Μὴ δὴ τοῦτο ἡμῖν ἐᾶτε λέγειν ὡς γέγονεν, ἀλλ' ἐστὶ δίκαιον γενέσθαι.* Sacrificia Levitica non delebant peccata coram Deo, deinde nulla pro mortuis instituta fuerunt. Ergo fuit error sacrificare pro mortuorum peccatis, ut Iudaei alios vitiosos cultus saepe receperunt. Natura enim hominum ad superstitionem propensa est omnibus aetatibus. Ideo cum exemplum illud pugnet cum scripturis, non est citandum ad confirmandas superstitiones in Ecclesia. Haec fere sunt praecipua, quae de purgatorio citantur. Ideo autem hanc disputationem inserui, ut magis appareat, lapsum Gregorii, qui confirmavit oblationem pro mortuis, aperte cum apostolicis scripturis pugnare.

Quod cum ita sit, etiam Canon Missae, ut vocatur, reprehendendus est, in quo dicitur fieri oblationem ad redimendos vivos et mortuos. Quae fuit audacia Sacramentum transferre ad mortuos? cum institutio tam clare de vivis, de recordatione loquatur. Gregorius scribit hunc Canonem a quodam Scholastico, ut ipse eum nominat, compositum esse. Sed quisquis fuit autor, qui hanc rhapsodiam congessit, illud negari non potest, dissentire latinum Canonem ab utroque graeco, quanquam nec graeci Canones inter se consentiunt. Et differunt in locis insignibus.

Hactenus de Gregorio dixi. Nec volo sequentium seculorum scriptores adiicere. Nam doctrina magis degeneravit postea. Accessit et Pontificum tyrannis, cum Gregorius adhuc appellationem universalis Episcopi repudiet ac valde vituperet, ut testantur aliquot Epistolae in libro 3.

Possem adiicere querelas scriptorum veterum de Episcoporum cupiditatibus, et inscitia, quae si nihil aliud, tamen hoc monent, Ecclesiam nequaquam ad exemplum et ideam eius temporis constituendam esse. Sed in Apocalypsi Iohannis proponuntur horribiles imagines, quae significant haud dubie Ecclesiae tempora, et ostendunt grassaturos statim in Ecclesia impios doctores ac tyrannica dominatione oppressuros veritatem.

Monstrant et Synodorum historiae, quanta in Episcopis plurimis rabies fuerit, qui ad tuendam impietatem miris artibus incenderunt Principes et vulgus, prorsus ut nunc Pontifices et Episcopi omnibus artificiis Regum animos ad movendum civile bellum movere conantur.

Basilius in fine libri de Spiritu sancto, quam tragica querela deplorat Episcoporum sui temporis furorem et impietatem, narrat seditionibus et caedibus quaeri defensionem malorum dogmatum. Et ad Italicos ac Gallicos Episcopos ita scribit: *Ἀνατέτραπται μὲν γὰρ τὰ τῆς εὐσεβείας δόγματα, συγκέχυνται δε εὐσεβείας θεσμοὶ, φιλαρχίαι δὲ τῶν μὴ φοβουμένων τὸν κύριον ταῖς προστασίαις ἐπιπηδῶσι, καὶ ἐκ τοῦ προφανοῦς λοιπὸν ἆθλον δυςσεβείας, ἡ προεδρία πρόκειται, ὥστε ὁ τὰ χαλεπώτερα βλασφημήσας, εἰς ἐπίσκοπον λαοῦ προτιμότερος, οἴχεται σεμνότης ἱερατικὴ, ἐπιλελοίπασιν οἱ ποιμένοντες μετὰ ἐπιστήμης τὸ ποίμνιον τοῦ κυρίου.*

Id est, Eversa sunt veritatis dogmata, confusae leges pietatis. Ambitio non timentium Deum, rapit gubernationem Ecclesiarum. Nec aditus est ad honores, nisi per impietatem, ut quisque est rabiosissimus et audacissimus in lacerandis piis et veris dogmatibus, ita maxime dignus Episcopi honore iudicatur. Periit gravitas sacerdotibus conveniens, desunt Pastores, qui eruditione gregem Domini pascant.

Sic ille sui temporis Episcopos depingit, quorum vitiis recentior aetas addidit imperia et tyrannides.

Cum igitur constet illam aetatem non sine vitiis esse, concedendum est Ecclesiae, ut de doctrina consulat verbum Dei, sicut Pater coelestis praecipit, ut Filium audiamus. Et David inquit: Lucerna pedibus meis verbum tuum.

Haec de veterum scriptorum erratis, etsi multa praetermisi absurde dicta, non eo collegi, ut de veris eorum laudibus aliquid detrahatur. Credo plerosque in his fuisse pios et praestantes viros, quidam etiam optime meriti sunt, sed ne ipsi quidem voluerunt anteferri sua dicta doctrinae Christi. Deinde hi, qui nunc nobis veterum autoritatem opponunt, valde illorum testimoniis abutuntur. Etsi illis temporibus semina errorum sparsa sunt, tamen nondum in Ecclesiam pervaserunt tam tetri abusus. Erat initio qualiscunque mentio Sanctorum. Quantum accessit impietatis postea? Non igitur citanda est Nazianzeni declamatio, cum illius aetas adhuc ignoraverit hanc recentem Idololatriam.

Sed quid citant Ecclesiae autoritatem adversarii, cum non de doctrina, non de religione dimicent, sed de suis libidinibus atque opibus. Tranquillitatem suam turbari nolunt. Haec una et sola causa est, cur nos delere cupiant. Nam dogmata quaedam luce meridiana clariora sunt. Et tamen ut haec opprimant, manifesta crudelitas exercetur, interficiunt pios, doctos et bonos viros Sacerdotes propter coniugium. Hoc ubi lectum est de ulla barbarie, interfici homines propter honestum coniugium? Si veterem Ecclesiam probant, cur hic non imitantur prima tempora? An Ambrosium vel Augustinum arbitrantur hanc crudelitatem suppliciorum probaturum fuisse? Illi vero execrati essent hanc immanitatem, et palam testati, hos Pontifices, autores crudelitatis non Ecclesiae membra, sed Diaboli organa esse, ac sine ulla dubitatione defensionem piorum sacerdotum, mulierum, puerorum, deinde tot gentium, quae sunt coniunctae huic causae, suscepissent.

Postquam autem dixi, quae sit vera Ecclesia, et constat, nos doctrinam Catholicae Ecclesiae Christi, traditam in scripturis Propheticis et Apostolicis et in Symbolis, fideliter retinere ac tueri, manifestum est, nos vere cum Ecclesia Catholica Christi sentire. Addo illud etiam, praecipuos scriptores, Ambrosium, Augustinum, et paucos alios idem sentire, si commode intelligantur, et pauca quaedam eis condonentur, quae tunc non venerunt in controversiam.

De Liturgia nihil dubium est, nec privatas, nec venales, nec funebres Missas fuisse ante Gregorium. Nec invocatio Sanctorum multo ante Gregorium celebrari coepit.

Est et lex de coelibatu perpetuo admodum recens, quae non aliam ob causam defenditur, nisi quia coelibatus est commodior ad tuendas opes. Et manifestam iniuriam verbo Dei faciunt, qui adfirmant coniugium Sacerdotum cum iure divino pugnare.

De poenitentia, de remissione peccatorum ac iustificatione, quam dicimus homines propter Christum consequi, non propter opera, de satisfactionibus, de clavibus, de traditionibus humanis, de rebus politicis, pleraque nostri disputaverunt planius, quam veteres, quae tamen adparet consentanea esse perpetuis sententiis illorum, qui fuerunt eruditiores ac peritiores rerum spiritualium, qui quidem hanc explicationem ac methodum si legissent, pro sua pietate candide probaturi fuissent, ut audio narrasse virum praestantem Theologum Parisiensem, se ex nostrorum explicatione, de iustificatione, primum rectius Augustini sententiam intellexisse.

Scio ex veteribus excerpi posse multa pugnantia cum nostris sententiis. Et excerpit pro suo adfectu quisque quod videtur commodum, ut ex iisdem floribus apes mella legunt, araneae venena. Sed absint a iudiciis Ecclesiasticis Sycophantiae. Non provoco ad omnes Scriptores, sed ad meliores, Ambrosium, Augustinum, et quatenus alii cum his consentiunt, qui cum ipsi interdum pugnantia dixerint, veniam nobis dabunt, si quaedam reprehendemus, modo ut manifestam et certam scripturae divinae sententiam sequamur, nec discedamus a Symbolis, et teneamus, quod ipsi spectarunt ac voluerunt, interdum autem explicare non potuerunt. Nihil enim dubium est, hoc doctrinae genus, quod profitemur, vere esse ipsum consensum Catholicae Ecclesiae Christi, ut ostendunt Symbola, saniores Synodi, et eruditiores Patres. Haec respondi moderatioribus, qui autoritatem Ecclesiae aut Patrum nobis opponunt.

Exoritur autem quoddam novum genus sapientum, qui cum sint *ἄθεοι*, nulla prorsus volunt moveri de religione certamina, laudant pacem et concordiam, execrantur omnes, qui quocunque modo serunt discordias, hos, tanquam *καθάρματα*, et pestes generis humani tollendos esse censent, Haec est una Philosophia Pontificum, Cardinalium, Regum, Canonicorum et plurimorum, qui perhiberi volunt politici, qui scilicet otium suum interturbari nolunt, nolunt dignitatem suam labefactari, oderunt doctrinam, quae videtur offectura commodis ipsorum, denique alius aliam habet causam, Horum

omnium una vox est in Regum consiliis, Nullam mutationem concedendam esse, retinendam esse concordiam Ecclesiae, autoritatem ordinariae potestatis.

Deinde habent suos Rhetores, qui vehementissimas conciones in eam sententiam edunt, quos nominari omnes nihil opus est. Extant enim multorum scripta, Sed ex omnibus illis centones nuper consuit Omphalius. Initio tanquam Solon aut Areopagita aliquis, concionatur de Legum dignitate, vituperat seditiones et legum contemtum, commemorat quam dulcis harmonia sit ordinis et εὐταξία in Republica, quam Leges efficiunt. Deinde etsi non nominat certam professionem, tamen quos praecipue petat, satis ostendit, declamitat adversus nos, qui quasdam tyrannicas et impias leges Pontificum excussimus. Etsi autem non opinor eum haec gratis dicere, tamen cum eadem dicantur a multis summis et eloquentibus viris, non disputabo, quid iste captet.

Totum hoc genus concionum spectat ad confirmandos potentum animos, ne ulla moderata et pia consilia audiantur, deinde, ut inflammati iniustam saevitiam exerceant. Ut autem David petebat, ne valerent consilia Achitophel, sic nos precabimur Deum, ne horum Rhetorum eloquentia veritatem et gloriam Christi opprimat. Et cum scriptum sit: Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem, sperabimus Deum non defuturum nobis esse in refutandis illis calumniis, et in gloria Christi illustranda.

Scio plausibiliter dici de Legum dignitate, de pace, de tranquillitate communi. Non adeo rudis sum literarum, nec adeo alienus a civili consuetudine vitae. Sentio etiam in republica communi tranquillitati ea onera condonanda esse, quae sine impietate tolerari possunt. Valeant in eo genere hae sententiae, τὸ κακὸν εὖ κείμενον μὴ κινητέον. Et quod Plato dixit, ut deliri patris, ita patriae desipientis mores tolerandos esse. Recte ista in loco dicuntur, de civilibus oneribus, quae sine impietate tolerantur, sed haec philosophia non transferatur ad obruendam gloriam Dei. Doctrinae errores, et idololatria nequaquam dissimulari debent, sicut Christus inquit: Si quis negaverit me, confundam eum. Primum Praeceptum: Non habebis Deos alienos, longe anteferendum est omnibus rebus humanis, legibus hominum, imperiis, ordinariae potestati, paci, patriae, concordiae. His nominibus nihil est augustius, sed tamen anteferendum est nomen Dei.

Prophetae, Apostoli, haud dubie patriam et patriae tranquillitatem, si qui alii, amarunt maxime. Et tamen reprehendere impios cultus et pravas opiniones coacti sunt. Et quidem Christus profitetur se doctrinae genus adferre tanquam ignem, qui sit accensurus ingentes discordias. Necesse est enim existere certamina de cultu Dei, quia Diabolus ardet horribili odio Dei, et quantum potest delere verbum Dei conatur, et adversus Deum homines impios incitat, ac secum trahit florentissima imperia, cum his hostibus belligeratur Christus.

Quare cum necesse sit piis reprehendere et abolere impios cultus, non possunt non esse mutationum autores Prophetae et Apostoli. Quanquam igitur politica sapientia abhorret ab ipso mutationis nomine, Et pii, qui certe non omnes stolidi aut fatui sunt, intelligunt, quantum difficultatum et periculorum adferant mutationes, tamen Christianum pectus antefert mandatum Dei, et excelso animo excipit omnes difficultates, easque intelligit regi a Christo, cui omnia subiecta sunt, ut inquit Propheta.

Haec breviter respondeo, non tam Omphalii orationi, quam illorum sapientum argumentis, qui in omnibus consiliis concionantur de vitandis mutationibus, de concordia. Etsi autem homines ἄθεοι hanc responsionem derident, tamen piis utile est considerare haec argumenta, ne illa sapientiae species deterreat animos a pietate, et a professione veritatis.

Et haec scribo maxime admonendae iuventutis causa. Impii cum aliis illecebris, opibus et aliis commodis animos multorum capiunt, tum vero etiam irretitos tenent his persuasionibus, quod vitandae sint mutationes, quod deceat favere ordinariae potestati, tueri praesentem formam Reipublicae. Haec quatenus laudanda sint, Christiani praemonendi sunt, ne obliviscantur huius praecepti: Non habebis Deos alienos.

Doleo quosdam excellentibus ingeniis praeditos conspirare cum impiis, ac faces esse ad incitandos Reges ad crudelitatem, et ad stabiliendam impietatem. Illa est virtus digna magnis et praestantibus viris, praecipue ad laudem Dei conferre industriam atque autoritatem. Hic scopus propositus esse debet omnibus, ut suo quisque loco, quantum potest, conferat aliquid operae ad conservationem coelestis doctrinae. De aliis Parasitastris parvis, qui scribunt Sycophanticos libellos, hoc loco non dicam, qui sunt ex illo genere κολάκων, quales alebat Dionysios Siculus, qui sputum Tyranni excipiebant, ac lingebant praedicantes nectare dulcius esse.

Redeo ad sapientes illos, quorum aliqui simulantes religionem, postquam vident absurdas superstitiones superiorum temporum excusari non posse, adfingunt ritibus et decretis molliores interpretationes, ut recte stabiliant impietatem, conservatis ritibus ac vitiosis decretis. Talis est liber editus Coloniae, titulo Reformationis. *) Audio et Contarenum Cardinalem in Italia dicere solere, Lutheranos facere iniuriam Romanis proceribus cum adscribant illis errata plebeiorum scriptorum, ut Legendarum, Dormi secure, et similium. Nunquam sic sensisse Romanos proceres, aut ineptias illas probasse. Ita nunc a se derivant errata. Ac scio ubique gentium plurimos esse, qui hoc novo artificio laudem singularis sapientiae aucupantur, qui primum eo iniusti sunt, quod cum pleraque a nobis correcta ex nostris libris mutuentur, et nostris se pennis ornent, ut fucum incautis faciant, tamen nobis iniqua δίδακτρα reddunt, Non enim desinunt in nos exercere crudelitatem, deinde non cogitant hanc novam Sophisticam fore extremam perniciem verae religionis.

Si ingeniis petulantioribus licet comminisci glossas suo arbitrio, quid futurum est? Manifesta est idololatria in cultu Sanctorum, in Missis pro mortuis. Et tamen glossae affinguntur ad retinendos ritus per sese vitiosos. Ita paulo post fortassis Aegyptias superstitiones excusabunt. Absit ab Ecclesia haec impia et perniciosa Sophistica, quae est protestatio contraria facto. Cultus non institutus expresso Dei verbo, per sese vitiosus est, etiamsi affingas quamcunque voles glossam, ut invocatio Sanctorum per sese vitiosa est, quia non est instituta divinitus, deinde et ob hanc causam per se vitiosa est, quia hic ipse mos, etiamsi diversum cogites, tribuit Sanctis honorem Deo proprium, quod omnes audiant.

Possem exempla multa recitare, sed desino, ac pios adhortor, ut istam nefariam Sophisticam execrentur. Ezechias non solum superstitiosas opiniones de aeneo serpente correxit, sed ipsam statuam delevit. Ita pietas est cum impiis opinionibus ritus ipsos abiicere, qui non sunt proprie mores politici. Sicut scriptura praecipit Idola destrui. Sic ipsi ritus privatarum Missarum, Invocatio Sanctorum, Votorum observatio, Monasticus vestitus, Sodalitia monastica, Vinculum coelibatus, Discrimina ciborum, et similes inepti ritus a superstitionibus orti, tollantur et aboleantur.

*) Hunc librum composuit Io. Gropperus. Conf. Seckendorfii comment. de Lutheranismo l. III. p. 137 sqq.

Sed quid disputo? Illi, qui hac Sophistica pingunt vitiosos ritus, non hoc vere agunt, ut tollant errores ex Ecclesia, sed ut qualicunque praetextu defendant suam autoritatem, et arte stabiliant impietatem. Facile enim repullulant pravae opiniones, si ritus ipsi maneant. Necesse est pios vigilantes esse. Nam Diabolus oppugnat Evangelium, non tantum palam incitans Tyrannos ad saevitiam, sed etiam callide insidias struens praetextu sapientiae, et offundens bellas persuasiones, de quibus cavendis toties praecipit Spiritus sanctus, ut ad Timotheum inquit Paulus, venturos spiritus impostores. Et ad Colossenses ait, traditiones humanas speciem sapientiae habituras esse. Non tantum manifesta deliramenta spargentur, qualia fuerunt pleraque vetera et recentia, ut paulo ante manifestae fuerunt imposturae indulgentiarum, sed etiam homines astuti falsa dogmata et impios ritus artificiose pingent, ut magno cum adplausu excipiantur, amentur ac retineantur. An non habet sapientiae speciem impietas Samosateni? An non est plausibilis error Pelagii prophanis ingeniis? Ita habent haec speciem sapientiae, Prodest ad pacem et tranquillitatem, retinere usitatos mores, decerpantur igitur horridiores opiniones, et affingantur interpretationes εὐφημότεραι, ritus ipsi retineantur, Splendide hoc dici videtur, cum longe aliud agatur.

Hae Sycophantiae significatae sunt in historia de Christo, quem cum oculos eius velassent, eique colaphos impegissent lictores irridentes, iusserunt vaticinari, a quo percussus esset. Sic excusatores isti impiorum rituum ludibrio habent Christum et Ecclesiam. Postquam insulsum aliquod glossema excogitarunt, putant se iam praestrinxisse Christo oculos, deinde addunt colaphos, hoc est, impietatem stabiliunt, incedunt Reges ad crudelitatem, ac Triumphos agunt, quasi iam prorsus delerint veritatem. Ipsi plausum in suo Theatro auferunt, praedicantur a malis, amantur a Regibus, quorum serviunt cupiditatibus. Sed orandus est Deus, ut hoc genus Sycophantarum reprimat.

Nicander ait genus esse Serpentum, quod appellat Haemorrhoidas, sunt autem exiguae bestiolae, unius longitudine pedis, sed veneni tanta vis est, ut ab illis icto sudor erumpat cruentus toto corpore, ut ex ore, naribus, vesica large profluat sanguis, ut sanguineas lacrymas extillent oculi, ut ardeat incredibili inflammatione totum corpus. Huius generis bestia cum in Aegypto necasset Nauclerum Helenae, Heroica mulier pede illam contrivit, unde et posteritas Haemorrhoidum dicitur claudicare amissa spina. Porro eventus ostendit hanc novam Sophisticam interpretandarum traditionum, venenum esse non dissimile Haemrorhoi-

dum. Indocti etsi sunt nobis infesti, tamen pertinacia et odio pugnant, non pugnant autoritate. Istae Haemorrhoides propter doctrinae oppugnationem, propter Sophismata, et, ut vocat Paulus, propter speciem sapientiae, sunt in admiratione, incitant animos potentum ad opprimendam veritatem. Hoc veneno accensi principes, flammas odii concipiunt, fiunt cruenti et furenter crudeles. Sed Christus non sinet obrui lucem Evangelii, sicut scriptum est: Quod est ex Deo, non abolebitur. Proinde Ecclesia, in qua lucet vera doctrina, tandem illis Haemorrhoidibus spinas exteret. Non oppriment veritatem sophisticae illae interpretationes, et astuta et crudelia consilia impiorum.

Quod vero passim aliqui cupidi piae concordiae, expectant Pontificum Synodos, et sperant has Ecclesiae medicaturas esse, aut vitia correctura, longe falluntur. Nunquam enim Pontifices, et eorum coniurati Satellites desinent bellum gerere adversus Christum, quod ut ita existimem, moveor non tantum humanis coniecturis, quae multae et non leves sunt, Christi dictis moveor, deinde exemplis omnium aetatum. Nam Christus negat blasphemos sanari, qui contra conscientiam oppugnant veritatem, defendunt manifestam *εἰδωλομανίαν*, et piorum cruore se resperserunt. Furor blasphemias et parricidia haud dubie comitatur, sicut historiae Cain, Pharaonis, Saul, populi Iudaici testantur. Et Deus minatur caecitatem blasphemis, sicut Psalmus inquit: Obscurentur oculi eorum. Itaque augent quotidie supplicia, obligant sibi principes impiis foederibus. Nec tantum palam grassantur, sed clam struunt insidias vitae piorum principum. An existimandum est, hos moderata aut pia consilia admissuros esse? Et aliquoties iam experti sumus plerosque, qui simularunt moderationem, tamen re ipsa nihil egisse, nisi ut nos irretitos opprimerent, ac totum doctrinae genus delerunt. Scio paucos quosdam esse saniores in hostium Collegiis, qui deplorant potentum pertinaciam, sed horum sententiae exploduntur tanquam scholasticae. Haec cum ita sint, piae mentis est, et cogitantis de sua salute, de gloria Christi, quaerere quae sit vera Ecclesia, ut huic se adiungat, ut huius coetus, et gregis Christi pars sit, sicut inquit Christus: Qui non est mecum, contra me est. Deinde sciat Ecclesiam nequaquam esse Tyrannos et persecutores Christi, et eos, qui saevitiam vel adiuvant, vel comprobant. De his teneamus Regulam certissimam Pauli: Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema sit. Et cum ait, anathema sit, non existimemus usum esse levi aut vulgari maledicto, Cum nominat anathema, significat Deum ex Ecclesia eiecisse hostes verae doctrinae eosque fugiendos esse, tanquam diras pestes, quas Deus execratur. Pollui se horum societate et consuetudine boni sciant, et daturos graves poenas amicitiae et coniunctionis cum illis. Psalmus inquit de hoc genere: Induit maledictionem sicut vestimentum, et intravit sicut aqua in interiora eius, et sicut oleum in ossa eius. Huius maledictionis contagium nocet caeteris, qui sunt coniuncti cum illis, qui et veritatem oppugnant, et exercent saevitiam in pios. Non igitur existimemus parum momenti habere hoc mandatum: Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema sit. Non sunt Episcopi, non sunt Ecclesiae membra, sed hostes Christi, qui cum furiis agitentur, non de Ecclesiae concordia et pace cogitant, sed de Tyrannide stabilienda, non student sanare Ecclesias, sed moliuntur bella civilia, vastitatem Ecclesiarum, parricidia piorum sacerdotum et piarum mulierum.

Proinde non expectanda est ab illis emendatio Ecclesiarum, sed potius cogitandum, ut sententia, animo et voluntate quisque se ab illis seiungat, fugiat eorum *εἰδωλομανίαν*, non audiat convicia contra veram doctrinam, non adiuvet, non approbet illorum consilia, non confirmet eorum potentiam. Fugite Idololatriam, inquit Paulus. Haec praecepta non sunt levia ducenda. Vera igitur Ecclesia quaeratur, sciamus in hac exaudiri preces, in hac sciamus esse Christi membra, ad hanc sciamus pertinere promissiones Evangelii. Non pertinent promissiones ad hostes Evangelii, sicut nec ad Iudaeos, nec ad Mahometistas pertinent, ut saepe testatur Deus, et Psal. 16. inquit Pontifex Christus: Non offeram eorum libationes, nec faciam eorum mentionem labiis meis. Quem haec tam tristis comminatio non moveat, ut fugiat coetum adversantem verae Ecclesiae? Denique plena est in utramque partem scriptura divina talibus concionibus, quae iubent fugere hostes verae doctrinae et verae Ecclesiae, ac amplecti veram doctrinam, amare, iuvare, ornare veram Ecclesiam.

Nec cogitemus tantum Platonicam civitatem esse Ecclesiam. Hic coetus est vera Ecclesia, in qua lucet pura Evangelii doctrina, in qua recte administrantur Sacramenta divinitus tradita, In tali coetu necesse est aliqua esse viva Ecclesiae membra, quae praestant Deo veros cultus, agunt poenitentiam, invocant Deum vera fide, conferunt studium, et operam ad Evangelii propagationem, ostendunt suam confessionem, serviunt vocationi, denique praestant pia officia a Deo mandata, exercentur periculis omnis generis, in quibus exercent invocationem et alia bona opera: Hanc affirmo esse veram Ecclesiam, cum qua oportet pios ubique terrarum coniunctos esse sententia, voluntate et confessione. Ac tales esse sentio Dei beneficio, nostras Ecclesias, quae profitentur puram Evangelii

doctrinam, quae est sine ulla dubitatione, consentiens sententia Catholicae Ecclesiae Christi. Utinam bonae mentes considerent, quantum referat, non esse in castris hostium Ecclesiae, sed esse civem verae Ecclesiae Christi, propter quam Deus innotescere voluit, propter quam omnia condidit, quam Filii sanguine sanctificavit, in qua patefecit se admirabilibus operibus per patres, Noë, Abraham, Ioseph, Moisen, Davidem, Eliam, Elisaeum, Apostolos, et reliqua lumina Ecclesiae, denique, quae habebit vitam et gloriam aeternam, fruetur commercio Dei et piorum Angelorum. Quanta gloria et beatitudo est, huius coetus socium esse, in hoc agmine conspici, quod ducit Christus, quod circumvolant pii angeli, in quo incedunt principes, Adam, Noë, Abraham, Moises, Elias, et reliqui viri insignibus praediti donis? In hoc agmine iam certum tenes locum, si non adiuvas, non comprobas hostium Ecclesiae impietatem et crudelitatem, sed veram doctrinam amplecteris, confiteris, et piis moribus ornas. Psalmus inquit: Rogate pacem Ierusalem. Beati erunt, qui diligunt eam. O suavem et dulcem sententiam. Hortatur omnes, ut adiuvent omni genere officii Ecclesiam, ut doctrinae puritatem et consensum tueantur, ut doctoribus benefaciant, ut precibus et votis Deo communem salutem commendent, ut impios doctores, ut Tyrannos inde arceant. Opto autem ex animo, ut magnitudinem horum officiorum viri politici considerent, qui debent et possunt Ecclesiam iuvare. Intueantur posteritatem, cui ut Rempublicam constitutam relinquere cupiunt, ita multo magis debent veram Dei agnitionem, incorruptam religionem, purum Evangelium, recte constitutas Ecclesias tradere, sicut Paulus iubet Timotheum fideliter custodire depositum, ut integrum et incontaminatum ad posteros perveniat. Hac cura prorsus nihil adfici videmus Pontifices, Episcopos, Canonicos, de opibus suis dimicant, non de doctrina. Ergo alii in scholis, in gubernatione civitatum, suscipiant hanc curam. Hoc sacrificium praecipue Deus ab omnibus postulat, sicut Petrus inquit, vocatos nos esse, ut celebremus Dei beneficium. Hic praecipuus finis omnium consiliorum atque actionum sapientibus propositus esse debet, ut ornent gloriam Christi. Pro hoc officio ingentia praemia pollicetur in hoc versiculo Deus: Beati erunt, qui diligent Ecclesiam. Defensionem, successus, et salutem perpetuam promittit his, qui veram Ecclesiam amant. Hac voce pii exuscitent animos ad curam ornandae Ecclesiae, seque non modo adversus tyrannorum minas confirment, sed etiam contra Sophisticam illorum muniant, qui falso antiquitatis et Ecclesiae testimonia dogmatum ad defensionem impiorum citant, ad quos refutandos nonnihil instituere studiosos volui.

VII. DOCTRINA DE POENITENTIA

IDEO REPETITA UT PRAESTIGIAE DE SATISFACTIONIBUS RECENS EXCOGITATAE A QUIBUSDAM SOPHISTIS REFUTARENTUR.

AUCTORE PHILIPPO MELANTHONE.

Hic libellus primum prodiit a. 1549. sic inscriptus:

Doctrina | *de Poenitentia, ideo* | *repetita ut praestigiae de Satisfactio-* | *nibus recens excogitatae a qui-* | *busdam Sophistis re-* | *futarentur.* | *Episola* (sic) *ad Lecto-* | *rem in qua respondetur* | *Flacio Illyrico.* | *Avtore Philip-* | *po Melanthone.* | *Vitebergae apud Iosephum* | *Klug. Anno M.D.* | *XLIX.* 6 plagg. litt. A—F sign., prima 7 foll. non num., 1 fol. album, 36 foll. num., ult. 4 foll. non num., 8. min. (fol. A 2ª — 7ª med. Mel. epistola ad Lectorem data Cal. Oct. 1549.; fol. A 7ᵇ — 8ᵇ vacant; fol. 1ª — 28ª init. [fol. B 1ª — E 3ª] De Poenitentiâ Phil. Melanthon a. 1548.; fol. 28ᵇ — 36ᵇ [fol. E 3ᵇ — F 4ᵇ] De dicto Pauli Apostoli 1. Timoth. 4.; fol. F 5ª — 7ª med. Psalmus L. Davidis, latina Elegia redditus a Iohanne Stigelio; fol. F 7ᵇ — 8ª Precatio pro Ecclesia Dei, ex verbis Esaiae Cap. LXIII. Carmine reddita a Ioh. Stigelio a. 1546.; fol. F. 8ᵇ vacat.). *)

Hic tractatus recusus est 1. in libro supra p. 585 sq. recensito: *Libelli aliquot utiles Philippi Melanthonis*, in quo secundo loco fol. 54ª — 78ª exhibetur cum hocce titulo:

Doctri- | *na de Poeniten-* | *tia, Ideo repetita ut praestigiae* | *de Satisfactionibus recens* | *excogitatae a quibusdam* | *Sophistis refuta-* | *rentur.* | *Epistola ad Le-* | *ctorem in qua respondetur* | *Flacio Illyrico.* | *Avtore Philip-* | *po Melantho-* | *ne. Anno* 1560.

2. in *Peucerianae Collectionis Operum Melanthonis* Parte II. p. 152—167. cum eadem inscriptione: „*Doctrina — refutarentur. Anno Christi* 1549. *Epistola ad Lectorem* etc.

Tituli verbum *repetita* aut spectat ad libellum de eadem re anno 1548. editum, cuius titulus est: *Disputatio theologica de Poenitentia, respondente M. Melchiore Isindero Suidnicensi. Witebergae, Anno*

*) Hic libellus in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est.

1548. 8. *die Nouemb.* 1 plag. 8., recusum in huius Corporis Vol. XII. p. 548—554., aut ad *Locorum theologicorum Editionem Witebergensem anni* 1549. (in huius Corp. Vol. XXI. p. 569 sq. recensitam), quippe quae, ut ceterae Locorum Editiones, praeter alias etiam de poenitentia doctrinam continet; at verba, quibus haec doctrina in utroque libro explicatur, a verbis illius tractatus omnino differunt.

Idem tractatus in vernaculam linguam translatus a. 1550 prodiit sic inscriptus:

De Poenitentia | von der bekerung zu | Gott, summa, ge- | teutscht wie es zuuor im latin, | ausgangen, | Philippi Melanthon. | Ezech. | So war ich lebe, Spricht Gott, Will- | ich nicht das der Sünder sterbe, | sondern das er bekeret werde | vnd lebe. | 1550. — (In fine:) Gedrückt zu Wittemberg | durch Joseph | Klug. 6 1/2 plagg. litt. A — G (A 1/2 plag.) sign., 25 foll. non num., ult. fol. album, 4. (fol. A 2ª — 2ᵇ Der li. Psalm; fol. B 1ª — 3ª med. Von der Bus; fol. B 3ª med. — D 1ª med. Von der Contrition das ist von rew vnd leidt vber die sünde; fol. D 1ª med. — E 1ᵇ med. Von der Beicht; fol. E 1ᵇ extr. — G 3ª med. Von der gnugthuung, subcunctâ Clausulâ; fol. G 3ᵇ — 4ᵇ vacant.).*)

Epistola latino tractatui in illis tribus Editionibus praemissa primum separatim edita est: *Epistola Phil. Melanthonis, in qua respondetur Flacio Illyrico. Vitebergae apud Ioseph Klug. anno* 1549. 8. Iterum edita est in Actis synodicis lat. p. 17., in Melanthonis Selectis epistolis p. 452. et in Epistolarum libro I. p. 323. (Ed. Londinensis lib. I. ep. 107.). Recusa est in Mel. Consiliis lat. P. II. p. 104. et in eiusd. Declamationibus Vol. VIII. p. 727., denique in huius Corp. Vol. VII. p. 477—482., quapropter h. l. praetermittitur.

Tractatum ipsum de Poenitentia h. l. ex *Editione Witebergensi anni* 1549. exhibemus; Declamationem vero illi in hac Ed. annexam: *De dicto Pauli Apostoli* 1. *Timoth.* 4. *Attende lectioni consolationi et doctrinae etc.* omittimus, quia inter Declamationes in huius Corp. Vol. XI. p. 750—758. iam data est.

*) Haec interpretatio in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est.

DE POENITENTIA.

PHILIPP. MELANTHON.

ANNO 1548.

In Ecclesiis nostris, Dei beneficio, praecipue extat illustris explicatio doctrinae de poenitentia, sicut maxime necessarium est eum locum notissimum esse in Ecclesia, quia complectitur summam Evangelii, et monstrat praecipuum beneficium Filii Dei, imo ut initium fuit Ecclesiae receptae in paradiso doctrina de poenitentia: Ita semper eodem modo in Ecclesia sonare haec vox debet usque ad resurrectionem.

Et intelligi facilime poterit huius doctrinae summa, si primum exemplum aspiciatur, ibi primum arguitur peccatum voce Dei, et non dubium est accusante Deo, et sonante ipso tristissimam accusationem, horribiliter expavescere humanam naturam. Ita primum extitit contritio tunc in primis parentibus. Et quid sit contritio, quomodo fiat, in eodem exemplo conspici potest. Accedit ibi et confessio peccati, quia revera coram Deo oportet hanc confessionem fieri, nos reos esse et iuste puniri.

Deinde sonante promissione recipiuntur Adam et Heva, haec est absolutio, qua audita, accenditur fides, qua agnoscunt se recipi per misericordiam propter semen promissum, et in corde nova consolatio, est inchoatio novae obedientiae, quae iam placet Deo. Ita facta est integra conversio. Imponuntur et poenae, videlicet mors et aliae calamitates huius vitae, quia Deus etsi remittit culpam, et aufert mortem aeternam: tamen propter iustitiam aliquas poenas imponit, et ut ipsius iustitia, et ira adversus peccata conspiciantur: totum genus humanum horribilibus miseriis in hac vita onerat.

In his poenis tamen promittitur Ecclesiae consolatio, ut tunc Deus ipse vestit primos parentes pelle detracta ab ovicula, qua imagine significatum est futurum, ut novis corporibus vestiamur, et quidem sumtis ab agno Christo.

Hanc totam historiam prodest saepissime cogitare, ut hoc ipso exemplo nos de omnibus partibus poenitentiae, seu conversionis commonefaciamus. Item ut inde discamus tunc inchoatum esse ministerium Evangelii, in quo semper una vox sonat arguens peccata, et offerens remissionem propter Filium.

Verum non tantum in hac recenti aetate Monachorum, obscurata fuit doctrina de poenitentia multis labyrinthis, et falsis opinionibus, sed etiam vetustis seculis quando Canones satisfactionum creverunt hac superstitiosa persuasione, quod mererentur remissionem peccatorum, tunc quoque magnae tenebrae fuerunt. Sed in disputationibus recentioris aetatis, plus fuit inextricabilium quaestionum, et omnino silentium fuit de fide accipiente remissionem peccatorum. Ideo non dubium est fuisse necessariam explicationem verae doctrinae de poeni-

tentia, quam in Ecclesia semper extare perspicuam necesse est, et quam singuli homines quotidie in invocatione totam cogitare debent. Credo autem recte, et perspicue explicatam esse in nostris Ecclesiis, et de ea sententia, quam in locis complexus sum, nihil muto.

Cum autem Synodus Bononiensis ordine de partibus fecerit decreta, quorum alia ambigua sunt, alia aperte falsa: dicam breviter de singulis partibus, non ut plus sit intricatarum disputationum, sed potius ut evoluta doctrina planius intelligatur.

DE CONTRITIONE.

Omitto rixas de causis contritionis. Si sint veri, et non simulati pavores et dolores intuentes iram Dei adversus peccata, et accedat fides, quae facit ex timore servili filialem, dico esse veram contritionem, et assentior has causas concurrere, verbum Dei arguens peccatum, et Deum hoc verbo incutientem terrorem, et mentem cogitantem de ira Dei, et voluntatem, et cor serio expavescens, et dolens quod offenderit Deum. Talem aliquam contritionem dico necessariam esse, ut saepissime scriptum est, 2. Corinth. 7. Contristati estis ad poenitentiam. Esaiae 66. Ad quem respiciam? nisi ad humiliatum, et contritum spiritum, et trementem sermones meos. Et Ezech. 20. Displicebitis vobis in conspectu vestra.

Ac variae possunt esse occasiones inchoandi dolorem, ut aliter vocatur Zachaeus, aliter Paulus, aliter Manasses, aliter mulier peccatrix. Sed in omnibus necesse est existere pavores, et dolores, et varii dolores miscentur, quos subtiliter discernere non est opus, ut alii disputarunt de amore iustitiae, et timore poenae. Imo vult Deus poenas metui, et esse eas velut vocem divinam commonefacientem totum genus humanum de ira adversus peccatum, ut testantur maledictiones in lege, quae propter has duas causas additae sunt legi.

Primum ut sciamus opus esse iustitiae Dei, quod peccata puniuntur tantis calamitatibus. Deinde ut sciamus has ipsas calamitates, esse vocem legis commonefacientem nos de poenitentia.

Sic passim Prophetae loquuntur de calamitatibus, ut in Psalmo: Propter iniquitates corripis filios hominum. Displicent Deo horribiliter securae mentes, non considerantes iram Dei, aut etiam elatae inani fiducia suae sapientiae, suae iustitiae, aut potentiae, sicut Paulus ad Ephes. inquit impios esse ἀπηλγηκότας, id est, sine dolore vivere, et Ieremias: Erubescere nescierunt.

Quare sciamus temulentam vitam in otio et voluptatibus valde periculosam esse, et Deus praecipue suam Ecclesiam subiecit cruci, quia praecipue in Ecclesia vult conspici iram adversus peccatum, cum eam mundus negligat.

Haec sententia de contritione, nihil obscuri continet. Loquor enim de veris doloribus qui sentiuntur, suntque in aliis minus, in aliis magis acres, ut Ezechias inquit: Sicut Leo contrivit omnia ossa mea etc. Haec tantum admonitio adiungatur, ut sine obscuritate discernantur timor servilis, et filialis, seu dolor Iudae, et dolor Petri. Timor servilis est verus pavor sine fide. Sed timor filialis fit, cum ad pavorem accedit fides, qua cum incipit cor accedere ad Deum, et accenduntur initia fidei, et spei: subiicit se Deo, et praedicat eius iustitiam, iuxta illud: Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio etc.

Caeterum haec duo necessario reprehendenda sunt in doctrina Monachorum de contritione, quod quaerunt sufficientem contritionem, et deinde affingunt horribile mendacium, hanc sufficientem contritionem mereri remissionem peccatorum, nec dicunt de fide gratis accipiente remissionem propter mediatorem. Hi errores sunt magni et tetri. Quid est enim quaerere sufficientem contritionem: nulli dolores ullius creaturae quantumvis magni, pares sunt irae Dei, ut dicitur: Deus ignis consumens est, nec possunt compensare peccatum, et quo magis crescit dolor sine fide, eo magis merguntur animi in mortem et exitium. Ideo necesse est hos errores taxari.

In altero errore, etiam deploranda et detestanda est caecitas, cum dicunt contritionem mereri remissionem peccatorum, ubi transferunt in nostrum opus honorem debitum filio Dei, et Paulus toties inculcat particulam gratis, qua excludit, ut saepe dictum est, non contritionem et caeteras virtutes, non cogitationem de ira Dei et de promissionibus etc. sed excludit dignitatem, seu opinionem meriti. Deinde quantae tenebrae sunt, quod non solum nihil de fide in doctrina poenitentiae dicunt: sed etiam pertinaciter negant opus esse hac fide, credas tibi ipsi remitti propter mediatorem, etc. qua promissionem tibi ipsi applices, Ac relinquunt mentes in perpetua dubitatione, quia inquiunt: Nescis, an contritio fuerit sufficiens, ideo semper dubites

an tibi data sit remissio. Haec imaginatio prorsus est Ethnica.

Nos contra his erroribus opponimus vocem Evangelii, et dicimus oportere aliquam esse contritionem, id est, veros pavores, et dolores intuentes iram Dei, qui in aliis magis, in aliis minus acres sunt, sed non pendet ex horum magnitudine remissio, verum oportet accedere fidem, qua tibi ipsi credas remitti gratis propter mediatorem, de hac fide dictum est: Iustificati fide, pacem habemus apud Deum, et si haec fides, et fiducia Filii Dei non accenditur, mens non intuetur Filium Dei, non ducit propitiatorem esse. Necesse est autem te ipsum agnoscere Filium Dei, et hunc ei proprium honorem tribuere, ut tibi propitiatorem, et intercessorem, et summum sacerdotem esse statuas. Hunc honorem non ei tribuunt diaboli, qui etiam norunt articulum, remissionem peccatorum videlicet donari aliis, non sibi. Itaque donec homo tantum hanc generalem sententiam credit, aliis remitti non sibi, nondum tribuit verum honorem Filio Dei, nec sibi applicat promissionem.

Itaque luceat in Ecclesia discrimen legis, et Evangelii, et sciant omnes propriam esse Evangelii promissionem, quae ostendit mediatorem Filium Dei, et promittit propter eum gratis remitti peccata, et in hanc promissionem universalem singuli nos ipsos in veris doloribus includamus, et sciamus mandatum Dei esse, ut Filium Dei audiamus, et ei tribuamus honorem propitiatoris, et promissionem amplectamur.

Cum igitur hoc modo sustentamus nos cogitatione promissionis, et Filii Dei: accenditur fides, et causae concurrentes sunt, vox Evangelii et Spiritus sanctus, et mens cogitans promissionem et voluntas, ac cor non repugnans, sed expetens consolationem divinam, et assentiens promissioni, cum quidem et a Spiritu sancto adiuvatur et inter tristes gemitus erigitur conspectu Filii Dei, quem statuit, non frustra factum esse victimam, et hac fide credis non tantum aliis, sed tibi ipsi, propter Filium Dei gratis remitti.

Cum haec fides accensa est, iam et contritio fit timor filialis, et sacrificium iuxta illud: Sacrificium Deo gratum, spiritus contribulatus etc. Cor irascitur peccato, dolet Deum offensum esse, alios laesos esse, dolet Ecclesiam pollutam esse, dolet scandala exitata esse, dolet Spiritum sanctum in multis contristatum esse, dolet attrahi poenas familiae et caeteris, dolet impediri poenis aliorum invocationem, et alia necessaria officia. Denique innumerabiles causae magnorum dolorum concurrunt. Ita dolens se subiicit Deo, et fatetur esse iustam iram Dei, et petit veniam, et cum fide revera incipiat acquiescere in Filio Dei, certo accipit remissionem peccatorum, Ac discamus hanc esse voluntatem Dei, ut acquiescamus in promissione, et statuamus nos sic recipi, et donari remissionem peccatorum, idque agit minister, in absolvendo applicat singulis promissionem.

Simul etiam cum in tali contritione homo se subiicit Deo, et fide eum invocat, et incipit acquiescere in mediatore: datur revera Spiritus sanctus, et inchoatur nova obedientia, id est, voluntas iam habet bonum propositum, agnita misericordia Dei incipit eum diligere, et invocare, et non fugit, ut fugiunt Cain, Saul et similes.

Dixi, quomodo fiat conversio, scilicet, concurrentibus his mutationibus. In homine primum fit contritio, cum cogitatione irae Dei expavescunt corda, et vero dolore afficiuntur propter peccata. Deinde fit consolatio, qua fide accipitur remissio et corda incipiunt acquiescere in Deo propter mediatorem, et rursus inchoant obedientiam, et spem vitae aeternae. Haec ita fieri, manifeste testatur experientia omnium piorum in Ecclesia, quorum testimonium non contemnendum est, ut David expavescit primum, inquiens: Peccavi Domino. Deinde erigitur consolatione, credens absolutioni: Non morieris, Dominus abstulit peccatum tuum, et Esaiae 38. Rex Ezechias describit pavores: Quasi Leo contrivit omnia ossa mea etc. Postea et consolationem: Proiecisti post tergum omnia peccata mea, et scripta piorum ut Augustini et Bernhardi congruunt. Longa est concio Bernhardi docentis, coniungi oportere contritionem et fidem. Dicat quisque in pavore suo: vadam ad portas inferorum, ut iam non nisi in sola Dei misericordia respiremus. Haec est vera fiducia quae ad pavores accedit, cui misericordia non denegatur.

Sic et Prophetae, et Apostoli de conversione concionantur, ut Paulus in hac ipsa Epistola coniungit mortificationem et vivificationem, Ac valde prodest moneri i[illegible]ores, haec vocabula proprie de vera conversione ad Deum intelligenda esse, et reiiciendam esse interpretationem eorum, qui detorserunt Pauli dicta ad Hypocrisin, ad ritus Monachorum, et ad talia puerilia exercitia, Sed Pauli sententia perspicua est observanti pondera verborum: Estis mortui peccatis, et circumcisi circumcisione non manu facta, exuendo corpus peccatorum carnis.

Haec de contritione dicuntur, postea de fide, qua fit consolatio, inquit: Simul resuscitati estis per

fidem, qua Deus est efficax, qui vivificat vos cum Christo. Deinde utramque sententiam rursus illustri figura pingit: condonans omnia peccata, delens chirographum quod per decreta contra nos est, quod erat contrarium nobis. Tunc autem conspicitur chirographum scriptum in cordibus adversari nobis, cum agnoscimus in veris doloribus nos reos esse. Hoc dictum ad contritionem pertinet. Deinde ad fidem pertinet quod additur: deleri hoc chirographum suspensum de cruce, facta condonatione.

Haec interpretatio de conversione, est simplex, vera et propia, quam quidem observare prodest, et ut Pauli sententia nobis obvia sit, et ut teneamus testimonium de his duabus mutationibus in conversione, de mortificatione, et vivificatione, id est, de contritione, et consolatione, quae fit per fidem, qua tibi ipsi credis remitti peccata propter mediatorem.

Hactenus recitavi, quid in doctrina de contritione retineri necesse sit, et quid taxari oporteat, dixi item, doctrinam de fide speciali, qua tibi credis remitti, adiungendam esse, de qua supra in refutatione Articuli praecipientis dubitationem, copiose dictum est.

Cum autem haec nostra sententia sit ipsa vox Evangelii inde usque a prima conversione Adae et Hevae, sonans in vera Ecclesia, et nihil sit obscuri, aut intricati in hac nostra explicatione: facile erit iudicare decreta Synodi Bononiensis, et ne quis dicat me fugere iudicium Ecclesiae Dei, non dubito provocare ad iudicia omnium piorum, qui non sunt rudes exercitiorum poenitentiae.

DE CONFESSIONE.

Necesse est iunioribus exponere et vocabula, et mores vetustos. Olim in Ecclesia consuetudo fuit lapsos, ac reos talium scelerum, quae aliis nota erant, non recipere, nisi signa manifesta emendationis praecessissent. Ideo certi ritus erant, quorum nomen fuit publica poenitentia. Stabat homicida vel adulter coram Episcopo. et narrabat delictum suum, ut Episcopus modum castigationis indiceret, quae vocabatur satisfactio, Graeci modestius nominarunt *ἐπιτίμια*, id est, notas seu castigationes. Cum enim alia delicta aliis modis punirentur, seu (ut ita dicam) notarentur, exponi delictum opus erat, ut modus poenae indiceretur, post eam castigationem sequebatur absolutio.

Et initio hic ritus probabiles causas habuit. Fuit enim disciplina instituta, et ut explorarentur voluntates redeuntium ad Ecclesiam, an serio promitterent emendationem, et ut his exemplis alii commonefacti maiore cura vitarent lapsus. Nondum affingebatur opinio, haec spectacula mereri remissionem peccatorum, sed postea hanc opinionem indocti addiderunt, et ritus satisfactionum cumularunt.

Ab hac veteri consuetudine confessio intelligitur enumeratio delictorum singulorum, cum olim tantum delicta aliis nota recitarentur. Postea vero decreta facta sunt de omnibus delictis etiam arcanis.

De hac enumeratione singulorum, necesse est erudiri conscientiam, nec iam de illa vetusta disciplina primae Ecclesiae, et de atrocibus delictis, quae aliis nota sunt, dicimus. Semper enim inde usque ab initio mundi, ritus fuerunt certi excommunicationis in Ecclesia, et receptionis emendatorum, Et optaremus ea gravitate quae decet Ecclesiam, administrari excommunicationem et receptionem. Et ut saepe alias dictum est, retineantur in Ecclesia generalis confessio, et petitio absolutionis, quia ministerium privatae absolutionis nequaquam frustra institutum est, ut infra copiosius dicam, et semper fuit in Ecclesia generalis confessio, ut de summo sacerdote in Lege dicitur: Teneat victimam, et confiteatur peccata populi.

Et in Nehemia dicitur: Filii Israël conveniebant in ieiunio, et confitebantur peccata sua.

Et de auditoribus Baptistae dicitur: Baptisabantur in Iordane, confitentes peccata sua.

Haec non erat singulorum enumeratio, sed in genere confitebantur se reos esse, ut decet esse vocem piorum tribuentem Deo iustitiam in nobis accusandis et gloriam iustitiae propter missum Filium, ut Daniel clamitat: Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei. Item: Tua est propitiatio. Et haec ipsa generalis confessio, et petitio absolutionis, testatur in Ecclesia recipi lapsos.

Sed alia disputatio est de enumeratione singulorum, multorum aut omnium delictorum, ac praesertim arcanorum, hic taxandi sunt tres errores. Primus, quod finxerunt hanc enumerationem mereri remissionem propter pudorem.

Secundus error, quod aiunt recitationem necessariam esse, ut indicatur satisfactio.

Tertius error, quod necessaria sit enumeratio,

et quod remissio pendeat ex conditione enumerationis, quia dicunt divinitus praeceptam esse.

Hae tres opiniones falsae sunt, et obscurant gloriam Filii Dei, et sunt laquei conscientiarum, ut constat multos ambigentes, an satis pure confessi essent, in magnis moeroribus fuisse. Talis dubitatio fidem et invocationem impedit, et aut desperationem, aut Epicureum contemtum affert. Necesse est igitur et veritatem conspici in Ecclesia, et vulnera conscientiarum sanari.

Manifestum est autem in arcana confessione, enumerationem omnium, vel paucorum delictorum non esse praeceptam iure divino, quia nusquam voce Christi, aut Prophetarum, aut Apostolorum praecipitur. Et enumeratio singulorum est impossibilis, quia valde multa sunt errata, et delicta singulorum, quae nec intelligunt, nec meminerunt iuxta illud: Delicta quis intelligit? Ideo certum est, conscientias nequaquam onerandas esse singulorum enumeratione, et nequaquam pendere remissionem ex enumeratione.

Hanc doctrinam necessariam esse piis, manifestum est, quia tristissima carnificina excruciarentur, si putarent singula nominatim recitanda esse, nec remitti peccata sine illa anxia recitatione.

Nunc autem de hac quaestione non disputabo prolixius, cum manifesta sit veritas, et ante hanc aetatem saniores scriptores ita iudicaverint, enumerationem singulorum non praecipi iure divino, sicut aperte inquit Panormitanus, et Chrysostomus in enarratione Psalmi 50. dicit: Si pudet alicui dicere peccata, dicito ea quotidie in anima tua, non dico ut confitearis conservo tuo, ut tibi exprobret, dicito Deo qui sanat ea. Nec est in graeca Ecclesia hic mos enumerationis arcanorum.

Omitto autem hoc loco refutationem argumentorum, quibus adversarii ostendere conantur, necessariam esse enumerationem singulorum, et iure divino praeceptam. Nam alibi de eis satis dictum est. Ac sciunt ipsi adversarii se has praestigias offundere oculis, et animis populi, non quod sic sentiant, sed ne hunc nervum suae potentiae amittant.

Caeterum sentio generalem confessionem retinendam esse, cum petitur absolutio, sicut enim in Nehemia scriptum est, confitebantur peccata sua: ita decet aliquam vocem esse vere dolentium, qua fateantur se reos, et se Deo subiiciant, et ei laudem iustitiae tribuant, quod iuste damnet peccata, et iuste nos puniat, ac rursus tribuant ei laudem misericordiae, agant gratias, quod propter Filium receperit genus humanum prolato admirando decreto ex arcano sinu. Deinde petatur absolutio, quae est vox ministerii Evangelici privatim applicans remissionem petenti, cum Filius Dei dixerit: Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, et posuerit in nobis sermonem reconciliationis: Ego mandato Filii Dei, annuntio tibi vocem Evangelii remittentem peccata, et tibi ipsi peccata remitti a Deo pronuntio propter Filium Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis, et resuscitatum. Ac praecipio tibi, ne asperneris mortem Filii Dei, quae pro te, et reliquis credentibus fuit sacrificium placans iram aeterni Patris, sed vere credas promissioni Evangelii, et statuas te recipi a Deo, cum credis tibi ipsi propter hunc mediatorem remitti.

Hanc absolutionem sciamus non esse vocem humanae autoritatis, sed divinae, sonantis in ministerio Evangelii, sicut David valde cumulasset sua peccata, si non credidisset voci Nathan: Dominus abstulit peccatum tuum. Ita peccant omnes, qui in pavoribus, et in poenitentia nolunt absolutioni credere, et eam consolationem admittere nolunt, nec redeunt ad invocationem, nec se fide et spe erigunt.

Hic etiam necesse est taxari hunc errorem Monachorum, quod dixerunt absolutionem irritam esse, si non sit sufficiens contritio. Sed sciant pii oportere fieri conversionem, sicut iusiurandum inquit: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Oportet igitur aliquam esse contritionem, et non retineri propositum peccandi, et accendatur fides, et sit deinde bona conscientia, id est, propositum non faciendi contra conscientiam. Haec cum adsunt, certissimum est absolutionem ratam et firmam esse, quam quidem fide oportet accipi, quae non potest simul esse cum proposito delinquendi, et fides intuetur Filium Dei, propter hunc statuit iuxta promissionem gratis remissa esse peccata, non propter contritionem, aut gradus contritionis, aut confessionem etc.

Ut autem alias saepe dixi, nequaquam abolenda est privata absolutio, quia manifestissimum est, promissionem Evangelii et multis et singulis applicari posse, et de singulis manifeste loquitur concio in capite 18. Matthaei: Quoties remittam? septuagies septies. Qui locus vere et recte de ministerio absolutionis intelligitur, et dictum: Quorum remiseritis peccata remittentur eis, de multis et singulis recte intelligi certum est.

Deinde et exemplum consideretur, hic mos

privatim absolvendi, multum conducit ad retinendum intellectum Evangelii proprium, quod Evangelium contineat promissionem remissionis peccatorum. Est et illustre testimonium, quod post baptismum lapsi converti possint, et conversi recipiendi sint, et absolvendi, ac rursus fiant haeredes vitae aeternae. Haec causa valde movere pias mentes debet, ut ament et tueantur privatim absolutionem, et suo exemplo eius conservationem adiuvent.

DE SATISFACTIONE.

In hac distinctione partium poenitentiae, nomen satisfactionis, ut in hoc loco usurpatum est, non significat compensationem Deo pro culpa satisfacientem, et placantem iram Dei, quae satisfactio proprie per Filium facta est, Nec significat satisfactionem forensem, qua debitor solvit pecuniam, quam debet, aut is qui alium iniuria affecit, sibi ignosci orat: Nam haec forensis satisfactio est opus debitum, et pertinet ad contritionem, ac bonum propositum: Ut raptor alienae coniugis, si non reddit marito coniugem, manet adulter, et est sine contritione, et sine bono proposito, Ita debitor non volens solvere, cum possit, manet fur, et regula vera est dextre intellecta: Peccatum non remittitur, nisi ablatum restituatur.

Sed hanc tertiam partem poenitentiae nominant satisfactionem Canonicam, quae olim erat publicum spectaculum, in quo stabant certo loco agentes poenitentiam, et servabant ieiunia aliquot dierum aut mensium ante absolutionem, et palam ostendebantur populo tanquam rei, et lugentes, ut extaret signum non simulatae poenitentiae, et ut alii his exemplis commonefacti, diligentius regerent mores, ne laberentur. Horum rituum initio modus aliquis fuit, et abfuit superstitio, nemo cogitabat se mereri hoc spectaculo remissionem culpae vel poenae, sed exemplum erat utile disciplinae, pertinens ad politiam Ecclesiasticam.

Non dubium est autem, hos ritus, quibus rei atrocium delictorum velut notati ostendebantur populo, ortos esse a primis patribus. Semper enim fuit ceremonia aliqua excommunicationis inde usque a Cain, et manserunt vestigia apud Ethnicos, sicut de Cain dicitur, signum ei additum esse.

Ita postea rei homicidiorum, gesserunt signa reatus in vestitu, donec reciperentur, ut scirent alii hos esse pollutos et fugiendos. Nam excommunicati, erant exclusi a societate sacrorum, mensae et multorum officiorum. Nemo una cibum capiebat, donec ille homicida, vel incestus gerebat signa reatus, et erant certa verba excommunicationis, quae vocabantur Dirae, graece ἀραι, Sic Orestes vagatus est in Graecia, abstinens ab aliorum convictu, ac gerens signa reatus, quae postea ei ademta sunt, cum in iudicio absolveretur. Et multa talia exempla recitantur, ut Adrasti apud Herodotum, qui ad Croesum venit gerens signa reatus.

Cum autem huius vetusti moris vestigia essent adhuc in populo Iudaico, et gentibus non omnino barbaricis, recepta est haec disciplina etiam ab Ecclesia, fuitque initio modus earum ceremoniarum, sed postea superstitio adfinxit remissionem peccatorum dari propter hanc castigationem. Haec opinio auxit has multas adeo, ut tandem intolerabiles essent. Rursus igitur laxatae sunt, et hoc vocabant Episcopi indulgentias, id est, remissiones talium spectaculorum, de quibus Canones praeceperant. Ita paulatim illa vetera spectacula cessarunt, nomen mansit satisfactionis non intellectum a populo.

Sed fatentur Monachi, satisfactiones non mereri remissionem culpae. Ut autem aliquid tribuerent multis, finxerunt non remitti poenam aeternam nisi propter compensationem poenarum purgatorii, vel aliarum temporalium. Dixerunt igitur satisfactiones mereri remissionem poenarum purgatorii, vel aliarum poenarum huius vitae, Hic prudentia in iudicando adhibenda est.

Primum autem necesse est nosse definitionem satisfactionis Canonicae, quam ipsi tradunt.

Satisfactio Canonica, est facere opera non debita, id est, non mandata lege Dei, sed opera supererogationis iniuncta ab Episcopis, vel ministris, ut mereantur remissionem poenae purgatorii, vel aliarum poenarum huius vitae.

Nunc consideret Lector, de quibus materiis in hoc loco dicendum sit, scilicet de impletione legis, de discrimine operum quae Deus praecepit, et aliorum quae Deus non praecepit, de remissione poenae aeternae, de discrimine remissionis culpae, et remissionis poenarum temporalium, de causis poenarum temporalium, et afflictionum in Ecclesia etc. Has materias recte et vere explicari necesse est, Ideo hunc locum de satisfactione repeto.

Secundo, semper iungi oportet remissionem culpae, et poenae aeternae, estque unum et idem beneficium Filii Dei gratuitum, tollere culpam, et

tollere mortem aeternam, ac tollere culpam, est placare iram Dei.

Cum igitur poena aeterna sit sentire horrendam, et inenarrabilem iram Dei manentem, sicut Iohannes inquit, Ira Dei manet super eum: sciamus culpam et poenam aeternam simul tolli propter solum mediatorem Filium Dei, non propter ullam nostram compensationem, ideo Ose. 13. dicitur: Ero mors tua o mors, et pestis tua inferne.

Et Paulus, aculeus mortis peccatum est, potentia peccati Lex, Deo autem gratia, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Ideo certissime statuendum est fide propter Filium Dei simul remitti culpam, et tolli poenam aeternam gratis, id est, sine nostra compensatione.

Haec consolatio luceat in mentibus, nec languefieri fidem sinamus cura nostrarum satisfactionum, ac certo statuamus non adferendas esse in illud arcanum iudicium Dei (ubi angimur de ira Dei, vel morte aeterna), nostras satisfactiones, sed solum sacrificium Filii Dei intuendum esse, huius sanguine credamus deleri culpam, et tolli poenas aeternas, hic satisfecit iustitiae Dei, ut Iohannes inquit: Hic est propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris tantum, sed pro totius mundi peccatis.

Et Triumphi descriptio ad Colossenses in conspectu sit, ubi Paulus diserte inquit, victorem Filium Dei, a se ipso domitas, et captas potestates inferorum, ducere in Triumpho. Huius triumphi gloriam non transferamus in nostra opera. Firmissime igitur haec consolatio tenenda est: Fide iustificati, pacem habemus apud Deum, id est, certum est iram Dei placatam esse, et nos liberatos esse a poenis aeternis. Quare non sunt conscientiae turbandae imaginatione Monachorum de satisfactionibus.

Tertio, manifesti errores sunt in doctrina Monachorum de satisfactionibus, cum alibi, tum hic quoque quod fingunt opera non mandata a Deo, esse cultus Dei, mereri remissionem culpae et poenarum, Ut certis diebus abstinere a carnibus etc. Talia opera immediate hoc fine facta, ut per ea Deus honore afficiatur, vocant cultus. Contra quam persuasionem tenenda est regula verissima: Frustra colunt me mandatis hominum. Hoc unum argumentum etiam satis firmum est ad refutandas satisfactiones, de quibus Monachi loquuntur, quae quidem eo maiore cura taxandae sunt, quia persuasio de satisfactionibus valde auxit traditiones humanas, et confirmavit opinionem, quae fingit opera non mandata a Deo cultus Dei esse.

Est autem cultus Dei, opus a Deo mandatum, et factum in agnitione, et fide Filii Dei, cuius operis principalis finis est, seu mediatus, seu immediatus, ut Deus honore afficiatur, Omitto iam quae de impletione legis in hac materia Monachi dixerunt.

Quarto, etsi verissimum est, remissionem poenae aeternae nunquam divellendam esse a remissione culpae: Tamen necesse est discerni remissionem culpae, a remissione poenarum temporalium huius vitae. Nam Ecclesia propter multas causas cruci subiecta est, quas semper in conspectu esse oportet, quarum aliae sunt impulsivae, aliae finales, aliae προκαταρκτικαὶ, id est, irritatrices.

Prima est, cum propter lapsum primorum parentum tota posteritas rea sit et immunda, subiecta est morti corporis, et aliis aerumnis Ecclesia Dei, sicut reliquum genus humanum.

Secunda, cum mundus interiorem immunditiem humani cordis, dubitationes de Deo, neglectionem Dei, et multas vitiosas flammas cupiditatum, non ducat esse res a Deo damnatas, et contemnat iram Dei: Ecclesia magis premitur, quia vult Deus in Ecclesia conspici iram suam, et vult in nobis omnibus poenitentiam crescere, 1. Petr. 4. Iudicium a domo Dei incipit. Item Salomon: Filium quem diligit, corripit.

Tertia causa, quia diabolus maiore odio Filii Dei, et Ecclesiae ardet, ideo rabiosius grassatur in Ecclesia, conatur multos evertere, excitat haereses, et facit varias dissipationes, de hac causa dictum est in Genesi: Serpens mordebit calcaneum eius.

Quarta, saepissime singulares aliquae calamitates, poenae sunt certorum delictorum, quas Deus ideo irrogat hominibus, quia et iustitiae Dei est punire peccata, et vult Deus in hac vita in aliquibus exemplis conspici iram suam, et iustum iudicium adversus peccata, et vult revocari lapsos ad poenitentiam. Sic David propter adulterium, et proditum Uriam eiectus est ex regno. Manasse abducitur in exilium, et de universi populi exilio, et urbis Ierosolymae excidio inquit Ieremias cap. 22. et dicent unusquisque proximo suo: Quare sic fecit Dominus? et respondebunt: Eo quod reliquerunt pactum Domini Dei sui, et adoraverunt Deos alienos. Et Mich. 7. Iram Domini portabo, quia peccavi ei. Psalm. 88. Visitabo in virga iniquitates eorum.

Quinta causa, ut adflictiones sint testimonia doctrinae, ut Ieremias, Baptista, non propter peculiaria delicta interficiuntur, sed propter alias cau-

sas, ut aerumnae testentur eos serio sic sentire, ut docent, quia veritatem anteferunt vitae, et omnibus commodis corporum.

Sexta causa, ut adflictiones sint testimonium immortalitatis. Cum enim Deus illustribus miraculis ostenderit sibi placere Abel, Paulum et similes, et tamen sinit eos interfici, necesse est restare aliud iudicium.

Septima, ut fiamus similes imaginis Filii Dei.

Octava, etiam ubi non sunt externa delicta atrocia: tamen Deus vult in multis interiora mala, superbiam, admirationem sui, carnalem securitatem emendare, ut dicitur: Bonum mihi quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas.

Nona causa, ut appareat sanctos universam obedientiam praestare principaliter propter gloriam Dei, non tantum propter suas utilitates, ut in Psalmo dicitur: Haec omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te.

Decima, ut adpareat Ecclesiam non humanis consiliis et praesidiis, sed ab ipso Filio Dei, capite et duce Ecclesiae, divina potentia colligi, defendi et servari, et in nostra infirmitate conspiciatur praesentia Filii Dei propugnantis nos contra Diabolum. 2. Corinth. 4. Circumferimus thesaurum hunc in vasis testaceis, ut excellentia potentiae sit Dei, et non ex nobis.

Cum igitur multae diversae causae sint, cur Ecclesia subiecta sit cruci, non imaginandum est omnes calamitates certorum delictorum poenas esse, et satis commode distribuuntur afflictiones in quatuor genera, Aliae sunt *τιμωρίαι*, id est, poenae certorum factorum, ut exilium Davidis, vel supplicium politicum homicidarum, quae etiamsi sunt poenae, non tamen merentur remissionem culpae, aut poenae aeternae, sed sunt signa irae Dei adversus peccatum, vel testimonia iustitiae Dei irascentis peccato.

Aliae sunt *δοκιμασίαι*, id est, exercitia utilia ad frenandos pios, et confirmandam fidem, ut aerumnae Ioseph.

Aliae sunt *μαρτύρια*, id est, testimonia doctrinae, et immortalitatis, ut Abel, Ieremiae, Pauli, et similium neces.

Aliae sunt *λύτρα*, id est, pretium pro aliorum peccatis. Tale autem est sola mors unius Filii Dei. Sic Matth. 20. nominat suam passionem ipse Filius Dei, qua voce admonemur de re maxima, videlicet, non sine admiranda disputatione, de collatione iustitiae et misericordiae Dei, remissa esse generi humano peccata, quomodo videlicet Deus simul et iustus, et misericors esset. Eiiciamus enim ex mentibus nostris stultas opiniones humanas, quae somniant Deum ut lentum patremfamilias, seu ut Stoicum non irasci peccato, imo iustitia Dei vere et horribiliter irascitur omnibus omnium peccatis, ut dicitur: Deus est ignis consumens.

Fuit igitur disputatio de collatione iustitiae et misericordiae, quam nulla creatura explicare potuisset, sed miranda deliberatione divina, res ita diiudicata est, ut ira in Filium derivaretur, et caeteris hominibus propter Filium parceretur. Nam necesse fuit Deo per obedientiam, vel per poenam aequivalentem satisfieri.

Huius mirandae deliberationis causas discemus in vita aeterna, nunc beneficium ipsum vult nos agnoscere Deus, et vult nos utrumque cogitare, ingentem esse misericordiam, quod genus humanum receptum est, simul veram et ingentem iram adversus peccatum, quod poenam, et compensationem tantam intervenire oportuit.

Huc pertinet vetus argumentum dignum consideratione.

Misericordiae est parcere, sed iustitia est immutabiliter servare legem, requirere obedientiam, vel poenam aequalem.

Deus non solum est misericors, sed etiam iustus. Non igitur remittit sine compensatione, seu satisfactione.

Respondeo. Concedo totum argumentum, non facta est remissio sine satisfactione, scilicet persoluta per Filium Dei, sola obedientia Filii Dei est satisfactio, et aequale pretium pro nostris peccatis, et sacrificium placans iram Dei, sicut et Esaias inquit: Ponet animam suam hostiam pro peccato. Hanc victimam vult Deus aspici, et iram et misericordiam considerari, nec tribuendus est hic tantus honos, videlicet esse *λύτρον* seu satisfactionem pro peccatis, ulli hominum iustitiae.

Necesse est igitur taxari errores de canonicis satisfactionibus, sparsos in Ecclesiam horribili caecitate. Manifeste falsum est, remitti poenam aeternam propter canonicas satisfactiones, manifeste falsum et hoc est, potestate clavium tolli poenas temporales, non impositas arbitrio ministrorum, sed communes illas vagantes per totum genus huma-

num propter iram Dei vel propter confessionem, ut morbos, bella, inopiam et similes, quae sunt alias δοκιμασίαι, alias τιμωρίαι, alias μαρτύρια. Haec genera nihil ad potestatem clavium pertinent, id est, potestas clavium nec imponit, nec remittit.

Etsi autem vitandae obscuritatis causa nolo recitare omnes labyrinthos huius materiae, tamen quaedam argumenta refutabo, quae nunc excogitant aliqui astute, ut errores praetextu aliquo stabiliant.

Primum est hoc: Ecclesia pie facit iubens quaerere mitigationem poenarum, et modum ostendens.

Certissimum est autem propter bona opera mitigari poenas temporales.

Igitur Ecclesia recte facit, iubens facere certa opera.

Respondeo ad maiorem. Ecclesia recte facit iubens quaerere mitigationem poenarum, et modum ostendens scilicet traditum in Evangelio, non excogitans novos cultus. Verissimum est autem mitigari poenas tota conversione et bonis operibus a Deo mandatis. Clamat Ecclesia sicut Filius Dei, et sicut vox Spiritus sancti semper clamat: Agite poenitentiam. Item nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.

Item si peccata vestra fuerint ut coccinum, eritis candidi sicut nix. Si eritis in tristissimis poenis, et velut homicidae in supplicio conspersi cruore: tamen Deus mitigabit poenas, deterget cruorem.

Item, Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.

Haec inchoatio novae obedientiae, meretur mitigationem poenarum temporalium, et de his operibus a Deo mandatis intelligatur minor, non affingantur alia opera seu cultus non mandati a Deo. Quare si in conclusione addatur, Ecclesiam recte facere indicentem alia quaedam opera non mandata a Deo: insidiae sunt in conclusione, et neganda est consequentia, quia plus est in conclusione, quam in praemissis. Ecclesia recte facit praecipiens totam conversionem, et bona opera mandata a Deo, sicut mandata sunt, non recte facit fingens homines lege iustos esse, et alia nova opera facienda esse tanquam supererogationis, quae sint pretium ad compensandas poenas.

Caeterum de criminibus populo notis antea dictum est, Ecclesiam cum recipit lapsos, posse exempli causa publice commemorare delictum et poenitentiam, et adiungere aliquam piam obiurgationem et adhortationem etc.

Obiicitur et Pauli dictum: Si nos iudicaremus ipsi, non iudicaremur. Ergo si Ecclesia puniret, Deus parceret nobis, et mitigaret calamitates publicas et privatas.

Speciosum argumentum est, sed prudenter discernenda est vera castigatio ab hypocrisi. Totum argumentum verum est dextre intellectum. Si nos iudicaremus, id est, castigaremus seu emendaremus vera conversione, id est, si vero dolore cruciaremur, quod Deum offendimus, quod nostris scandalis turbavimus Spiritum sanctum, quod nobis et Ecclesiae cumulavimus miserias. In tali conversione, fides, spes, invocatio et nova obedientia vere impetrarent mitigationem poenarum, ut supra dictum est, et Iohel inquit: Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia bonus est, et remittit poenas.

Cum igitur Paulus inquit: Si nos iudicaremus etc. veram poenitentiam seu ipsam conversionem ad Deum intelligit, ne de aliis operibus non debitis loquitur, de quibus scriptum est: Frustra colunt me mandatis hominum, et sine vera conversione nulla opera Deo placent, quia Deus requirit obedientiam cordis, id est, verum timorem, veram fidem, spem acquiescentem in promissione Dei, veram invocationem, iuxta illa dicta: Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu et veritate.

Item, sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicies. Nec plus valent coram Deo ieiunia non conversorum, aut aliae poenae, quam valuerunt lacerationes corporum, quas faciebant sacerdotes Baal, et quales hodie dicuntur facere Turcici sacerdotes, qui ritus omnes ad hanc regulam pertinent: Frustra colunt me mandatis hominum.

Haec de satisfactionibus hoc loco dixisse satis sit: Nam et alibi eadem doctrina saepe exposita est, sed necesse est totam doctrinam de poenitentia, saepe in Ecclesia repeti, ut omnibus notissima sit, et semper sit in conspectu, quia in omni invocatione quotidie cogitanda est. Semper enim obstrepit invocanti haec tristis concio: Peccatores Deus non exaudit.

Huius obiectionis refutatio sumenda est ex doctrina de poenitentia, videlicet non audiri pec-

catores, non agentes poenitentiam, sed agenti poenitentiam mandatum est, ut credat, se propter Filium Dei gratis recipi et accipi, ac placere eius invocationem: Hanc fidei lucem non sinamus extingui falsis opinionibus de satisfactione Canonica, sicut saepe in Ecclesia valde obscurata est etiam vetustis temporibus, et cum extinguitur haec lux fidei, recipiuntur opiniones Ethnicae, et Turcicae, quae fingunt remitti culpam propter satisfactiones humanas, sicut nunc quoque docent Turcae, remitti periurium diviti, si decem pauperibus praebeat vestem, et homines non praemoniti, facile capiuntur illa operum specie. Ideo tales opiniones maiore cura refutandae sunt, et simul corda excitanda sunt ad veram conversionem, quae sine ulla dubitatione impetrat auxilium Dei, et mitigationem praesentium calamitatum, ut dictum est.

Et pro hac luce doctrinae Deo, gratias agamus, et gratitudinem declaremus in confessione et studio conservandae huius puritatis.

VIII. DEFENSIO CONIUGII SACERDOTUM PIA ET ERUDITA,

MISSA AD REGEM ANGLIAE, COLLECTA A PHILIPPO MELANTHONE.

Haec Defensio anno 1540. scripta prodiit in hisce collectionibus scriptorum Melanthonis:

Defensio | Conivgii Sacerdotvm pia | & erudita, missa ad Regem Angliae, | collecta à Philippo Melan- | thone. | ΑΔΕΣΠΟΤΑ. | Refvtatio abvsvvm Coe- | nae Domini. | Ervdita et vtilis dispv- | tatio de potestate Pon- | tificia. — (In fine:) *Argentorati ex officina | Cratonis Mylii, | Men. Decemb. | Anno | M.D.XL.* 9 plagg. litt. A—I sign., 140 pagg. num., penult. 1½ foll. alba, ult. pag. Insigne typogr. cont., 8. min. (pag. 2. Querela animarum piarum ad Deum, de Tyrannis, qui interficiunt pios propter Evangelii professionem [10 Disticha]; p. 3 — 47. De coniugio Sacerdotum Phil. Mel.; p. 48—75. De usu integri Sacramenti corporis et sanguinis Christi; p. 76—101 med. Contra privatam Missam; p. 101. med. — 109. De Missa theatrica; p.1 10—131. De Potestate et Primatu Papae. ἀδέσποτον; p. 132—140. De Potestate et Iurisdictione Episcoporum, subiunctâ Clausulâ; penult. 1½ foll. [fol. I 7ᵃ —8ᵃ] vacant, ult. pag. [fol. I 8ᵇ] cont. Insigne typogr. Cratonis Mylii). *)

Huius collectionis prodiit a. 1549. haecce altera Editio:

Defensio. | Conivgii | Sacerdotvm pia et | ervdita, missa ad Regem | Angliae, collecta à | Philippo Melanthone. | ΑΔΕΣΠΟΤΑ. | Refvtatio ab- | usuum coenae Domini. | Ervdita et vtilis | disputatio de potestate | Pontificia. | Vitembergae, | per Ioannem Cratonem. | M. D. XLIX. — (In fine:) *Impressvm | per Ioannem Cratonem.* superposito Insigni Io. Cratonis. 9 plagg. litt. A — I sign., 70 foll. non num., ult. 2 foll. alba, 8. min. (fol. A 1ᵇ Querela animarum piarum ad Deum etc.; fol. A 2ᵃ — C 8ᵃ init. De coniugio Sacerdotum Philip. Melan.; fol. C 8ᵃ med. — E 5ᵇ De usu integri Sacramenti corporis et sanguinis Christi; fol. E 6ᵃ — G 2ᵇ init. Contra privatam Missam; fol. G 2ᵇ med. — 6ᵇ med. De Missa theatrica; fol. G 7ᵃ — I 1ᵇ med. De

*) Haec Ed. et sequens in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris sunt.

Potestate et Primatu Papae, ἀδέσποτον; fol. I 2ª — 6ª med. De Potestate, et Iurisdictione Episcoporum; fol. I 6ᵇ Insigne typogr. litteras I K coniunctas continens, subiunctâ Clausulâ; fol. I 7. 8. vacant.).

Praeter hanc collectionem eadem scripta eodem ordine exhibentur in utraque Ed. collectionis supra recensitae, cuius titulus est: *Libelli aliquot utiles Philippi Melanthonis* etc. (*Vitebergae* 1560. et 1561. 8.) fol. 77ᵇ — 138ª.

Denique eadem, exceptâ *Disputatione de Potestate Pontificia,* extant cum annotatt. marginal. in *Peucerianae Collectionis Operum Melanthonis Parte II.* (*Vitebergae* 1562. Fol.) pag. 168—200.

Defensio coniugii Sacerdotum, quae latine tantum cum aliis libellis coniunctim edita est, a Iusto Iona in germanicam linguam translata a. 1541. separatim prodiit sic inscripta:

Eine Schrifft Phi= | lip. Melanth. new= | lich latinisch gestellet, Wid= | der den vnreinen Bapsts | Celibat, vnd verbot der Priester= | ehe. Verdeudtschet durch | Justum Jonam. | Wittemberg. | Anno M. D. XLI. — (In fine:) Gedruckt zu Wittemberg, | durch Josephi Klug. **9 plagg. litt. A—J sign., 35 foll. non num., ult. fol. album, 4. (fol. A 2ª — J 2ᵇ med.** Eine Schrifft Philip. Mel. Von der Priesterehe, Das sie wider alle Göttliche vnd natürliche Rechte, vnd alle gewonheit vnd brauch der Kirchen verboten ist; **fol. J 2ᵇ med. — 3ᵇ cont. 9 Locos Scripturae S. germanice, illi libello annexos, in quorum fine Erratum atque Clausula leguntur; fol. J 4 vacat.).** *)

Ab hoc Melanthonis scripto prorsus differt illud, quod primum a. 1551. seorsim prodiit sub hac inscriptione:

***De Coniv- | gio piae commo- | nefactiones col- | lectae a Phi- | lippo Melan | thone. | Witebergae | excvdebat Io- | hannes Cra- | to. Anno | MDLI.* 4 plagg. litt. A—D sign., prima 8 foll. non num., 32 pagg. num., seqq. 13 pagg. non num., ult. 3 pagg. albae, 8. min. (fol. A 2ª — 8ª init. Melanthonis praefatio ad Petr. Medmannum Cal. Maii 1551. scripta; fol. A 8ᵇ Quatuor disticha; fol. B 1ª — C 8ᵇ [pag. 1 — 32.] et fol. D 1ª — 7ª De Coniugio; fol. D 7ᵇ — 8ᵇ vacant.).** **)

Deinde hoc scriptum *Locis Theologicis* et *Examini Ordinandorum* annexum iterum iterumque editum est. In huius Corporis Vol. XXI. p. 1051 — 1076. post Locos tanquam Appendix I. est recusum. In vernaculam linguam a Steph. Agricola translatum seorsim 1555. prodiit sic inscriptum:

Christliche Erinnerung von dem heiligen Ehestande, verdeutscht durch Steph. Agricolam. Wittemberg 1555. **2 plagg. 8.** ***)

Defensioni coniugii Sacerdotum, quae h. l. *ex Editione Witebergensi anni* 1549. denuo editur, in omnibus illis Editt. latini libelli, praefationis loco, praemissa est rhythmica *Querela animarum piarum ad Deum,* quam in huius Corporis Vol. X. inter Carmina auctoris non inveni, quam ob causam hic item praemittitur:

Querela animarum piarum ad Deum, de Tyrannis qui interficiunt pios propter Evangelii professionem.

O Pater alme Deus, terraeque polique creator,
Ista manum cuius machina vasta tremit,

---

*) Haec interpretatio in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est.

**) Hoc scriptum in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est.

***) Haec translatio in Biblioth. senat. Norimb. invenitur.

Omnia qui cernis, verique es amator et aequi,
Fallere quem non est ullius arte doli,
Unicus innocuis, si iustus es arbiter, umbris,
Solus et insontis sanguinis ultor ades.
Si tua pacifici cruor intemeratus Abeli,
Voce fatigavit sidera clara poli,
Ecquid adhuc iustam lentus non surgis in iram?
Et potes haec contra te fera tela pati?
Ecce rebellantes audacter ut omne Tyranni,
Iusque tuo Christo fasque piumque negant.
Respicis insontes animas, tristemque cruorem?
Illis pro verbo quem damus ecce tuo.
Respicis, et patulis gemitus hos auribus hauris,
Quos tibi semineces reddimus ore pio.
Utque truces raro tristi sine caede Tyranni,
Et sicca ad stygias morte feruntur aquas,
Sic quoque nunc meritas pendent cum sanguine poenas,
Quos iuvat iniusta tingere caede manus.

DE CONIUGIO SACERDOTUM

PHILIP. MELANTHON.

Ex Editione Witebergensi anni 1549.

Multi Principes viri palam fatentur defendi coelibatum, nec religione, nec superstitione aliqua, sed tantum quia commodior est ad potentiam et splendorem sacerdotum retinendum. Satis enim constat, concesso coniugio, oportere et numerum et pompam diminui, ut Graecorum sacerdotes nec tantas opes, nec imperia adepti sunt. Turba etiam tanta in singulis Ecclesiis, praeterquam ubi scholae erant, non fuit. Nolunt autem Episcopi et alii ambitiosi sacerdotes, aliquid de dignitate, aut de splendore detrahi. Accedit huc, quod Regum et Principum aulae sunt ornatiores et frequentiores satellitio Episcoporum et Canonicorum, qui comitantur aulas sine Regum sumptu. Et hic coetus magno usui est Regibus. Hinc sumuntur Iudicum decuriae, hinc deliguntur homines expediti ad Legationes, ad multa et varia Regum negotia. Deinde Reges etiam adfectibus nobilitatis serviunt, quae est inimicissima coniugio sacerdotum, propterea quod ipsi nunc passim opulentis collegiis fruuntur. Et multae familiae dignitate et opibus augentur in hoc statu Ecclesiasticorum procerum. Amitteret autem nobilitas plerasque harum commoditatum, ut facile potest iudicari, si concederetur coniugium sacerdotibus, quod cogeret aliquid de luxu et de splendore diminui. Ideo coelibatum ambitiosi Canonici, Nobilitas, et Reges ipsi tanto consensu, tantis studiis defendunt. Est etiam multitudini Canonicorum grata licentia vulgo impune scortandi. Propter has causas haeret in Ecclesia ingens turpitudo, quae dedecorat totum nomen Christianum. Boni agnoscunt, quantum sit onus coelibatus, et tolli cuperent, et hi sunt paucissimi: Reliqua infinita multitudo quam inquinate vivit? Quam nepharia flagitia cernuntur Romae et alibi? Qualis est species collegiorum, in quibus sunt magna agmina scortorum et adulterarum? Haec rident Epicurei Pontifices ac Principes, et nos putant esse agrestes ac stolidos, qui has delicias arbitramur reprehendendas esse. Si iudicarent esse Deum, et vere irasci libidinibus, easque punire, facilius persuaderi possent, ut iniustas et tyrannicas leges abolerent, quae sunt fontes tantorum scelerum, quibus Ecclesia polluitur. Sed dolendum est adeo prophanas mentes esse multorum, ut libidines rideant, deinde defendant legem de coelibatu propter opes, et tamen falso praetexant religionem et nomen Dei. Hanc contumeliam nominis sui profecto Deus puniet, ut dicit: Non erit impunitus, qui nomine Dei abusus fuerit.

Haec praefari volui: quid enim opus est in causa perspicua disputatione ulla? Omnes enim honesti et mediocriter periti doctrinae Christianae et historiarum, norunt hanc Pontificiam legem de coelibatu pugnare cum iure naturali et divino, et

veteris Ecclesiae consuetudine, Et paulatim plus accessit tyrannidis. Circa tempora Gregorii qui ducebant uxores in Latina Ecclesia, tantum a ministeriis removebantur: Postea exacerbata lege, prorsus ademtum est coniugium sacerdotibus: Nunc interficiuntur qui ducunt uxores, cum in Ecclesiastica gubernatione inprimis lenitas adhibenda sit.

Etsi autem haec causa adeo perspicua est, ut non habeat opus longa disputatione, tamen colligam testimonia iuris divini, quae docent, sacerdotibus non prohibendum esse coniugium, eamque prohibitionem impiam et iniustam esse, recte facere pios sacerdotes, qui ducunt uxores, ac pertinere ad officium Principum, abolere prohibitionem illam iniustam et tyrannicam.

Vocamus autem coniugium, legitimam et perpetuam coniunctionem unius viri, et unius tantum foeminae divinitus institutam generationis causa, et ordinatam ad vitandas libidines prohibitas, iuxta dictum illud: Erunt duo in carne una, videlicet, ut in ea vocatione Deo conditori morem gerant, obtemperent eius ordinationi, vitent ne polluantur contra eam ordinationem, vir non despiciat sexum foemineum, sed honore adficiat, et sciat sibi quisque suam coniugem, tanquam partem generis humani, tuendam, iuvandam, et amandam esse, procreent liberos, eisque tradant veram Dei notitiam, ut agnitio Dei propagetur, et in terris conservetur. Hi sunt enim praecipui fines coniugii, de quibus saepe concionatur doctrina coelestis. Accedunt et alii fines, coniugia colenda esse, ut iuvemus communem societatem hominum, ut cives gignamus atque educemus usui futuros patriae. Hi fines Philosophis et Legumlatoribus noti fuerunt. Sed Plato etiam de priore fine loquitur, inquiens, Ideo coniugio utendum esse, quia, cum homines ex hac societate morientes discedant, debeat unusquisque pro se alios Deo cultores in hoc coetu relinquere. Haec vox dignissima est memoria piorum: Nam hic praecipuus finis coniugii esse debet. Propter hunc finem expetebant liberos Abraham, Isaac, et multi veteres Episcopi, ut relinquerent fidos custodes doctrinae coelestis.

Prima Ratio.

Quod sacerdotibus liceat habere coniuges, aperte testatur Paulus ad Timotheum et ad Titum: Oportet Episcopum unius uxoris maritum esse. Haec sententia sine ulla dubitatione testatur, non pugnare coniugium cum ordine, sed licere eligi sacerdotem maritum. Repudianda est igitur illorum amentia, qui vociferantur coniugium cum natura ordinis pugnare. Tota Graeca Ecclesia usque ad hunc diem testatur, Sacerdotes posse maritos esse, posse habere uxores, vel ante ordinationem, vel postea ductas, ut infra copiosius ostendemus. Nunc illud tantum agimus, ut ostendamus sacerdotes posse esse maritos: quod dicimus ad refutandum errorem illorum, qui contenderunt coniugium cum ordine pugnare. Nec levis est hic error, ac multa deliramenta complectitur, fingit coniugium esse rem immundam, hoc est, vitae genus vitiosum, quod aut non adprobet Deus, aut certe in aliquo piorum hominum gradu non adprobet. Huic superstitioni necesse est reclamare, quae quidem damnata est etiam in Synodo Gangrensi, in qua sunt utilia et pia decreta contra Marcionis sectam facta, in quibus et hoc est: Si quis discernit Presbyterum conconiugatum, quasi propter nuptias offerre non debeat, et ab eius oblatione ideo abstinet, anathema sit. Etsi autem quaerunt adversarii cavillationes ad hoc decretum eludendum, tamen certum est, hanc esse sententiam, Coniugium presbyteri nihil differre a coniugio aliorum, et id vitae genus Deo placere. Cum igitur certum sit, ex testimoniis scripturae et veteris Ecclesiae, ordinem non pugnare cum coniugio, sententiae generales dictae de omnibus viris, etiam ad sacerdotes pertinebunt. Accedunt igitur reliqua testimonia.

Secundum Testimonium.

Vitandae scortationis causa, unusquisque uxorem suam habeat. Haec sententia praecipit omnibus uti coniugio, qui non sunt ad coelibatum idonei, ac sine ulla dubitatione pertinet non ad solos Laicos, sed etiam ad Sacerdotes. Est enim universale mandatum: Unusquisque uxorem habeat vitandae scortationis causa. Nec ulli ab hoc mandato sunt excepti, praeter illos quos Deus excipit, videlicet, qui aut natura sunt emasculati, aut praediti singulari dono, ut pure etiam sine coniuge vivere possint: tantum hi sunt excepti a regula, de caeteris omnibus valet dictum Christi: Non omnes capiunt hunc sermonem. Natura enim hominum ita condita est: ut sit foecunda, sicut in Genesi scriptum est: Masculum et foeminam creavit eos, id est, indidit utrique sexui mutuam coniunctionis appetitionem, quae quidem in natura integra fuisset sine vitio. Nunc non est sublata naturalis inclinatio, sed vagatur sine ordine, eoque magis opus est coniugio, ut coherceatur, sicut omnes doctores scribunt, coniugio post lapsum primorum parentum

non tantum procreationis causa utendum esse, sed etiam ut sit remedium errantium appetitionum. Manet inclinatio ad sexum, quae est στοργὴ φυσικὴ a Deo indita naturae hominum, sed nunc sine ordine vagatur. Cum igitur eo magis opus sit coniugio, dixit Paulus: Vitandae scortationis causa, unusquisque uxorem suam habeat. Nec levem sententiam putemus adiectam esse ad praeceptum in Genesi, ubi de benedictione, de procreatione dicitur: Hic additur doctrina de remedio, ut magis intelligatur necessarium esse coniugium. Quid contra haec dici potest? An obscurum est, qualis sit natura hominum, quanta infirmitas, quam pauci praediti sint dono continentiae? Quam multae leguntur et audiuntur querelae bonorum, qui cum conati sint pure in coelibatu vivere, tamen senserunt se id nequaquam assequi posse. Repugnant enim duae res maximae: Primum, ipsa naturae inclinatio, deinde, infirmitas quae accessit. Sed reclamant adversarii, et domari naturam iubent inedia, laboribus, et aliis vexationibus, ut extinguantur libidinum incendia. Cur ipsi non domant? Multi boni fatentur, se infeliciter hoc conatos esse. Non enim sine gravi causa dictum est a Paulo: Melius est nubere, quam uri. Nisi adsit singulare donum naturae corporum, etiamsi inedia aut laboribus duriter vexentur, tamen, ut ita dicam, interdum exundant. Haec Paulus docet vitanda esse.

Tertium Argumentum.

Stabilire doctrinas daemoniorum est impietas. Prohibitio coniugii est doctrina daemoniorum: Ergo stabilire ac defendere eam, est impietas. Paulus enim in priore ad Timotheum aperte vocat prohibitionem coniugii doctrinam daemoniorum. Nec leve malum significat Paulus, cum nominat doctrinas daemoniorum. Hae fanaticae prohibitiones multa ingentia mala pariunt, ut res ostendit. Infinita multitudo contaminata libidinibus, ruit in aeternum exitium, propterea quia non licuit uti coniugio. Et otium ac opes auxerunt luxum, qui multa vitia complectitur, ambitionem, ingluviem, et libidines. Non stupris, non adulteriis contenti sunt Pontifices, Cardinales, et Monachi, sed accedunt teterrima flagitia, propter quae Deus saepe totas urbes subito delevit, ut Sodoma, Sybarin, Athenas, Spartam, Thebas, Romam, et alias multas. Nunc prohibitio coniugii non tantum haec vitia parit, luxum, libidines omnis generis, sed etiam crudelissima parricidia. Nam propter hanc legem pii interficiuntur, qui ducunt uxores. Tanta seges malorum cum ex una lege oriatur, satis apparet Paulum non exiguam rem significasse, cum nominat doctrinas daemoniorum. Atque haec prohibitio statim post Apostolica tempora concutere Ecclesias coepit. Montanus et Marcion, ut se venditarent simulatione maioris puritatis, prohibuerunt ac damnarunt coniugium. Ac narrat horum Epiphanius horrenda flagitia, deque ipso dogmatis autore Marcione scribit, eum exceptum hospitio a quodam Diacono in Cypro, abduxisse ab hospite uxorem ipsius, deceptam specie novae religionis. Sed cum abductam stuprasset Marcion, misera mulier aliquanto post ad maritum rediit, deplorans suum erratum, et veniam petivit. Hanc mulierem ait multis postea monitricem fuisse, ne amplecterentur Marcionis dogmata, cum narraret, alias multas mulieres in eo sodalitio, etsi simulabant continentiam, tamen promiscue obnoxias esse libidini fanaticorum Doctorum. Haec fuerunt initia legis de coelibatu. Postea secuti sunt ἐγκρατηταί. Ab horum exemplo Monachi orti sunt: Et ne viderentur inferiores Sacerdotes istis, coeperunt hi quoque partem superstitionis imitari. In Synodo Nicena quidam voluerunt decretum fieri, ut hi qui habebant uxores, electi ad munus Ecclesiasticum, postea a consuetudine uxorum abstinerent. Quanquam autem tunc repudiata est haec impietas, tamen aliquanto post haec tyrannis pervasit in Ecclesias in Occidente, ut postea dicam. Haec erant semina tyrannidis Antichristi, cuius et hanc legem propriam fore praedixit Daniel, qui ait: illum impium Regem dominaturum in Ecclesia, nec Deum, nec mulieres curaturum, sed foedis et incestis libidinibus contaminaturum esse Ecclesiam. Quid hoc aliud est, quam digito monstrare Romanos Pontifices? Horum tantorum scelerum, quae significat Paulus et Daniel, societate contaminantur, qui defendunt legem de coelibatu, stabiliunt doctrinas daemoniorum, approbant regnum Antichristi, confirmant foedas libidines, et multas alias pestes. Ideo pietas est, non defendere, non adprobare, sed prorsus illam perniciosam legem abolere, et reddere Ecclesiis pium usum coniugii divinitus institutum.

Quartum Argumentum.

Hactenus recensui testimonia ex scripturis, nunc adiiciam exempla primae et purioris Ecclesiae. Nihil dubium est, Apostolorum tempore et diupost, in Graeca et Latina Ecclesia fuisse Sacerdotes maritos. Apud Eusebium lib. 5. Ecclesiasticae historiae fit mentio Polycratis Episcopi Ephesii, qui ait se ortum ab Episcopis, haec enim sunt verba: Sed et ego omnium vestrum minimus Polycrates, traditionem parentum meorum observo, septem namque ex parentibus meis per ordinem

fuerunt Episcopi, ego octavus, qui omnes ita observaverunt hunc diem. Habuit et Latina Ecclesia maritos Sacerdotes longo tempore, ut Syricii historia testatur, qui primus divellere coniugia Sacerdotum in Hispania conatus est, etsi Sacerdotes Hispani parere decreto Syricii recusarunt, et patronum habuerunt suae causae Episcopum Tarraconensem, qui respondens Romano Episcopo, citat dicta Evangelii, quae vetant dissolvi connubia. Sed rescripsit Syricius adeo arroganter ac stolide, ut mirum sit tantam tunc in Ecclesia inscitiam, audaciam, impietatem, et tyrannidem fuisse. Vituperat honestos maritos, et contumeliose vocat libidinum defensores. Insulse detorquet et dictum Pauli contra coniugium: Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Si tanta erat inscitia, ut arbitraretur hoc dicto vituperari coniugium, multo dignior fuit Syricius, qui remos in navi agitaret, quam qui ad gubernaculum in Ecclesia Christi sederet. Sed si sciens ita lusit, impudentia multo magis fuit digna odio, quam inscitia. Vivere secundum carnem, est ruere contra mandata Dei, non significat uti coniugio, cibo, potu, iuxta mandata Dei. Postea Gregorius sacerdotum coniugia distraxit in Sicilia, ac paulatim vetus consuetudo abolita est. In Germania sero, etiam reclamante Episcopo Augustano, ut apparet, gravi viro Ulrico, impositum est onus coelibatus nostris Sacerdotibus. Deinde Moguntiae cum decretum Hildebrandi teterrimi monstri proponeretur de coelibatu, tanto tumultu repudiatum est iniustum et turpe edictum, ut pene manus iniectae fuerint Episcopo Moguntino et Curiensi, qui legatus erat Hildebrandi, etsi Moguntinus fuit aequior, qui promisit se daturum operam, ut Hildebrandum de sententia deduceret. Multa alia testimonia extant, quae ostendunt admodum recentem esse hanc legem de coelibatu, quae nunc ab adversariis plus quam Neroniana crudelitate defenditur. Quanquam autem res nota sit, tamen haec recensui, ut ipsa exempla commonefaciant lectores, coniugium non pugnare cum ordine, ut aliqui somniant, et nos non esse autores novi exempli in Ecclesia, sed veterem et piam consuetudinem revocare.

Quintum argumentum.

Naturalia vere sunt immutabilia, nec prohiberi legibus humanis possunt, ut appetitio et usus cibi ac potus. Appetitio maris ad foeminam est iuris naturalis: Ergo non est humanis legibus prohibenda.

Minorem ostendunt dicta in Genesi: Creavit Deus masculum et foeminam. Quibus videlicet indidit mutuam coniunctionis appetitionem, quae, ut supra dixi, in natura integra etiam fuisset, et fuisset ordinata. Nunc inclinatio illa non sublata est, sed, ut dixi, vagatur sine ordine, ideo magis opus est coniugio. Pugnant igitur cum natura, qui prohibent legitimam coniunctionem maris et foeminae, ut si prohiberent honorem praestari parentibus, aut alia, quae divinitus ordinata sunt in hominum natura. Neque enim excepti sunt ab hoc iure naturae ulli, praeter eos quos Deus excepit, iuxta dictum Christi, videlicet, qui aut natura eunuchi sunt, aut habent singulare donum. Testatur autem Christus id donum non contingere multis, ut eventus ostendit. Et iudicare quisque facile potest, quid velit Paulus inquiens: Melius est nubere, quam uri. Cum igitur ius divinum et naturale praecipiant uti coniugio omnibus, qui non sunt ad coelibatum idonei, et consuetudo primae Ecclesiae testetur, Sacerdotes fuisse maritos, satis liquet, legem de coelibatu iniustam et abolendam esse, et sacerdotes qui ducunt uxores, recte et pie facere. Sed quia hanc verissimam sententiam quidam ineptis cavillationibus labefactare conantur, has breviter diluemus.

Confutatio.

Praecipua cavillatio est de voto. Etsi propter opes et splendorem sacerdotum defenditur coelibatus, tamen votum praetexitur. Multi fatentur, Sacerdotes, si voto non impedirentur, posse uxores ducere, Sed quia votum accessit, arcent eos a coniugio. Sed haec obiectio multis firmissimis causis refutari potest. Ac priusquam ad refutationem accedo, hoc postulo ab istis, qui votum allegant: Si tantum voto impeditur coniugium, cur non abolent Episcopi morem vovendi, cum videant inde tantum oriri scelerum? cum videant Ecclesiam adeo deformatam esse spurcissimis moribus plurimorum? Nec dubium est, singulos Episcopos hanc vovendi consuetudinem in sua dioecesi et posse et debere abrogare. Deinde haec tota consuetudo vovendi prorsus dissentit a natura voti, et plena est ambiguitatum. Ut Hypocrisis est flexiloqua et ambages habet plurimas. Primum, etiamsi voveant, tamen omnes qui accedunt ad hunc gradum, mallent non vovere, dolent vitae genus oneratum esse hac servitute. Porro, Non est votum, quod non est voluntarium. Temporibus haec recepta sunt, et confirmata exemplis multorum et potentum. Haec reliquum vulgus, ut solet fieri, imitatur. Sed res ipsa dissentit a natura voti. Omnes enim sani mallent sibi concedi coniugium. Sed videamus ambigua. Scio diversis modis proponi obligationem. Alii dicunt

haec verba: Promitto castitatem, quatenus humana fragilitas permittit. Hi certe non promittunt se non usuros esse coniugio. Nam conditio non concedit scortationem. Alii dicunt haec verba: Promitto me obtemperaturum esse Canonibus. Et haec est forma verborum in vetustioribus Ecclesiis. Vide autem Lector, quae hic sit ambiguitas. Canones diversi sunt, Veteres non prorsus adimebant coniugium Pastoribus Ecclesiarum aut Diaconis, sed si quis ducebat uxorem, removebant a ministerio, Haec missio tunc beneficii loco esse poterat, cum non erat otium sacerdotibus, quale nunc est in collegiis, sed Pastores in acie stabant, et maximis periculis gubernationis et confessionis exercebantur. Postea Canones tyrannici conditi sunt, sine autoritate Synodorum, loquentes de perpetuo coelibatu. Sed quoquo modo haec verba accipiuntur: Promitto obedientiam Canonibus, constat erudita et vera interpretatione, tantum lege, non voto prohiberi coniugium, sicut lege adiguntur ad alias multas ceremonias in Canonibus traditas. Estque nota sententia talium promissionum, cum pollicemur nos legibus obtemperaturos esse. Obligamus enim nos ad poenam subeundam. At nulli Canones poenam capitalem irrogant: Imo crudelitas est indignissima Ecclesia, afficere capitali supplicio hominem propter coniugium. Sed omitto has tenues excusationes, quae etiamsi valent, tamen conscientiae flagitant graviorem et firmiorem doctrinam.

Exaggerent igitur votum, quantum volent, tamen opponenda est haec sententia, quae labefactari nullo modo potest. Omnia impia vota, et facta contra mandata Dei, sunt irrita. Votum coelibatus est impium, et factum contra mandatum Dei, Quare est irritum.

Haec ratio nulla cavillatione eludi potest, et vere liberat pias mentes superstitione huius voti. Constat enim vota facta contra mandata Dei, irrita esse. Non enim colitur Deus iis factis, quae prohibet, ut inquit Psalmus: Non Deus volens impietatem tu es. Quoties clamitant Canones, in promissis, quae sine peccato praestari non possunt, pacta rescindenda esse? Pugnat autem hoc votum cum mandatis divinis, et iure naturae, ut supra dictum est. Deus praecipit his, qui non sunt idonei ad coelibatum, ut coniugio utantur, idem sancit ius naturae. Non potest autem voto tolli aut lex divina, aut ius naturae, ut si quis promittat se non affecturum honore parentes.

Est et alia causa, cur hoc votum sit impium, quae est quidem firmissima, sed rudes doctrinae Christianae non satis eam intelligunt, Superstitiosi cultus non placent Deo, iuxta illud: Frustra colunt me mandatis hominum. Item: Non Deus volens impietatem tu es. Hoc votum est superstitiosus cultus, et multos errores complectitur: Ideo non placet Deo. Nam tota res ex superstitione orta est illorum, qui non intelligebant iustitiam fidei, nec norant haec oeconomica et politica officia consecrata verbo Dei esse bona opera et Deo placentia, in quibus Deus vult nos iuxta verbum suum servire, exercere fidem, et dilectionem, nec excogitare novos cultus, quos ipse nobis non proposuit. Fingunt igitur coelibatum esse opus excellens, propter quod Deus fiat placatior hominibus, Arcent coniuges a Deo, tanquam immundos, hoc est, non placentes Deo, aut certe implicitos vitae generi multo periculosiori, quod vix possit placere Deo, sicut constat, multos de coniugalibus officiis dubitasse, an Deo placeant. Hae superstitiosae opiniones non exiguas tenebras induxerunt doctrinae de iustitia fidei, et de veris Dei cultibus. Constat autem ex ipsis Canonibus vota hoc errore flagitari et praedicari. Canon, Proposuisti, distin. 82. diserte allegat hanc causam: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Quod dicemus esse falsi crimen, si hoc non est? Flagitiose enim detorquet Papa dictum Pauli ad prohibitionem coniugii, cum longe aliud velit Paulus: Hic ludus nequaquam in Ecclesia tolerandus est. Ac mirum est, tot seculis homines doctos, qui Canones legerunt, tulisse has coniugii contumelias. Alius Canon, Decernimus, allegat causam prohibiti coniugii, quia non debeat sacerdotes servire cubilibus et immunditiis.

Haec impie dicta reprehendi in Ecclesia necesse est, et hac persuasione facta vota haud dubie sunt irrita. Coniugium enim est munditia, hoc est, genus vitae Deo placens, sicut testatur Paulus, inquiens: Salvatur mulier per filiorum generationem. Laudat officium coniugale. Nam veri cultus Dei sunt opera, quae ab ipso nobis praecepta sunt, quae fiunt praelucente ipsius verbo. Haec doctrina in Ecclesia multis de causis necessaria est. Cum enim cultus excogitamus nostro arbitrio, disceditur a verbo Dei, vera notitia Dei amittitur, ac firma consolatio in veris agonibus excutitur.

Ubique igitur damnant Prophetae ἐθελοθρησκείας, revocant nos ad opera praecepta divinitus. In his luceat fides, quae petat gubernari pericula, exitus: In his exerceantur dilectio et caeterae virtutes. Porro, ut mundities vere significat hanc obedientiam Deo placentem, ut dixi, ita immunda opera sunt, non solum scortationes, sed etiam omnes superstiosi cultus non mandati a Deo. Quare coniugalia officia vere sunt mundities, ut recte dixit Paphnutius, castitatem esse consuetudinem coniugalem.

Econtra vero coelibatus non eo tantum est immunditiea, quia paucissimi sine turpitudine sunt coelibes, sed etiam ob hanc causam, quia est superstitiosus cultus.

Cur igitur laudat Paulus ad Corinthios virginitatem? Laudat in his, qui sunt idonei, et qui propter hunc finem id vitae genus amplectuntur, ut expeditiores sint ad docendum, ad serviendum Ecclesiis: Non sic laudat, quod id opus magis gratiam mereri iudicet. Hunc errorem pugnantem cum iustitia fidei maxime execratur. Non negamus differre genera vitae: Antecellit gubernator civitatis nautae, sed non magis meretur gratiam gubernatio civitatis, quam ars nautica. Et fieri potest, ut nauta verius colat Deum, quam gubernator civitatis. Non igitur differunt hi gradus, quod ad vitam spiritualem, seu quod ad gratiam attinet, etsi inter sese collati in vita externa alii aliis antecellunt, vult enim Deus esse ordinem functionum.

Hactenus de voto dixi, quantum in hoc loco opus est, quod valde exaggerant quidam, non quod sic sentiant, sed ut qualicunque praetexta retineant morem ipsis utilem. Revera lege humana, non voto prohibetur coniugium. Et ut accederet votum, certissimum est vota irrita esse, quae fiunt contra mandata Dei, quae sine peccato non possunt praestari. Cur ad hanc excusationem gravissimam et verissimam, surdas aures habent isti asperi atque immites coelibatus defensores, cum palam videant, quantum scelerum oriatur ex hac coniugii prohibitione? Si arbitrantur Deum offendi libidinibus, cur non iubent Episcopos abolere votum? cur laqueum scientes iniiciunt his, qui ad Ecclesiasticas functiones adhibentur?

Nec peto in hac causa aliud, nisi ut iudex animum adferat aequum, cupientem consulere conscientiis piorum, amantem veritatis, abhorrentem a monstrosis libidinibus, quae parit coelibatus, cogitantem vere Deum irasci vulgari scortationi et adulteriis, sicut inquit textus: Scortatores et adulteros iudicabit Deus. Si quis autem propter opes et splendorem sacerdotum decrevit omnino defendere coelibatum, quid cum illo disputemus, qui causam non veritate, sed utilitate metitur? Et callidis ingeniis non difficile est excogitare praestigias aliquas, ad eludendam quamvis perspicuam veritatem. Sed a iudiciis controversiarum Ecclesiae, removenda est Sophistice, quam odisse omnes pios et graves viros ex animo decet.

Secunda Obiectio.

In Lege abstinebant Sacerdotes a consuetudine coniugum, certo tempore, dum obibant suas functiones. Nunc Sacerdotes semper esse parati ad ministeria sua debent: Ergo semper abstinere debent. Sic est, Non desunt cavillationes iis, qui veritatem non amant. Utitur hoc argumento Papa in distin. 82. Sed si volunt exemplum Legis sequi, cur in totum prohibent coniugium? Lex exiguo tempore consuetudinem coniugum interdixit. Quis est autem, quem non ipsa negotia interdum domo abducant? Nec propterea in totum prohibendum est coniugium. Et Sophisticum est quod addit Papa, Cum sacerdotes semper debeant esse parati ad ministeria, semper abstineant. Concedit intervalla officium publicum, et pii sciunt, ubi consuetudo coniugalis moderanda sit, Deinde, non sunt onerandae conscientiae ritibus Mosaicis. Quare non est immunditiea, hoc est, res displicens Deo, coniugale officium, sicut Paulus inquit: Omnia munda mundis. Canones quadam κακοζηλίᾳ et inerudita imitatione Mosaicarum ceremoniarum cumulaverunt superstitiones in Ecclesia. Eamque κακοζηλίαν reprehendi necesse est, sicut et Paulus ad Galatas eam duriter taxat: Discamus fide in Christum nos sanctificare, et in bonis operibus obedientiam verbo Dei ordinatam et approbatam magnifaciamus, meminerimus Deum velle nos verbo suo gubernari, non eligere quamvis speciosa opera nostro iudicio sine verbo Dei. Nec dicam prolixius de hac obiectione. Breviter enim ad Maiorem respondendum est, In Lege Sacerdotibus coniugium concedi: Ergo nec nostris prohibendum est. Intervalla moderabuntur homines pii pro negotiis. Nec propter hanc causam iniiciendi sunt laquei conscientiis, nec prorsus adimendum coniugium.

Eodem modo diluendae sunt et multae aliae obiectiones. Quidam aiunt, Sacramenta non contrectanda esse ab immundis. Iam si Sacerdotes essent mariti, saepe contrectarent sacramenta post coniugalem consuetudinem. Respondeo, ut iam dictum est: Scortatio est immunditiea, et vere displicet Deo. At coniugalis consuetudo non est immunditiea, sed opus ordinatum et approbatum verbo Dei, placens Deo. Et tamen pii moderari usum pro tempore norunt: Et negotia ipsa excutiunt bonis viris domesticas cogitationes.

Idem respondeo de dicto Esaiae: Mundamini qui fertis vasa Domini. Propheta de vera munditie hic loquitur, id est, de universa obedientia, quam Deus approbat. Qui gestant vasa Dei, id

est, qui docent Evangelium, qui regunt Ecclesias, habeant mentes non pollutas scortatione, et aliis sceleribus, sed agant poenitentiam, Deo obediant, ut locupletentur donis spiritualibus, timore, fide, constantia, et caeteris virtutibus: Mundities enim significat universalem obedientiam, cum Prophetae loquuntur de vera, non de ceremoniali munditia. Denique haec ipsa vox: Mundamini, qui fertis vasa Domini, iubet ut sacerdotes agant poenitentiam, fiant mundi mariti, nec se polluant deinceps scortatione, adulteriis, et aliis flagitiis. Quis autem non doleat connivere Pontifices et Principes ad vagas libidines sacerdotum, interea vero durissime adversari honesto coniugio? cum sit societas vitae pulcherrima, instituta divinitus, Deo placens, ornata ingentibus miraculis a Deo.

Primum enim praesentia Dei maxime conspicitur in generatione, formatione foetus, in edendo partu. Haec mira opera voluit Deus testimonia esse, quae nos commonefaciant, ut statuamus, nos non casu oriri, sed Deum autorem et conservatorem esse generis humani, idque beneficium agnosci, praedicari, celebrari vult in hac societate, tanquam in choro. Ideo enim homines ad societatem conditi sunt, ut alii alios de Deo et eius voluntate doceant. Nec minus lucet eius bonitas in nutritione, Lac gignit in maternis uberibus, ad alendos infantes, coniugibus foecundat agros, et miro modo genus humanum alit. Addit et piorum Angelorum excubias, ut defendant parentes et liberos conflictantes variis aerumnis. Sunt et pueri maxima pars Ecclesiae, sicut inquit Christus: Talium est regnum coelorum.

Quanta laus est coniugii, quod Paulus inquit, Imaginem esse amoris, quo Christus complectitur Ecclesiam? Ut sponsus habet veras flammas, et ardet vero amore sponsae, laetatur eius consuetudine, complexu, incolumitate, nullum detrectat periculum, ut eam defendat et propugnet: Sic Filius Dei vere ardet amore Ecclesiae suae, delectatur eius officiis, eamque vicissim complectitur, vult eam incolumem esse, ornat amplissimis muneribus, mortem pro ea oppetit. Fuisset haec στοργή in natura integra ardentior, sed purior, et Deum intuens, praedicasset ipsius beneficia: Nunc non prorsus extincta est, et pii regere eam fide debent. Quos quidem domestica consuetudo ac suavitas admonere debet de amore Filii Dei erga Ecclesiam, et incendere vicissim ut ipsum amemus, eique gratias agamus, quod abolevit peccatum, quod propter ipsum haec ipsa generatio fit mundum opus. Quoties coniugem piam pius maritus complectitur, quoties intuetur liberos, parentes, veniat in mentem amoris Christi erga Ecclesiam. Cum sic affectae sunt mentes, et Dei beneficia agnoscunt ac praedicant, coniugalia officia fiunt bona opera, Deo grata, et, ut Paulus inquit, honore digna. Non enim leve praeconium est, quod Paulus iubet coniugium honore affici, vult agnosci ordinationem Dei, hominum procreationem, nutritionem, defensionem, et caetera beneficia, et propter haec amari et laudari hoc vitae genus, et Deum autorem celebrari.

Ac ut magis intelligi possit, coniugium esse piam et Deo placentem coniunctionem, valde prodest diligenter considerari et hanc rationem: Deus vult sexum sexui curae esse, vetat sexum a sexu despici ac negligi, ideo dicit: Faciamus ei adiutorium simile ipsi. Est igitur pium officium, curare alteram generis humani partem, et hoc animo ducere et amare coniugem. Naturae depravatio est, negligere alterum sexum, despicere vero et contumelia afficere, superbia est proprie a Diabolo orta. Id autem vitium admodum vulgare est: Quidam putant se magis masculos esse, si superbe despiciant mulieres, si audacter convicia dicant huic sexui, qualia extant multa in poëmatis. Et collegit magnum acervum Hieronymus contra Iovinianum. Sic fortasse consueverat in declamationibus multa sine delectu congerere: Sed Christiano Doctore haec oratio nequaquam conveniebat. Opus Dei honore dignum est, sexus suam laudem habet, qui etiamsi suam habet infirmitatem, propter generis humani lapsum, tamen non minor imbecillitas animi et consilii est in viris, in his negotiis quae viris Deus iniunxit.

Aliquanto plures sunt bonae matresfamilias, quam boni patresfamilias, et multae melius educant et regunt parvos pueros, quam viri Respublicas. Iam in religione quantum decus est mulierum, quanta fidei constantia, quanta magnitudo animi in adeundis et perferendis suppliciis, ut historiae Martyrum testantur. Hae laudes cogitandae sunt piis et honestis ingeniis, et opponendae scurrilibus et impiis conviciis huius sexus, et assuefaciendus animus, ut sexum veneretur, ac sciat furorem esse a Diabolo ortum, superbiam despicientem alteram generis humani partem.

Quare execrandi sunt Hypocritae, Pontifices, Cardinales, Episcopi, Monachi, qui cum suis libidinibus polluant totam rerum naturam, genus vitae divinitus institutum, indignissimis contumeliis onerant, improbant edictis, legibus, tanquam tetrum facinus afficiunt capitali supplicio homines honestos ac pios, propter honestum coniugium, perinde ac si scelus atrocissimum punirent. Haec immanitas et saevitia propria est regni Antichristi, quod Romae ortum, grassatur in omnibus regionibus Christiani

nominis, ubicunque impiae leges Pontificum Romanorum dominantur. Quae cum coniugium vocant immunditiem, meminerimus haec virulenta convicia a Diabolo oriri, sicut Paulus inquit, Prohibitionem coniugii esse doctrinam daemoniorum. Hos igitur Canones cum sciamus esse doctrinas daemoniorum, deleri prorsus oportuit, prohiberi vagas libidines, et reddi coniugium sacerdotibus, ut caste vivere possint, et bona conscientia Deum invocare, et fungi munere omnium summo et difficillimo, explicatione doctrinae et gubernatione Ecclesiae. Recte enim Paphnutius, qui ait, coniugum consuetudinem esse castitatem.

Tertia Obiectio.

Fatentur quidam eligi posse maritos ad munus sacerdotum, sed coelibes electos negant post ordinationem posse ducere uxores. Scio hoc obiici nostris, sed est futilis et inanis cavillatio. Nihil enim ex Apostolicis literis proferri potest ad eam confirmandam. Et refutari clare veterum Synodorum sententiis potest. Distin. 28. in cap. Diaconi, inquit Synodus Ancyrana, Diaconos coelibes, si postea evecti ad gradum superiorem ducant uxores, concedendum esse, nisi votum fecerint se non ducturos uxores. Tunc enim liberum erat cuilibet, facere aut non facere votum. Concedit ergo Synodus ordinatis ducere uxores. Et hic mos hodie manet in Graeca Ecclesia. Ducunt uxores Presbyteri etiam post ordinationem. Idque fatetur dictum Dist. 31. ubi legitur: Orientales in sacris ordinibus copulantur, ubi Glossa ridiculam interpretationem affingit, Copulantur, id est, copulato utuntur. Sed non est inusitata haec sophistica in illorum glossis.

Unde igitur haec persuasio orta est, ut post ordinationem nolint concedere coniugium? Romana Tyrannis est, quae ut post ordinationem divulsit coniugia vetera, ita non concessit nova: Deinde etiam pariter omnes adegit ad vovendum. Scio ab adversariis, qui literis Iuris pontificii utcunque imbuti sunt, cum historias nullas norint, saepe hoc dictum iactari: Posse eligi maritos sacerdotes, sed non posse concedi, ut electi coelibes post ordinationem ducant uxorem. Sed si quaeras firmam autoritatem huius dicti, nihil ex sacris literis proferri potest. Et contraria exempla vetera et recentia Graecae Ecclesiae opponi possunt. Non igitur deterreri nos a veritate sinamus inani cavillatione, quae non aliunde nisi ex iniusto more Romanorum pontificum orta est.

Quaerunt etiam adversarii de digamis, ut vocant, An si sacerdoti coniunx mortua fuerit, concedamus, ut ducat aliam? Concedimus. Nemini enim idoneo prohibendum est coniugium, ut Paulus inquit ad Corinth. de viduis: Si non continent, contrahant coniugia. Et alibi: Volo iuniores nubere. Ab his regulis non discedendum est. Nec vetus Ecclesia Graeca prohibuit, quo minus sacerdos, mortua uxore, aliam duceret, sed ducentem removit a ministerio. Id non est necesse fieri, sed illa aetas quadam superstitione secundis nuptiis etiam laicorum fuit iniquior, ut ex Tertulliano in Laodicena Synodo apparet: Quare non est mirum duriorem fuisse sacerdotibus in hoc casu. Cur autem idoneum ministrum ab officio removeremus propter hanc causam, cum scriptura Apostolica concedat ei secundas nuptias, ut dicta Pauli testantur, et coniugium sit genus vitae pium ac laudatum? Quod enim dicitur ad Timotheum et ad Titum: Sit unius uxoris vir, vult Paulus honestum maritum esse contentum coniuge sua. Non prohibet, quo minus priore mortua, ducat aliam. Nam et is, qui secundam, priore mortua, ducit, est unius uxoris vir, si coniuge sua contentus est. Quae esset impietas, propter superstitiosam traditionem idoneos Doctores removere a functione, cum magna iactura Ecclesiarum? Multis enim omnino defuturi essent pastores his remotis, alicubi surrogarentur minus idonei. Longe autem anteferendum est ministerium Evangelii his traditionibus humanis non necessariis.

Quarta Obiectio.

Cavillatio est indigna refutatione, sed tamen recitanda. Reges possunt de rebus politicis suo iudicio decreta facere. Matrimonium est res politica: Ergo Regibus licet de eo decreta facere suo iudicio. Ut Rex potest tantum coelibes ministros in aulam admittere, sic videtur posse constituere, ut tantum coelibes praesint Ecclesiis. Brevis responsio est, Maior neganda est: Reges enim nec de politicis rebus decreta suo iudicio qualiacunque condere possunt, sed debent iustas leges condere, et sequi iudicium Dei, videlicet, ne condant leges pugnantes cum mandatis Dei. Politica res est forense iudicium, sed Regibus non licet leges condere, ut Iudex puniat innocentem, sine legitima cognitione. Habet suas metas Regum potentia, nec sumat sibi licentiam contra mandata Dei aliquid constituendi. Pertinent ad ipsos quoque minae coelestes: Vae vobis vi scribitis leges iniquas. Nec exemplum de aulicis accommodandum est ad perpetuum coelibatum: Iniusta lex et haec esset, Si Reges prohibe-

rent, quo minus aulici ducerent uxores. Quorsum est opus disputatione de religione, de iustitia, si hoc, quod in Tragoedia est, sequi volunt:

Sanctitas, pietas, fides,
Privata bona sunt, qua iuvat, Reges eant.

Nos non de aulicis utilitatibus hic disputamus, sed de voluntate Dei, de emendandis moribus Ecclesiae, de sanandis piorum conscientiis, ut Deum invocare et recte colere possint. Nam mens sibi male conscia, quae habet propositum peccandi, qualis esse solet in scortatoribus et adulteris, non potest invocare Deum, aut expectare a Deo auxilium, ut inquit Ioannes: Si cor nostrum non condemnat nos, fiduciam habemus erga Deum. Item, Peccatores Deus non exaudit. Debent igitur et Principes et Episcopi tollere iniustas leges, quae sunt fontes scelerum, et avellunt mentes a Deo. Non existiment se leviter offendere Deum, cum iniusta vincula conscientiis iniiciunt, sicut Christus inquit: Vae nobis, qui claves tenetis, nec ipsi intratis in regnum coelorum, et alios arcetis.

Quinta Obiectio.

Paulus vituperat viduas, quae electe ut servirent Ecclesiis, veteri Iudaico more, cum de publico alerentur, postea appetebant nuptias. Hunc locum multi accommodant ad votum, quia ibi dicuntur primam fidem irritam fecisse, quod interpretantur aliqui de violatione voti. Non respondebo callide: Prima fides non de voto, sed de fide in Christum intelligenda est, ut aliquanto superius loquitur: Si qua suos, et maxime domesticos non curat, fidem abnegavit, et est infideli deterior. Vituperat enim Paulus mulierculas illas, quod cum prius in egestate fuissent modestae, et fideliter servissent, postea sumptu publico altae, coeperint impudice vivere, et negligere officium: Propter hos malos mores, inquit, eas fidem primam irritam facere, hoc est, excutere fidem, qua antea placebant Deo: Nam vera fides excutitur, cum conscientia polluitur.

Deinde si contendent de voto hic dici, ipsi multo gravius accusandi sunt, quod obligant voto iuvenes, non senes, ut hic locus aetatis mentionem facit. Adhaec si qua fuissent primis temporibus vota publica, fuissent sine superstitione, obligassent se mulieres illae ad serviendum Ecclesiae. At vota Sacerdotum et Monachorum recentia, fiunt cum impiis persuasionibus plurimis, sentiunt coelibatum esse cultum singularem, quo Deus fiat placatior, quem Deus flagitet, ut digne sacrificent. Ac sacrificium illud, seu applicatio Missae, est abusus idololatricus et omnino fugiendus et abolendus. Quare votum irritum est, quod fingit, coelibatum esse cultum singularem, ut dixi, et fit propter idololatrica sacrificia. Haec est firma ratio, quae ostendit, sine ulla dubitatione hoc votum irritum esse. Fugite Idololatriam, inquit Paulus. Id praeceptum omnium summum est: Quare nec vota, nec ulla vincula valent, ut contra id praeceptum faciamus. Iurabant et Eleusiniis initiati, se ceremonias eius foederis servaturos esse: Sed id iusiurandum cum contineret idololatriam, fuisse irritum facile intelligi potest. Similiter de horribili Missae abusu et connexis ceremoniis iudicandum est: Nam adplicatio Missae, non est exigua aut levis prophanatio coenae Domini, ut suo loco dicetur. Sin autem vota fiunt ventris causa, haec hypocrisis non minus detestanda est.

Postremo, cum Paulus vocet prohibitionem coniugii doctrinam Daemoniorum, etiam hoc vinculum voti, quo sine discrimine omnibus initiandis prohibetur coniugium, est ortum a Diabolo. Quare irritum votum ducatur, praesertim cum constet tam multa vitia inesse huic voto. Non fit sponte, fit ut sit cultus singularis, fit ut sacrificent, aut fit ventris causa, et fit ab omnibus qui initiantur, sine discrimine. Cum igitur sit doctrina daemoniorum, et irritum et detestandum est.

Hactenus collegi ea, quae in hac causa sunt praecipua: Nunc obtestamur omnes gubernatores propter gloriam Dei, haec duo ut piis animis considerent, videlicet, quod Paulus inquit, Prohibitionem coniugii esse doctrinam Daemoniorum. Item, quod Daniel significat propriam Antichristi notam fore, coniugii contemtum. Multa autem hae breves admonitiones complectuntur: Si oritur haec superstitio a Diabolo, ac defenditur et propagatur ab Antichristo, necesse est eam trahere ingentem ruinam. Quanta in universum corruptela morum est coelibatus? Alia enim vitia ex aliis oriuntur. Maxima pars palam inquinata est scortatione et adulteriis: Haec efficiunt mentes prophanas et Epicureas, sicut Paulus ad Ephesios monet, libidines causam esse Epicurei contemtus Dei. Quis non detestetur manifestam turpitudinem morum in collegiis Canonicorum in tota Europa? Et tamen hanc superant flagitiosae libidines urbis Romae. Quanquam autem semper pauci aliqui fuerunt, qui repugnare imbecillitati naturae conati sunt, tamen multorum conscientiae graviter sauciatae sunt, et deplorarunt lapsus suos multi boni viri. Iam hoc tempore cum Antichristi regnum oppugnatur, accedunt parricidia, interficiuntur honesti Sacerdotes, propter

REFUTATIO ABUSUUM COENAE DOMINI.

Ex Editione Witebergensi anni 1549.

DE USU INTEGRI SACRAMENTI CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI.

Quidam vociferantur nos de re non necessaria litigare, cum de hac ceremonia restituenda agimus, et queruntur frustra moveri certamina et dissidia. Hi sciant nos hic non de parvis rebus contendere, cum de restitutione huius ceremoniae agimus, simul docemus Ecclesias de vero usu Sacramentorum, et de exercenda fide: Item, de ingentibus abusibus Missae. Postremo, illa Thesis hic continetur: An liceat hominibus mutare, seu abolere ritum a Christo institutum. Ergo res magnas hic complectimur, dicimus de usu Sacramentorum, de horribilibus abusibus Missae, et de potestate Ecclesiae. Nam hae sunt causae, cur adversarii restitui integrum usum Sacramenti nolint. Primum, quia Pontificum et Episcoporum autoritatem amplificant, his tribui volunt potestatem mutandi res institutas divinitus, condendi novos cultus, et nova dogmata. Vident item doctrinam veram de usu Sacramentorum pugnare cum abusibus Missarum, hanc autem quoquo modo obruere conantur. Rogamus autem pios lectores, ut cogitent, quantum intersit Ecclesiae, extare explicatam doctrinam de vero usu et utilitate Sacramentorum, de veris exercitiis fidei, de potestate Ecclesiae. Et assuefaciendae sunt piae mentes, ut verbo Dei, non humanis opinionibus regi fidem et opera curent, ut agentes cum Deo, nitantur certe verbo Dei, sicut inquit David: Lucerna pedibus meis verbum tuum.

Accedamus igitur ad hanc causam.

Ut Dominus noster Iesus Christus inquit: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, cupiens videlicet iam exhibere pignora sui amoris erga nos, et futurus victima pro nobis: ita nos ingenti desiderio accipiamus oblatum beneficium, et huius beneficii Sacramentum. Ut autem reverenter utamur Sacramento, voce Christi obtemperemus, et discamus quomodo prosit piis mentibus Sacramentum. Haec augent veram reverentiam. Sunt autem nota verba Evangelii de institutione. Et mandatum addit Christus: Hoc facite ad recordationem mei. Iubet nos idem facere quod fecit ipse. Ergo dato pane et vino in coena Domini, exhibentur corpus et sanguis Domini.

Sic autem prodest conscientiis, cum agentes poenitentiam credunt Christum factum esse hostiam pro peccato, et accepto hoc pignore, fidem exuscitant, ac credunt sibi propter Christum ignosci, credunt ad se pertinere beneficia Christi, se consolantur, et agunt gratias pro immenso beneficio Dei, idque celebrant in confessione, quae quidem in tota vita lucere debet: Nam omnes actiones in vita, omnia certamina in gubernatione Reipublicae et familiae, debent eo referri, ut testentur nos recte co-

IX. REFUTATIO ABUSUUM COENAE DOMINI.

AUCTORE PHILIPPO MELANTHONE.

Hoc scriptum invenitur in iisdem tribus collectionibus librorum Melanthonis, quas supra p. 739 sqq. in Prolegomenis libelli, qui inscriptus est: *Defensio coniugii Sacerdotum*, recensui. Huic enim libello in *Ed. Argentoratensi anni* 1540. 8. et in *Ed. Vitembergensi anni* 1549. 8. illo loco descriptis annexa sunt haecce duo ἀδέσποτα seu anonyma: 1. *Refutatio abusuum coenae Domini* atque 2. *Erudita et utilis disputatio de potestate Pontificia*, quae etiam in libro, cuius titulus est: *Libelli aliquot utiles Philippi Melanthonis*, post eundem *De coniugio Sacerdotum* libellum proponuntur sic inscripta: 1. *Scripta quaedam, de usu integri Sacramenti et Missa Theatrica*, atque 2. *De potestate Pontificis et Episcoporum*, et *aliis quibusdam controversiis, collecta opera et studio Casparis Crucigeri Doctoris Theologiae.* *) Eaedem inscriptiones leguntur in *Peucerianae Collectionis Operum Melanthonis Parte II.* p. 181 extr., quamquam in hacce Collectione tantum prior horum duorum libellorum p. 182—200. init. exhibetur cum annott. margin., altero libello omisso.

Huius *Refutationis* auctorem Melanthonem esse, non solum ex eo consequitur, quod in has Collectiones recepta est, sed elucet etiam ex hisce verbis, quae in libelli proxime praecedentis *De coniugio Sacerdotum* parte extrema leguntur: „Similiter de horribili Missae abusu et connexis ceremoniis iudicandum est, Nam adplicatio Missae non est exigua aut levis prophanatio Coenae Domini, *ut suo loco dicetur.*"

Hic libellus, quem h. l. *ex Editione Witebergensi anni* 1549. recudendum curamus, in hasce tres partes est divisus: 1. *De usu integri Sacramenti corporis et sanguinis Christi.* 2. *Contra privatam Missam.* 3. *De Missa theatrica.*

---

*) Haec inscriptio in libri titulo legitur; at in libro ipso (aeque ac in Peuceriana collectione l. l.) his verbis annexa sunt haecce: *partim anno 1540. in conuentu Schmalcaldensi, partim anno sequenti in conuentu Ratisbonensi.*

Secunda Ratio.

Qui contra mandatum divinum aliquid instituunt, peccant, iuxta illud: Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema sit. Porro, prohibentes alteram partem Sacramenti, haud dubie pugnant cum mandato divino: Sunt enim verba mandantis et disponentis. Accipite, bibite. Item, Probet se ipsum homo, et sic de hoc pane edat, et de hac calice bibat.

Tertia Ratio.

Paulus iubet conservari ceremoniam usque ad gloriosum Christi adventum, et iubet annuntiari mortem Domini, hoc est, addi vult conciones de beneficiis Christi, ut recordatio, fides, et gratiarum actio accedant ad ceremoniam. Haec sunt simpliciter mutata, quia populo datur tantum pars Sacramenti, cum Paulus de toto loquatur: Quotics comedetis panem hunc, et bibetis ex hoc populo. Haec est integri Sacramenti descriptio. Deinde qualis est doctrina adversariorum? Magna ex parte ceremonia sine ullis concionibus administratur, ut in Missis privatis. Et populo semel in anno porrigitur Sacramentum. Ibi quantulum doceri subito potest, etiamsi quid dicitur? Et doctrinam de beneficiis Christi, de exercenda fide, et de usu Sacramentorum, multipliciter corrumpunt adversarii. Cum autem dicat Paulus, Reos esse corporis et sanguinis Christi eos qui abutuntur Sacramento, non dubium est graviter peccare autores et defensores tot ingentium abusuum huius Sacramenti. Prohibent partem alteram, transformant Sacramentum populo debitum in sacrificium ethnicum, offerunt pro alienis peccatis contra doctrinam de morte Christi, abolent veram doctrinam. An hos abusus existimant Deum non puniturum esse? Etsi enim tempus non praescribit Christus, tamen hanc ceremoniam non frustra tradidit, vult eam in Ecclesia frequenter celebrari ad adultis. Et cum utimur, servanda est forma instituta a Christo, Peccant igitur, qui discedunt ab ea forma.

Dictum est de causa, quantum opus est iis qui anteferunt verbum Dei humanis opinionibus, et iudicant ab ordinatione divina non esse discedendum humano iudicio. Sed quia cavillationes multae obiiciuntur, ad has quoque breviter respondendum est.

Confutatio.

Quidam fatentur, in Evangelio integrum usum institutum esse, fatentur etiam in veteri Ecclesia fuisse morem quem diximus, sed aiunt mutari potuisse, quia sit res libera, uti integro Sacramento, vel parte.

Idem, inquiunt, iuris est de toto et parte. Liberum est prorsus abstinere a Sacramento, Ergo liberum est et parte tantum uti.

Hic ad Minorem respondemus dupliciter, Primum. Etiamsi esset liberum prorsus a Sacramento abstinere, tamen cum utimur, necesse est uti integro Sacramento, quia partes non sunt separabiles: Non enim licet mutare Testamentum divinum. Valet autem regula forensis, ubi partes prorsus sunt separabiles.

Adiicienda est et altera responsio: Non est liberum abstinere a toto Sacramento, sed mandatum de usu pertinet ad adultos omnes, qui sunt membra coetus Ecclesiae. Vult Christus singulos adultos hac ceremonia aliquando uti, etiamsi certum tempus non praescribit singulis. Oportet enim conservari hanc ceremoniam usque ad finem mundi, sicut Paulus expresse inquit: Quoties comedetis panem hunc, et ex poculo hoc bibetis, mortem Domini annuntiate, donec veniet. Iubet et ceremoniam conservari, et addi ceremoniae recordationem, et praedicationem de morte Christi, usque ad gloriosum adventum eius. Cur hoc dictum Pauli neglexerunt Pontifices, qui usum mutaverunt, qui doctrinam de fide, et de beneficiis Christi corruperunt, qui conciones omittunt, et populum ad partem Sacramenti adigunt, nec docent de fructu? Paulus inquit reos corporis et sanguinis Domini esse illos, qui abutuntur Sacramento. Quare non dubium est graviter peccare autores et defensores horum abusum.

Alia Obiectio.

Evangelium concedit libertatem in ceremoniis, iuxta illud: Regnum Dei non venit cum observatione, Licet igitur et in hac ceremonia hanc libertatem usurpare.

Hic homines callidi amplificant libertatem, et exagitant nos, tanquam Iudaica quadam pertinacia ac superstitione simus duriores in defendenda ceremonia: iubent anteferri tranquillitatem Ecclesiae huic externo ritui, sicut scriptum est: Magis volo misericordiam quam sacrificium. Denique multa

ab astutis in hanc sententiam colligi possunt. Ad haec omnia respondemus breviter.

Evangelium non concedit libertatem docendi contra mandata Dei, aut abolendi, seu prohibendi ullam partem mandati divini, quod ad Ecclesiam pertinet. Sed Evangelium maxime praecipit conservari ministerium, quod consistit in doctrina et administratione Sacramentorum. Si quis propter libertatem docere velit, omitti posse Baptismum, execrandus esset. Ita et in hoc casu prohibitio semper est impia, quia partem ministerii divinitus ordinati abolet. Sed libertas Evangelica liberat pios a Leviticis ceremoniis, et ab humanis traditionibus. Addam et illud: Concedit in casu impossibilitatis dispensationem credenti, ut si qui Martyres catechumeni interfecti sunt ante Baptismum, id non est abolere ministerium, sed adhibere dispensationem in peculiari casu. Ut, Machabaei non abolebant legem die Sabbato praeliantes, sed in casu necessitatis dispensationem adhibebant. At de Sacramento extat prohibitio perpetua, et defenditur magna atrocitate suppliciorum. Hoc non est libertatem Evangelicam tueri, sed opprimere potius, et simul delere ministerii partem.

Alia Obiectio.

Ecclesia propter aliquam gravem causam mutare potest aliquid in ritu Sacramentorum, ut Apostoli mutarunt formam Baptismi, cum in Actis dicatur, Baptizetur unusquisque in nomine Iesu Christi. Multae autem causae probabiles videntur concurrere, quare prosit adimere unam partem laicis, ut maior sit reverentia Sacramenti, Facile aliquid destillaret ex calice in terram, Item vinum accessit, quare pars altera vino consecrata conservari non posset. Item prodest exemplum ad docendam libertatem, Ideo sic ordinet Ecclesia, ut extet testimonium, quod libertas Evangelica concedat tantum una parte uti. Denique multae hic rationes colliguntur. Quare videtur Ecclesiam potuisse propter has causas aliquid mutare.

Negamus maiorem, Ecclesia propter nullam causam potest mutare mandata Dei, iuxta illud: Si quis aliud Evangelium docebit, anathema sit. De Apostolorum exemplo respondeo, Textus nusquam dicit Apostolos hac forma usos esse: Ego baptizo te in nomine Christi, sed saepe repetita est haec figura loquendi: baptizari in nomen Christi: quod de effectu intelligitur, pro eo quod est fieri Christi membrum. Ut Paulus inquit ad Rom. In Christum Iesum baptizati estis. Sed fingamus sane Apostolos si esse locutos, quid hoc ad prohibitionem? Num Apostoli alteram formam prohibuerunt? Magnum discrimen est Apostolorum et Episcoporum, sicut Prophetarum et Sacerdotum. Elisaeus singulari vocatione, et excellenti impetu Spiritus sancti unxit novos Reges, caeteris hoc non licuit. Ita Apostoli vocatione et donis antecedunt: Sed tamen nec Apostolis licuit prohibere formam a Christo traditam. Quare etiamsi essent usi aliis verbis in casu aliquo, tamen id exemplum nihil patrocinaretur perpetuae prohibitioni, quae est legis divinae abrogatio.

Refutata maiore, venio ad pericula, quae de calice recensentur. Paulus inquit, humanas traditiones habere speciem sapientiae. Nulla tam levis traditio est, quae ab eloquentibus non possit egregiis fucis pingi. Reverentia summa est, non discedere a verbo Dei, docere Ecclesiam, ne non de voluntate Dei aliunde iudicet, quam ex verbo Dei. Haec est peculiaris sapientia Ecclesiae. Hanc reverentiam probat Deus, Illa diligentia, ne quid destillet, est paedagogia, quae non multum ad rem principalem pertinet. Sacramentum est, id quod homini in Ecclesia porrigitur, non id quod rodunt mures, aut quod destillat: Nam Sacramenta sunt actiones ipsae, directae ad eum finem, ad quem institutae sunt. Si metuunt, ne vinum acescat, cur non metuunt, ne panis fiat muscidus? Melius est subito cum opus est consecrare. Ergo haec ficticia pericula non excusant prohibitionem: Nec illud excusat, quod negant ubique vinum esse. Cur prohibent in iis locis, ubi vinum haberi potest? Et Christus de poculo, non de vino nominatim loquitur, itaque dicuntur gentes quaedam Ruthenicae consecrare mulsum.

Alia Obiectio.

Quaerunt adversarii etiam exempla libertatis usurpatae in hoc Sacramento. In Luca dicitur de fractione panis. Item in Actis dicitur de Apostolis: Frangentes panem passim circumeuntes per domos. Haec loca videntur loqui de coena Domini, quae cum tantum faciant mentionem panis, satis est uti una parte.

Respondemus breviter, In his locis non instituitur Sacramentum, nec satis constat, an de Sacramento loquantur. Nam fractio panis Ebraica consuetudine significat generaliter convivium, sicut scriptum est apud Esaiam: Frange esurienti panem tuum, id est, impertias ei de panibus. Sed non reprehendimus communem persuasionem veterum, qui

arbitrantur Christum ibi convivantem dedisse duobus illis viris Sacramentum corporis et sanguinis sui. Et credibile est, Apostolos passim in aedibus amicorum concionatos et convivatos esse, et ibi distribuisse Sacramentum piis auditoribus. Adsentiamur igitur loqui textum de coena Domini. Est autem usitata Synecdoche, appellatione fractionis panis totum convivium significare: Complectitur ergo etiam potum. Haec est simplex et vera responsio. Caeterum pugnent quantum volent adversarii, tamen haec testimonia non excusabunt prohibitionem. Non sequitur. Hic tantum fit mentio panis, Ergo licet Ecclesiae prohibere partem Sacramenti, contra expressum mandatum quod legitur in institutione. Hanc consequentiam iudicare non difficile est.

Citant et alia exempla ex historiis, ubi fit mentio gestati Sacramenti in calathis: Id intelligunt de solo pane. Sed Eusebius et Hieronymus ostendunt, utramque partem solitam ad aegrotos ferri. Nam Eusebius lib. 6. inquit. Parum Eucharistiae puero, qui ad se venerat, dedit, quod infusum iussit seni praeberi. Hic unius partis mentione totum Sacramentum complectitur. Et Hieronymus aliquanto clarius dicit ad Exuperium: Nihil illo ditius, qui corpus Domini in canistro vimineo, sanguinem portat in vitro. Sic intelligendi sunt similes loci, ubi de gestatione fit mentio, nisi pars altera expresse excluderetur. Historiae satis dilucide ostendunt, fuisse publicum et communem usum integri Sacramenti. Ideo obscura exempla eius aetatis iuxta publicum ritum accipienda sunt. Et si qua essent contraria exempla, tamen prohibitionem non excusant.

Alia Obiectio.

In pane datur vivum corpus: Igitur sanguis simul datur. Quod cum ita sit, satis est accipere unam partem, quia de aequivalentibus non est controversia movenda: Ut cum Apostoli baptizantes in nomine Christi, volebant tamen nomine Filii, Iudaeos de patre admonere, et nomine Messiae, significare, quod daturus esset Spiritum sanctum. Cur de appellationibus dimicaretur, cum rem ipsam satis declarent? Ita in hoc Sacramento, cur de externo poculo litigatur, si in pane corpus et sanguis exhibentur?

Haec obiectio sumpta est ex vulgari dicto de concomitantia, ut vocant. Dixi autem antea humanas traditiones habere speciem sapientiae. Tot iam seculis quaesitae sunt excusationes novi moris: Ideo non mirum est multa vafre excogitata esse.

Respondemus igitur breviter: Propter has humanas cogitationes non violandum est mandatum Dei, vult enim Deus ministerium conservari. Potest Deus sine aqua impertire Spiritum sanctum, sed tamen vult adhiberi externum signum. Deus innotescere vult per verbum suum, et signa ab ipso instituta, non vult nos nova signa instituere, ut Gentes, Papistae, Monachi instituerunt nova signa, currebant ad certas statuas, ad has alligabant Deum sua persuasione. Hanc impietatem saepissime taxant Prophetae, Christus, et Apostoli, et volunt nos Deum iuxta verbum et signa nobis ab ipso tradita apprehendere. Ideo ministerium Deus in Ecclesia et instituit, et vult conservari, nec permittit, ut mutetur humano arbitrio. Quare et hic ita sentiendum est: Voluit Deus distincta esse Symbola corporis et sanguinis, ut fusi sanguinis recordatio celebretur, Ideo retineamus morem a Christo institutum, et sciamus Christum adesse suo ministerio, et per id efficacem esse.

Nec nihil significat haec nova prohibitio calicis: Nam sicut prohibuerunt Pontifices dari calicem populo, ita deleverunt doctrinam veram de sanguine Christi, abluente peccata hominum, de remissione peccatorum, et de fide. Hi debebant esse effectus distributi calicis. Ut autem hi effectus deleti sunt, ita et ceremonia mutata est.

Multa dici possunt de vulgari persuasione, de concomitantia: Nam Sacramentalis coniunctio habet suum modum, positis symbolis adest Christus, et est efficax, quia ministerium sic ordinatum est divinitus. Nec discedendum est a ministerii institutione propter humanas cogitationes.

Alia Obiectio.

Utile est discrimen inter Presbyteros et Laicos ostendi. Huius ceremoniae dissimilitudo facit discrimen: Ergo Ecclesia videtur probabili ratione hanc dissimilitudinem instituisse.

O singularem impudentiam. Scimus multos scriptores serio hanc causam allegare in defendenda hac prohibitione: Ut amplificent dignitatem sacerdotum, dicunt his relinquendum esse integrum Sacramentum, laicis vero tantum partem tandam. Sed haec temeraria persuasio acriter reprehendenda et refutanda est. Est aliud discrimen inter Ministros et Laicos, quod hic integre explicari non potest.

Minister porrigit Sacramentum, sed in usu differentia nulla sit, pariter utantur integro Sacramento Minister et Laicus, pariter se consolentur accepto hoc pignore, et fidem exerceant, pariter agant gratias. Repudientur errores de oblatione et applicatione pro aliis. Sed sacrificuli, ut confirment impios abusus de oblatione et applicatione, dissimilitudinem in usu ceremoniae defendunt, ut pluris fiat sacerdotum opus, quam laicorum communicatio. Hac falsa persuasione cum obruatur intellectus Sacramenti, necesse est reclamare. Postquam enim coeperunt sacrificuli discernere suum opus a laicorum communicatione, secuta est horribilis idololatria privatarum Missarum, quam tolli ex Ecclesia necesse est.

Alia Obiectio.

Prima Corinth. 11. dicitur: Qui comedit panem hunc, aut biberit poculum Domini indigne etc. Hic usus est Paulus disiunctiva particula: In disiunctivis autem satis est alteram partem poni. Concedit igitur Paulus tantum una parte Sacramenti uti.

Pulcherrima virtus est amor veritatis, qui quidem excellere debet in his, qui Ecclesiasticas controversias diiudicant, ut cognita veritate, finis aliquis sit sophismatum: Nam qui non amant veritatem, semper ad eam eludendam aliquas cavillationes reperient, cum sophistica sit infinita. Sed agamus ingenue.

Paulus ubi praecipit uti Sacramento, in his ipsis verbis praecepti, particulam copulativam ter repetit: Probet se ipsum homo, et sic de hoc pane edat, et de calice bibat. Haec sunt verba disponentis ac praecipientis, ut utraque parte utantur. Laudo diligentiam in expendendis particulis, sed adhibeatur in iudicando ingenuitas et veritas. Videatur, ubi Paulus usus sit copulativis aut disiunctivis. In praecepto de utraque parte sumenda, est usus copulativis: Confirmat igitur usum utriusque partis. Deinde semel est usus particula disiunctiva, loquens de poena indigne sumentium, ut comminatio esset atrocior, et sciret auditor parem reverentiam utrique parti deberi.

Contumelia afficiunt Sacramentum, qui sine emendatione morum accedunt: item sacerdotes qui quaestus causa sumunt. Sed multo maior est contumelia, non afferre veram poenitentiam, fidem, et doctrinam de usu Sacramentorum. Est et haec contumelia, prohibere unam partem. Haec contumelia cum peculiariter pertineat ad calicem, disiunctiva recte convenit, quia pars una prohibetur, altera concessa. Proinde satis adparet, hac ipsa disiunctiva taxari adversarios, et confirmari nostram sententiam. Moveantur igitur hac gravissima comminatione, et vere agnoscant se reos esse corporis et sanguinis Christi, ac desinant tandem polluere Sacramentum his abusibus, quos hactenus magna crudelitate defenderunt. Copulativa praecipit, ut utraque parte utamur. Disiunctiva deinde exaggerat comminationem, modos plures recensens, quibus in hoc genere delinquitur. Utram partem contumelia adfeceris, graviter offendes Deum. Sunt autem, ut diximus, multiplices et horrendi abusus huius Sacramenti apud adversarios.

Refutatis adversariorum argumentis, satis liquido apparet, prohibitionem alterius partis impiam esse, et restituendum esse integrum usum, iuxta mandatum Christi, et morem multis seculis observatum in tota Ecclesia veteri. Excogitent, fingant, refingant quae volent argumenta adversarii, tamen prohibitionem defendere non poterunt. Si quis autem tantum hanc adfert causam: Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas, is in Ecclesia sibi immoderatam potestatem sumit: ubi conscientiae habent regulam, quae docet, Deo magis obediendum esse, quam hominibus. Non licet Pontificibus aut Principibus constituere religiones proprio iudicio contra mandatum Dei. Et tamen proni sunt animi gubernatorum ad hunc lapsum, ut exempla magnorum virorum omnibus fere aetatibus ostendunt. Et alii moventur superstitione, alii spe tranquillitatis publicae, ut: Ieroboam ut alienaret populi animos a regno Iuda, instituit peculiares cultus in Samaria contra mandata Dei. Ita Pontifices instituerunt quaestuosos cultus, et repererunt varias ceremonias utiles ad augendam pompam sacerdotum, et ad fascinandos animos populi qualicunque specie religionis. Quare variis erroribus Ecclesia polluta est, et multi perierunt, multorum conscientiae miserabiliter sauciatae sunt.

Proinde pii gubernatores non sumant sibi potestatem, suo iudicio contra mandata Dei aliquid constituendi, sed Deo obtemperent, ornent gloriam Dei, consulant conscientiis piorum. Haec sunt praecipua officia gubernantium Ecclesias, quibus spretis, si qui leges iniustas Ecclesiae imponent, his minatur vox divina inquiens: Vae vobis, qui leges iniustas conditis. Tanti fecit Christus animas nostras, ut sua morte eas redemerit. Quantum igitur reprehendenda est asperitas et durities gubernantium, qui sauciunt et perdunt animas suorum iniustis legibus? Quis hanc asperitatem non accuset? Quis hanc tristem Ecclesiae servitutem non deploret? Orandus est igitur Deus,

ut miserae et adflictae Ecclesiae opituletur, ut abusus ac errores emendet.

Ut autem tollatur huius Sacramenti abusus, complectenda est etiam emendatio totius doctrinae, restituenda est vera doctrina de poenitentia, de remissione peccatorum, de fide, et de exercitiis fidei in usu Sacramentorum. Est et Missa revocanda ad primam institutionem.

Haec pio et simplici animo monemus, nec dubitamus nos causam piam et Ecclesiae necessariam agere, ac precamur Deum, ut mentes Principum flectat ad illustrandam gloriam Domini nostri Iesu Christi, et ad salutem Ecclesiarum.

τῷ θεῷ δόξα.

CONTRA PRIVATAM MISSAM.

Quod Missa seu usus Sacramenti non sit sacrificium, seu tale opus quod factum a sacerdote et applicatum pro aliis, mereatur remissionem peccatorum facienti, et iis quibus applicatur vivis et mortuis etc.

Prima Ratio.

Nullum est sacrificium, nec fuit unquam quod mereatur remissionem peccatorum, et quod aliis possit applicari, praeter unicum sacrificium Christi, semel factum in cruce. Ergo Missa seu opus sacerdotis, non est sacrificium, quod ipsi vel aliis impetret aut adferat remissionem peccatorum.

Antecedens clare testatur Epistola ad Ebraeos cap. 10. quae inquit de sacrificio Christi: Unica oblatione consummavit in perpetuum sanctificatos. Item, Semel in consummatione seculorum ad abolitionem peccatorum, per hostiam suam apparuit etc. Item, Hac voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Iesu Christi semel.

Et Esaiae 53. de sacrificio Christi dicitur: Postquam posuerit animam suam hostiam pro delictis, videbit semen longaevum etc. Denique tota scriptura hoc docet, quod sola mors Christi sit unicum sacrificium, seu victima pro peccatis. Nam et in veteri testamento etsi erant quaedam sacrificia, quae vocabantur pro peccato seu pro delicto, tamen nequaquam fuerunt talia opera, quae mererentur sacrificantibus, aut aliis remissionem peccatorum coram Deo, sed erant ceremoniae institutae ad hoc, ut his picturis significaretur verum sacrificium Christi, qui futurus erat victima pro peccatis totius mundi. Et propter hanc significationem attribuebatur illis sacrificiis haec appellatio, ut vocarentur propitiatoria, seu sacrificia pro peccato, non quod illa opera mererentur reconciliationem coram Deo, sed quia erant imagines et typi, quibus pii admonebantur de vera hostia, quae esset abolitura peccatum et mortem, videlicet, de illo promisso semine Christo etc.

Quod enim Leviticae hostiae non potuerint mereri remissionem peccatorum, clare affirmat Epistola ad Ebraeos, cum inquit: Impossibile est, sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. Quare pii ita utebantur illis ceremoniis, non quod sentirent se propter illa opera consequi remissionem peccatorum coram Deo, sed utebantur tanquam signis, quibus Deus testaretur ipsis sese daturum illud promissum semen, qui futurus esset victima pro peccatis, et quod vellet recipere credentes promissioni de Christo, et remittere peccata propter illam victimam. Et ipsi utentes illis ceremoniis, profitebantur se credere, quod propter promissum semen consequerentur remissionem peccatorum. Itaque perinde usi sunt illis ceremoniis, ut nos Sacramentis utimur. Etsi interim erat etiam alius usus illorum rituum Leviticorum, quod si qui erant rei in certis offensis aut erratis contra observationes Mosaicas, hi utentes his ceremoniis, reconciliabantur seu pronuntiabantur absoluti, et recipiebantur, ne essent exclusi a politia populi. Haec erat externa quaedam reconciliatio secundum iustitiam legis, et propter hanc reconciliationem vocabantur sacrificia seu expiationes pro peccato, sed veram reconciliationem seu remissionem coram Deo non consequebantur, nisi fide venturae victimae Christi, de qua admonebant pios illae externae ceremoniae.

Ex his satis intelligi potest, quod opinio de oblatione et applicatione operis sacerdotis in Missa, quae affirmat hoc opus mereri remissionem peccatorum utenti et aliis, plane pugnet cum doctrina Evangelii de sacrificio Christi: palam enim est, si sola mors Christi est oblatio et pretium, propter quod remittuntur peccata, ergo opus sacerdotis non meretur remissionem peccatorum. Quid potest apertius et simplicius dici? Estque

horribilis blasphemia, tribuere hoc operi sacerdotis, quod est solius Christi, et fingere, quod opus sit alio sacrificio in Ecclesia, quasi Christi sacrificium semel factum non satis sit ad tollenda peccata, et impetrandam remissionem, aut fides niti debeat opere sacerdotis.

Secunda Ratio.

In novo Testamento nullus cultus, nulla ceremonia valet ex opere operato: Quare nec facienti meretur remissionem, nec potest adplicari aliis. Nam novum testamentum requirit cultus spirituales, videlicet, veros motus cordis, veram fidem, invocationem, sicut Christus inquit Ioan. 4. Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate, nam et Pater tales requirit, qui adorent eum: Deus est spiritus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. Et Apostoli Petrus ac Paulus praecipiunt praestari tales cultus spirituales, id est, non externam operum simulationem, sed veros motus cordis, fidem, timorem, invocationem et reliquos. Nec placent Deo ceremoniae seu observationes quae fiunt sine hac vera luce, et sine vivis motibus cordis, quae sunt vera fides, invocatio et similes motus etc. Quare saepe etiam in Prophetis repudiantur tales cultus operum, qui finguntur esse cultus ex opere operato. Hieremiae 7. Non sum locutus patribus vestris in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, de holocaustis et victimis, sed hoc verbum praecepi eis dicens: Audite voce meam, et ero vobis Deus etc. Similes sunt sententiae et alibi, praesertim in Psalmis. Psalm. 39. Sacrificium et oblationem noluisti. Item Psalm. 49. Non arguam te in sacrificiis tuis. Et: Numquid manducabo carnes taurorum etc. Invoca me in die tribulationis, et eripiam te, et honorificabis me. Hi loci clare damnant impiam opinionem de opere operato.

Etsi autem in veteri testamento propter mandatum Dei praestari oportebat illos ritus et ceremonias, quae erant institutae in politia Mosaica propter disciplinam, qua Deus illum populum voluit coherceri et regi, tamen nec illa opera divinitus mandata illi populo, erant veri cultus Deo placentes, nisi in his qui habebant veram agnitionem Dei et fidem, nec iustificabant aut merebantur remissionem peccatorum: Multo minus ceremoniae aut externae observationes in novo testamento sunt cultus ex opere operato.

Itaque haec ratio de cultu novi testamenti clare ostendit, quod Missa non possit esse tale opus, quod sit cultus, qui ex opere operato valeat coram Deo. Quare simpliciter haec impia ac revera ethnica persuasio, quae fingit Missam valere pro aliis ex opere operato, prorsus explodenda est ex Ecclesia.

Tertia Ratio.

Opinione oblationis et applicationis Missae, simpliciter pugnat cum doctrina de iustitia fidei, quae docet, quod remissionem peccatorum consequamur nulla re nisi fide, quae statuit Deum nobis ignoscere propter Christum gratis, non propter ullum opus vel nostrum vel aliorum. Haec fides sola vincit terrores peccati et mortis. Est igitur impietas, sentire quod propter opus sacerdotis detur remissio peccatorum. Et quidem necesse est unumquemque propria fide accipere remissionem peccatorum, seu liberari a peccato et morte, sicut testatur dictum Abacuc: Iustus fide sua vivet. Ergo non prodest alienum opus sacerdotis ad remissionem, sed sua quisque fide apprehendit beneficium Christi. Haec ratio clare adplicationem sacerdotis refutat, et perspicue ostendit, fidem tantum unico Christi sacrificio niti, in quo ipse sese Patri obtulit, et pro nobis factus est victima, pro nobis rogavit, sicut inquit: Oro autem non pro eis tantum, sed pro omnibus qui credituri sunt per verbum eorum. Haec est enim vox Christi adplicantis suum sacrificium pro nobis.

Quarta Ratio.

Haec adplicatio repugnat institutioni Christi, quia Christus instituit hanc ceremoniam, non ut fieret pro aliis non utentibus, sed instituit ad usum singulorum, videlicet, ut quisque vescens, fidem exuscitet, et se recordatione beneficii Christi consoletur, quemadmodum verba institutionis testantur: Accipite, comedite et bibite. Ergo non prodest ceremonia iis, qui non ipsi utuntur, hoc est, vescuntur corpore Dominico, et bibunt eius sanguinem. Nec potest unius manducatio alteri adplicari. Estque plane contra naturam Sacramentorum, ea adplicari aliis: Sicut Baptismi usus non valet pro aliis, nec potest alteri adplicari, qui non ipse baptizatur. Item nemo potest pro alio accipere absolutionem. Est autem impietas et impudens audacia, Christi institutionem pervertere, et fingere, quod opus sacerdotis prosit aliis non utentibus.

Quinta Ratio.

In hac opinione est manifesta et multiplex idololatria, quare talis Missa simpliciter est abominatio, a qua omnes pii abhorrere debent, quod sic probo:

Primum. Idololatria est instituere cultum extra verbum, et sine verbo Dei, et quidem talem, qui sit cultus ex opere operato. Id clare testatur hoc dictum: Frustra colunt me mandatis hominum. Et Prophetae vocant idololatriam sacrificia quae fiebant extra verbum et mandatum Dei, qualia erant sacrificia excelsorum et in lucis, cultus vitulorum in Bethaven, item cultus aenei serpentis. Sed haec oblatio et applicatio Missae est talis cultus, qui non habet mandatum Dei, nec convenit cum institutione Christi, imo neglecto verbo transfertur ceremonia in usum alienum ab institutione: Ergo talis Missa vere est idololatricus cultus.

Secundo. Sacramenta extra usum a Christo institutum non sunt Sacramenta, quia talis usus non habet verbum, et repugnat institutioni. Sicut nunc Circumcisio Iudaica aut Turcica non est Sacramentum, et sicut aqua baptismi non esset Sacramentum, si transferetur ad alios usus extra verbum ac institutionem, ac si circumferretur ad spectandum, vel ad aspergendos homines. Aut sicut Episcopi lavant et tingunt nolas. Id spectaculum, quia non servatur institutio, non potest dici Baptismus, sed est illusio et contumelia Sacramenti. Ita Missa, in qua fit oblatio, et applicatur aliis, non servat institutionem Christi, quae iubet non offerri pro aliis, sed manducari et bibi corpus et sanguinem Domini, sed transfertur ad cultum alienum a verbo.

Ergo haec missa non est Sacramentum, quare palam est, horribilem idololatriam committi, cum pro Sacramento, ubi distribuendum erat corpus et sanguis Domini, proponitur Missa sacerdotis tanquam opus, quod mereatur remissionem peccatorum, item prosit etiam mortuis, ad redimendas poenas purgatorii. Haec sunt mendacia impudenter conficta ab idololatris et impiis sacrificulis ac Monachis, qui sanctissimam ceremoniam polluunt ac transferunt ad manifestam idololatriam, ac ei praetexunt nomen Sacramenti, et hos idololatricos cultus defendunt propter quaestum.

Has abominationes etiam cogitare horribile est, quare omnes pii hanc prophanationem totis animis execrari debent. Nec est dubium, quin propter tantas prophanationes Deus horribiliter irascatur et puniat mundum.

Breviter ostendimus oblationem et applicationem in Missa pugnare cum tota doctrina Evangelii de Christo et eius sacrificio, cum doctrina de veris cultibus et de fide, item adversari verbo et institutioni Christi: denique non dubium est idololatriam ibi committi, cum Sacramenta extra usum, ad quem instituta sunt, non sint Sacramenta, sed inania spectacula.

Cum igitur constet manifestam impietatem haerere in talibus Missis, simpliciter omnes illae Missae sacerdotum tollendae et abolendae sunt. Abiiciendus est Canon, quem vocant, in quo apertis verbis fit oblatio et applicatio pro aliis, et additur idololatrica invocatio sanctorum. Econtra revocandus est et reddendus Ecclesiis verus usus iuxta institutionem, videlicet, ut sit communis coena, in qua distribuitur corpus et sanguis Domini, ubi pii vescentes admonentur, ut statuant sibi pignus dari, quod testetur ipsos esse Christi membra, ad ipsos vere pertinere beneficia Christi, sanguine Christi ipsos ablutos esse.

Postremo repudianda est imaginatio, quae facit discrimen inter opus Sacerdotis et Laici, quasi sacerdotis opus sit peculiaris cultus in Ecclesia necessarius, et qui pro aliis fieri debeat: Quia Christus non facit discrimen, sed vult ut sit communis coena, ubi quisque suae fidei exercendae causa utatur Sacramento, cum inquit: Accipite comedite etc. Etsi quod est discrimen, tantum ministerii est, quod Sacerdos ut minister Ecclesiae aliis porrigit, caeteri accipiunt. Sed ipsa ceremonia et usus, communis est toti Ecclesiae, a Christo institutus et traditus. Et sacerdos minister est, ac Ecclesiae servit, non ut offerat aut vescatur pro aliis, sed ut porrigat omnibus qui petunt.

RESPONSIO AD ARGUMENTA, QUAE OBIICIUNTUR DE SACRIFICIO MISSAE.

Prima Obiectio.

Sicut in lege erant quotidiana sacrificia, quae fiebant pro aliis, quale erat quod vocabatur iuge Sacrificium etc. Ita in novo Testamento oportet esse tale quotidianum seu iuge sacrificium, quod offeratur pro Ecclesia. Hoc quotidianum sacrificium est Missa. Et huc allegatur locus Epistolae ad Ebraeos 5. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his quae sunt apud Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis etc. Hinc ratiocinantur adversarii: Cum in

novo Testamento sint Pontifices et Sacerdotes, necessario sequi, quod sit etiam aliquod sacrificium pro peccatis.

Hac collatione, qua quaeritur similitudo rituum in novo Testamento congruens cum ritibus Leviticis, decepti homines, somniant oportere esse quoddam tale sacrificium ceremoniale in novo Testamento, qualia erant in lege. Ac oritur hic ratiocinatio ex ignoratione quid sit novum Testamentum, quae sint beneficia Christi, et qui veri cultus.

Sic igitur respondeo primum in genere, ad omnia talia argumenta de sacrificio dicta ex collatione veteris Testamenti. Ut maxime valeret similitudo, tamen hinc non sequitur, quod Missa ex opere operato mereatur remissionem peccatorum facienti et aliis pro quibus applicatur. Nam sicut supra ostensum est, haec opinio pugnat cum universa doctrina Evangelii, quae proprie et praecipue hoc docet, quod remissionem delictorum consequamur non propter aliquod opus qualecunque, sed propter Christum gratis, fide, quia haec sola vincit errores peccati et mortis, cum statuimus nobis ignosci, per misericordiam propter Christum, et donari iustitiam et merita Christi. Rom. 5. Iustificati fide pacem habemus.

Haec una responsio diluit omnia quae afferuntur ab adversariis de oblatione et applicatione operis operati, quia nulla dicta de sacrificiis hoc efficiunt, quod ceremonia Missae sit opus iustificans ex opere operato, aut applicandum aliis ad impetrandam remissionem peccatorum etc.

Secundo ad similitudinem ductam ex lege, respondeo. In veteri Testamento illi externi ritus seu ceremoniae sacrificiorum, erant umbrae seu typi verarum rerum exhibendarum in novo Testamento, sicut Paulus ad Coloss. ait: Quae sunt umbra futurorum, corpus autem Christi. Quare non valet haec ratiocinatio: In lege fuerunt externae ceremoniae sacrificiorum, ergo et in novo Testamento oportet esse similes ceremonias, quae sunt sacrificia: Non enim similitudo rituum quaerenda est, sed res significata illis typis in lege, quae nunc exhibita est in Evangelio. Et cum novum Testamentum non sit talis externa politia, qualis erat Mosaica, sed afferat ipsas res, quae illis Leviticis ceremoniis significabantur, nihil opus habet talibus ritibus.

Porro scriptura clare hoc docet, ritibus illis sacrificiorum pro peccato in lege, significatam esse mortem Christi, quae est unicum sacrificium quod oblatum pro genere humano tollit peccata, unica victima, propter quam Deus placatur nobis, sicut Esaias interpretatur legem, cum ait: Postquam posuerit animam suam pro peccato. Et Ioannes: Hic est agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Caeterum, hoc addendum est, Cum de sacrificio loquimur, discernendae sunt species: Non sunt enim omnia sacrificia unius generis, sunt enim duae species sacrificii. Est quoddam sacrificium quod potest vocari propitiatorium, id est, tale opus, quod pro aliis factum placat Deum, et meretur remissionem peccatorum. Porro unum tantum est sacrificium vere propitiatorium scilicet mors Filii Dei, Domini nostri Iesu Christi. Nec aliud fuit propitiatorium sacrificium ullo tempore, ulla aetate. Huius unius Pontificis haec gloria est, quod unica oblatione satisfecit pro omnium peccatis, et Deo reconciliavit genus humanum. Quod autem in lege quaedam vocabantur propitiatoria, haec non merebantur condonationem peccatorum, nec erant vere propitiatoria, sed quia erant typi venturae victimae, sic appellabantur: Haec sententia verissima et firmissima est. Alia sacrificia discernenda sunt ab hoc priore. Nam cum dicit Psalmus: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, hic necesse est nostra sacrificia a Christi morte discerni. Vocantur ergo haec Eucharistica, quae non merentur reconciliationem, sed fiunt a reconciliatis, ut grati Deo honorem aliquem praestemus, et profiteamur hunc quem invocamus, esse Deum, esse salvatorem ac liberatorem. Tale sacrificium generaliter est universa obedientia in bonis operibus sanctorum, quae a Deo praecepta sunt, et sicut mandata sunt, et in afflictionibus. De his sacrificiis loquitur Petrus, inquiens: Vos estis sacerdotium sanctum, ut offeratis hostias spirituales. At ut sciamus eas non placere sine agnitione et fiducia Christi, addit Petrus: Acceptas per Iesum Christum. Non enim placent ne haec quidem ex opere operato.

Nunc respondeo ad ea quae citata sunt de sacrificiis ex veteri Testamento. Cum aliud nullum sit propitiatorium sacrificium, nisi sola Christi mors, certum est, oblationem in Missa aut coena Domini non esse sacrificium, quod aut facienti mereatur remissionem, aut sit applicandum pro aliis. Cur igitur Patres vocant sacrificium? Ut typi in lege eandem habebant appellationem, ita et huic ceremoniae hoc nomen tribuerunt, quia institutum est, ut nos de illo sacrificio admoneat. Sed estne sacrificium εὐχαριστικόν? Dixi nulla esse εὐχαριστικὰ nisi opera a Deo mandata, et quemadmodum praecepta sunt, quia Christus inquit: Frustra colunt me mandatis hominum. Nec nobis licet cultus novos instituere sine mandato Dei. Porro coena Domini sic instituta est, ut manducans suam ibi fidem exerceat, et se recordatione beneficiorum Christi

consoletur, et sic agat gratias. Haec omnia pugnant cum ratione operis operati: Ergo nec εὐχαριστικὸν esse potest ex opere operato. Quare etiamsi applicatio detraheretur, tamen non essent faciendae Missae, tanquam id opus sit gratiarum actio. Non igitur Missae communes ordinari aut institui possunt, tanquam gratiarum actiones, sed servetur institutum Christi, sit minister porrigens, et utantur alii Sacramento, pro sua consolatione. In hac manducatione, gratiarum actio et confessio agentis poenitentiam, et se consolantis, fit sacrificium εὐχαριστικὸν, ipsa ceremonia per se non est sacrificium, nec propitiatorium, nec εὐχαριστικὸν.

Ad sententiam Epistolae ad Ebraeos, Omnis Pontifex etc. respondeo: Ipse autor Epistolae hoc dictum accommodat ad unicum Pontificem Christum, quemadmodum verba quae mox sequuntur, satis ostendunt, et tota Epistola de sacerdotio unius Pontificis Christi concionatur. Si quis igitur ex hoc dicto argumentatur, oportere in novo Testamento esse Pontificem, qui offerat sacrificia pro peccatis, concedendum est argumentum de Christo, de quo solo loquitur Epistola ad Ebraeos.

Solet etiam citari locus Malachiae I. Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus. Et, in omni loco incensum offertur nomini meo, et oblatio munda. Etsi autem hic locus violenter detorquetur ad Missam, tamen respondeo, Primum: Ut maxime haec sententia loqueretur de Missa, tamen inde nequaquam sequitur, quod Missa mereatur remissionem peccatorum, aut sit opus commune, sic faciendum, tanquam ceremonia sit per se gratiarum actio. Secundo: Verba Prophetae ostendunt eum loqui de praedicatione Evangelii et veris cultibus novi Testamenti, cum inquit, nomen Dei magnum fore in gentibus, significat Evangelium spargendum esse in gentes, per quod innotescat et glorificetur Deus. Haec praedicatio Evangelii de misericordia Dei parit fidem in cordibus eorum, qui accipiunt Evangelium, hi praestant veros cultus, qui sunt primum ipsa fides, deinde invocatio, confessio, gratiarum actio, obedientia in afflictionibus etc. Ita glorificatur nomen Dei. Et haec sunt oblatio munda, id est, veri cultus qui tantum praestantur ab iis, quorum corda iam vere agnoscunt Deum, recte sentiunt de Deo, vera fiducia invocant etc. Hos cultus significat incensum et oblatio, non significat ceremoniam ex opere operato sine fide et notitia Dei. Breviter, quaecunque dicta ex Scriptura colliguntur de sacrificiis, semper hoc meminerimus, ea nihil patrocinari oblationi seu applicationi operis operati, quae palam est blasphema et idololatrica.

Responsio ad dicta Patrum.

Ex his quae diximus, facilis est responsio de dictis Patrum, qui Missam vocant sacrificium. Primum enim non potest ostendi, Patres hoc voluisse, quod Missa sit sacrificium ex opere operato adferens remissionem peccatorum et applicandum aliis. Qui sic interpretantur Patres, iniuriam illis faciunt: Nam haec portenta prorsus ignota fuerunt veteri Ecclesiae, imo ne fuit quidem usque ad tempora Gregorii Missa sine Communione plurium, sed habebatur statutis diebus una communis coena seu communio, ubi multi, quotquot volebant, simul sumebant corpus et sanguinem Domini. Quemadmodum ne hodie quidem in Graecis Ecclesiis fiunt privatae Missae singulorum sacerdotum, sed unica Missa communis. Nec laturi erant Patres istam impietatem et prophanationem sanctissimae ceremoniae. Postea inscitia et superstitione indoctorum Pontificum et Monachorum introductae sunt privatae Missae, qui ex male intellecto vocabulo sacrificii, finxerunt Missam esse tale opus, quod mereatur remissionem culpae et poenae, et attexuerunt opinionem de opere operato. Haec opinio auxit Missas in infinitum: et quia erat res ad populum vendibilis, coepit prostitui ad quaestum.

Cum ergo Patres Missam seu communem coenam Domini (ut tunc servabatur) vocant sacrificium, ex ipsorum verbis facile poterit iudicari, eos loqui non de oblatione et applicatione operis, sed de gratiarum actione seu memoria sacrificii seu mortis Christi. Sic ait Chrysostomus in capite nono Epistolae ad Ebraeos, cum dixisset nos per singulos dies offerre semper id ipsum: Hoc quod nos facimus, in commemorationem quidem eius fit, quod semel factum est, non aliud sacrificium, sed id ipsum semper facimus, magis autem recordationem sacrificii exercemus. Et Augustinus lib. 10. de civitate Dei cap. 5. Quod ab hominibus appellatur sacrificium, signum est veri sacrificii etc. Ad hunc modum loquitur et Lombardus in sententiis: Illud quod offertur et consecratur a sacerdote, vocatur sacrificium et oblatio, quia est memoria et repraesentatio veri sacrificii et sanctae immolationis factae, in ara crucis.

Allegatur et Tertulliani quoddam dictum ex libro de Corona militis, ibi inquit: Etiam oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus. Hic locus impie detorquetur ad Missam pro defunctis. Non enim dicit Tertullianus opus Missae esse oblationem pro mortuis, quae redimat eos a poenis etc. nec hic loquitur de coena Domini, sed in diebus natalibus et funerum, solebant afferri ci-

bi et alia munera, quae distribuebantur in pauperes. Haec vocabantur oblationes et ἀγάπαι. De hoc more loquitur Tertullianus, qui adhuc reliquus erat ab ethnico ritu, qui in natalibus et funeribus dabant epulas in templis, sed hae postea prohibitae sunt. Ac ex ipso Tertulliano et aliis scriptoribus apparet, sacrificia seu oblationem pro mortuis non dici usum Missae, sed preces et gratiarum actionem. Sic enim inquit Tertullianus ad Scapulam: Sacrificiamus pro salute Imperatoris, scilicet Deo nostro et ipsius, sed quomodo praecipit Deus, fide pura. Sic et de martyribus ait Cyprianus: Sacrificia pro eis offerimus etc. quia in precationibus fiebat martyrum mentio, et agebantur gratiae Deo, quod eos adiuvisset. Et Augustinus ad quaestiones Dulcitii: Cum sacrificia sive altaris, sive quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis offerimus, gratiarum actiones sunt etc. Sicut et de ceremoniis funerum scribit Dionysius, quod populus iussus sit gratias agere in precibus, quod qui defunctus erat, pie decessisset ex hac vita. Haec plane dissentiunt ab impiis commentis recentiorum de purgatorio et oblatione Missarum, ad redimendas poenas mortuorum.

DE MISSA THEATRICA.

Existimamus autem mediocriter eruditos non defensuros impiam opinionem de applicatione, sed decursuros ad quandam subtiliorem interpretationem, dicent, se hanc ceremoniam retinere, non ut applicent pro aliis, sed ut ibi agant gratias. Disputabunt licere uni gratias agere hoc spectaculo, ut si unus legeret Psalmum aliquem. Postea addunt preces pro mortuis et aliis. Has aiunt valere per modum suffragii.

Hac subtilitate pingunt abusus, et magnam ingenii laudem putant talia sophismata excogitare. Clamitant stolidos esse, qui hos fucos non admirantur. Deinde saevitiam adversus pios exercent, qui ingenue profitentur, se abhorrere ab idololatria Missarum. Te autem invocamus Domine Iesu Christe Fili Dei, qui orans pro Ecclesia dixisti: Pater sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est, ac precamur, ut Ecclesiam liberes ab omni sophistica: Semper enim haec pestis offudit tenebras veritati. Oramus etiam, ut mentem des Principibus et aliis gubernatoribus amantem veritatis, et gloriae Dei servientem, in religione constituenda, non aliis utilitatibus: Saepe enim accidit, ut Principes inflectant religiones ad suam utilitatem. Pontifices volunt defensam Missam, propter dignitatem suam et quaestum. Vulgus amat Missas, quia putat esse praesens remedium adversus omnia mala, sicut natura hominum prona est ad idololatriam et fiduciam operum, cum veram fidem nec intelligat, nec retinere studeat. Serviunt autem Principes affectibus Pontificum et populi, defendunt eosdem errores propter tranquillitatem. Ideo omnibus temporibus magna pars Principum, Pontificum et populi, adversata est veritati. Sed tamen Deus restituens Ecclesiam, aliquos ex omnibus ordinibus vocat, qui emergenti veritati patrocinentur: quo in numero utinam etiam nunc aliqui Reges esse velint, ut gloriam Christi ornent, et suae et Ecclesiae saluti consulant, nec adiuvent impios, qui bellum adversus Christum gerunt, et idololatriam defendunt.

Nunc adiiciemus brevem et perspicuam refutationem illius sophisticae excusationis Missarum.

Prima Ratio.

Haec sophistica tantum est simulatio, et re ipsa manent priora vitia, applicatio et opinio operis operati: Retinent enim Canonem, in quo expressis verbis fit applicatio. Item donec manet hic mos sacrificandi, non potest non accedere opinio, quod sit opus commune valens pro aliis, et quidem ex opere operato. Alioqui cur fieret? cur sacerdotes retinerent peculiarem ritum distinctum a populi communione? Talis autem Missa Papistica est haud dubie idololatrica, procul enim receditur ab instituto Christi. Ut autem de statuis dicitur: Deus non magis exaudit ad certam statuam quam alibi, quia non est alligandus eo, quo se non alligavit verbo suo, Ita Sacramenta extra usum, ad quem instituta sunt, non sunt Sacramenta, sed otiosa et impia spectacula, ut nunc Iudaica aut Turcica Circumcisio. Qualis igitur sit adoratio in Missa Papistica, facile iudicari potest, ubi concurrunt tam multa aliena ab instituto, oblatio, applicatio, meritum ex opere operato. Haec omnia manent, durante ritu Papistico, et retento Canone. Haec sunt clarissima.

Secunda Ratio.

Finge autem posse tolli opinionem applicationis, tamen vellent illi conservari oblationem, quae etiam non est instituta in his verbis Christi. Et Christus solus ipse sese obtulit, non vult a nobis offerri. Item, Non licet institui cultum sine mandato Dei. At tali Missa retenta, maneret cultus non mandatus, maneret enim opus distinctum a populi communione, quod omnes haberent pro singulari et necessario cultu in Ecclesia. Cum autem non sit instituendus ritus sine mandato, retineamus formam traditam in Evangelio, praesertim cum Paulus expressis verbis praecipiat, ut plurium sit communio, et utamur coena Domini tanquam Sacramento ad fidem excitandam et erigendam recordatione beneficiorum Christi, ac deinde agamus gratias Christo, pro liberatione tanta. Non fingamus ceremoniam ipsam ex opere operato esse cultum aut sacrificium. Haec fuit consuetudo veteris Ecclesiae: Nam fere usque ad Gregorium nullae fuerunt privatae Missae. Adversarii nostri clamitant, nunc nos discedere ab Ecclesiae consuetudine, et magnifieri exempla Ecclesiae postulant. Sed nobis iniuriam faciunt: Nam ipsi a verae Ecclesiae more et exemplo discesserunt, novos cultus receperunt, humana temeritate excogitatos, ignotos veteri Ecclesiae.

Dionysius describens ritum Synaxeos, ne quidem nominat oblationem, cum quidem in describendis ceremoniis admodum diligens fuerit. Et applicatio prorsus ignota est veteribus: Nam Latinus Canon nova quaedam Rhapsodia est, paulatim aucta, ut Gregorius testatur, qui hanc formam inquit collectam esse a quodam, quem vocat Scholasticum. Et differt in locis insignibus a Graecis Canonibus, sunt enim duo, qui et ipsi inter se in locis insignibus differunt. Illud autem quod in Latino Canone ponitur, offerri hoc sacrificium, ut redimantur vivi et mortui, nusquam est in Graeco Canone. Repudiandus est igitur Latinus Canon, in quo traditur applicatio, contra doctrinam de sacrificio Christi, et de iustitia fidei: et insunt alia quaedam absurda, mentio intercessionis sanctorum. Et Sacerdos cum dicat se offerre Filium Dei, petit ut oblatio haec perinde placeat, ut sacrificium Abel. Haec confuse et inerudite ab indocto aliquo congesta apparet, et opus habere emendatione omnes eruditi intelligunt. Ac profecto reprehendenda est Episcoporum negligentia, qui tot seculis, cum viderent manifestos esse Missarum abusus plurimos, nunquam de emendatione ulla cogitaverunt. Quantum autem scelus sit abusus huius Sacramenti, Paulus non obscure significat, cum ad Corinthios inquit: Probet se ipsum homo: qui indigne manducaverit, reus erit corporis et sanguinis Domini. Nec dubium est, multis publicis et privatis calamitatibus hunc abusum puniri: Deus enim graviter idololatriam punire solet. Quare toto pectore oramus Deum, ut mentem det etiam aliis, ut Ecclesiae in hac tanta re consulere incipiant.

Quanquam autem haec ipsa causa de Missa prolixius disputari posset, tamen hic fundamenta breviter complexi sumus. Ritus noster congruit cum institutione Christi, cum Paulo, cum tota veteri Ecclesia. Ratio de usu Sacramenti ex vera doctrina, de sacrificio Christi, et de iustitia fidei, sumpta est. Haec sunt certa, firma et perspicua, nec everti possunt, etiamsi fortassis aliqui sophisticis argumentis excusare et fucare Missas volent. Scimus enim homines callidos solere errores fucis quibusdam pingere. Sed qui volent gloriae Dei servire, et Ecclesiae saluti consulere, veritatem anteferant fucosis et sophisticis rationibus. Id decet omnes qui Deum timent, qui recte invocare Deum, et consulere Ecclesiae cupiunt.

Valde mirati sumus Anglicum decretum, cum nulla emendatio abusuum Missae proponatur, tamen simpliciter ibi stabilitur privata Missa. Miramur Episcopos affirmare Missam necessariam esse, cum circiter annos quadringentos fuerit ignota primae et puriori Ecclesiae. An illa res necessarias ignorabat? In Ecclesia verecundius pronuntiandum erat: Si privatae Missae sunt necessariae, tota vetus Ecclesia damnatur. Quod vero additur, populo eas Missas ad pietatem prodesse, ambigue posita est sententia, ut, etsi applicatio non nominatur, tamen error in animis populi confirmetur. Deinde etiamsi non volunt confirmare applicationem, sed tantum ita prodesse exemplum censent, quia populus admonetur, ut cogitet de passione Christi, tamen plus nocet hoc spectaculum, quia in Missis Papisticis haud dubie multiplex inest idololatria, quare populus ibi adigitur ad idololatricam adorationem: Nam Sacramentum extra usum institutum, non est Sacramentum. Haec sententia verissima est. Ideo optamus, ut liberetur Ecclesia ab idololatria, et veri cultus restituantur, propter gloriam Dei et salutem populi.

τῷ θεῷ δόξα.

Praeter haec quatuor scripta dogmatica, quae inde a pag. 585. ex libro *Libelli aliquot utiles Phil. Melanthonis* inscripto exhibuimus, in eodem continentur haecce quinque scripta iam in aliis huius Corporis Voluminibus recusa:

1. DE POTESTATE ET PRIMATU PAPAE, ET DE POTESTATE ET IURISDICTIONE EPISCOPORUM.

AUCTORE PHILIPPO MELANTHONE.

Hi duo tractatus Melanthonis exstant

1. in utraque Editione Collectionis scriptorum supra p. 667 sq. recensita, et *Argentoratensi anni 1540.* 8., et *Witebergensi anni 1549.* 8., in quibus sic inscripti sunt: *De Potestate et Primatu Papae. ἀδέσποτον. — De Potestate et Iurisdictione Episcoporum.*

2. in utraque Editione *Witebergensi* annorum 1560. et 1561. supra p. 585 sqq. descripta Collectionis, cuius titulus est: *Libelli aliquot utiles Philippi Melanthonis,* in quibus sic inscripti sunt: *De potestate Pontificis et Episcoporum, et alijs quibusdam controuersijs, collecta opera et studio Casparis Crucigeri Doctoris Theologiae, partim anno 1540. in conuentu Schmalcaldensi, partim anno sequenti in conuentu Ratisbonensi.* — In Peucerianae Collectionis Operum Mel. Parte II. p. 181. extr. eadem quidem inscriptio legitur, ut ipsi tractatus illic desunt.

3. in *Melanthonis Consiliis a Christoph. Pezelio Neustadii a. 1600.* 8. *editis* P. I. p. 272—287.

4. in pluribus peculiaribus Editt. *Articulorum Schmalcaldicorum**) et in *Libris symbolicis Ecclesiae Lutheranae,* quorum varias Editiones alio loco recensebo**). Uterque enim tractatus Articulis Schmalcaldicis annexus et simul cum illis iterum iterumque editus est.

5. in fine *Commentariorum Chytraei in Apocalypsin,* teste Mylio in Chronologia Scriptor. Ph. Mel. fol. D 4ª.

6. in *huius Corporis* Volumine III. p. 271—286.

7. Hi tractatus etiam a. 1784. recusi sunt, teste Henr. Guil. Rotermundio, qui in l. Verzeichniß von den verschied. Ausgaben der sämtl. Schriften Ph. Melanchthons p. 31. nr. 133. haec refert: „Libellus de potestate papae, item de iurisdictione episcoporum, ist mit dem Bedenken, von kaiserlicher und Päbstlicher Gewalt nebst einer historischen Einleitung von Veranlassung dieser Schrift, abgedruckt: Frankf. und Leipzig. 1784. 9 Bog."

Uterque tractatus a **Vito Theodoro** in germanicam linguam translatus est. Haec interpretatio primum a. 1541. prodiit sic inscripta:

Von des Bapsts gewalt, | welches er sich anmasset wider die Göt- | lichen Schrifft, vnd der ersten | Kirchen brauch. | Item von der Bischoffen Jurisdiction, Ge- | stellet durch Herrn Philippum Melan- | thon, vnd verdeutschet durch | Vitum Dietherich. | 1541. sine loci indicio. 3 plagg. litt. a—c sign., 11 foll. non num., ult. fol. album, 4. (fol. a 2ª — b 4ª Von dem Bepstlichen gewalt; fol. b 4ᵇ — c 3ª med. Von der Bischoff gewalt vnd Jurisdiction; fol. c 3ᵇ—4ᵇ vacant.).***)

---

*) Vide Feuerlini Biblioth. symbol. ed. Riederer Tom. I. p. 154 sqq.

**) Conf. e. c. Libri symbol. Eccles. evang. ed. I. A. Henr. Tittmann Ed. 2. (1827. 8.) p. 262 sqq., Libri symbol. Ecclesiae Luther. ed. H. A. Guil. Meyer (Gotting. 1830. 8.) p. 206 sqq. et al.

***) Hanc interpretationem ipse possideo. Etiam in Biblioth. Ponickaviana Halensi exstat.

Alia fuerit huius interpretationis Editio, quam Hardtius in Autographis Lutheri et al. Tom. I. p. 410. commemorat, ubi Wittebergae diserta fit mentio; sic enim l. l. eam recenset:

Von des Baſſts Gewalt, welches er ſich anmaſſet wider die Göttliche Schrifft, vnd der erſten Kirchen Brauch. Item, Von der Biſchoffen Iurisdiction, geſtellet durch H. Phil. Mel. vnd verdeutſcht durch Vitum Dieterich. Wittenb. 1541. 4.

Alias translationes editionesque Feuerlinus l. l. p. 155 sq. recensuit, ex quarum una recusa esse videtur haecce:

Philipp Melanchthon über des Papſtes und der Biſchöfe Macht. Für das deutſche Volk aufs neue gedruckt im Jahr 1845. Leipzig: Ernſt Goetz. 24 pagg. num., 8. min.*)

De anno, quo Melanthon hos tractatus scripserit, dissensio est. Nonnulli enim putant, eos in conventu Schmalcaldensi anni 1540. esse exaratos, ut Chytraeus l. l. eos ad hunc annum refert, etiam in inscriptione horum tractatuum supra allata ad eundem annum referuntur, quam ob causam a Mylio l. l. ad hunc annum memorantur; at ipse h. l. recte adnotavit, ex Melanthonis epistola ad Camerarium Schmalcaldiae Cal. Mart. 1537. data (in huius Corp. Vol. III. p. 291—294. recusa) apparere, eos ad priorem conventum Schmalcaldensem anni 1537. esse referendos, in qua re plurimi cum illo consentiunt. Conf. e. c. Articulorum Smalcaldicorum Berolini 1817. 4. denuo editorum praefatio p. 10 sq. et inscriptiones his tractatibus in Librorum symbcl. Editionibus praefixae.

Hos tractatus ipsos hic praetermitto, quippe qui iam in huius Corporis Vol. III. p. 271 sqq. ad annum 1537. exhibiti sunt.

---

2. SCRIPTUM IN CONVENTU SCHMALCALDENSI

propositum a Theologis, qui ibi adfuerunt, contra Schwenkfeldium, Sebastianum Francum et nonnullos errones alios, Mense Martio, Anno 1540.

Hoc scriptum invenitur

1. in libro, qui inscriptus est: *Libelli aliquot utiles Philippi Melanthonis* fol. S 2^b — 6^a.
2. in *Peucerianae Collectionis Operum Mel.* Parte I. pag. 200 med. — 203 med.
3. in *Melanthonis Consiliis a Pezelio editis P. I.* p. 385 med. — 389 med.
4. in *Seckendorfii Commentario de Lutheranismo* Ed. 2. (Lips. 1694. Fol.) p. 268 sq.
5. in *huius Corporis* Vol. III. p. 983—986.
6. Altera huius scripti pars inde a verbis: *Sebastianus Francus fingit* etc. etiam ex chirographo vetusto edita est in l. Unſchuldige Nachrichten anni 1742. p. 387—390.

De huius quoque scripti anno est dissensio; in duobus enim primis libris modo memoratis, scilicet *Libellis* etc. et *Peuceriana Collectione* in inscriptione pro anno 1540. adscriptus est annus 1537., ergo refertur ad priorem conventum Schmalcaldensem illius anni; in reliquis vero libris ad conventum anni 1540. est relatus.

Scriptum ipsum, quod iam in hoc Corpore l. l. datum est, h. l. omittitur.

---

*) Haec Ed. in meis libris est.

3. DE EUCHARISTIA NON ADMINISTRANDA, NISI ADSINT QUIBUS EA DISTRIBUATUR.

Hoc scriptum, quod Melanthon in Conventu Ratisbonensi 7. Iunii a. 1541. exaravit, invenitur

1. **in libro: *Libelli aliquot utiles* fol. 142ᵇ — 144ᵇ init.**
2. **in *Peucerianae Collectionis Operum Mel.* Parte II. pag. 203 sq., ubi sic inscriptum est: *Testimonia de Eucharistia non administranda, nisi adsint quibus ea distribuatur.***
3. **in *huius Corporis* Vol. IV. p. 387—389.**

In duabus prioribus Collectionibus hoc scriptum subsequuntur:

4. Annotata a Doctore Caspare Crucigero

Ratisbonae ad refutandas praestigias Sophismatum Eccianorum in praecipuis doctrinae Christianae capitibus.

Περὶ δικαιοσύνης τῆς ἐκ πίστεως.

Haec quoque annotata iam in huius Corporis Vol. IV. p. 242—250. recusa sunt. Hanc ob causam utrumque scriptum hic praetermittitur.

---

5. Responsio Philippi Melanthonis de controversiis Stancari

quae primum seorsim prodiit *Lipsiae 1553.* $2\frac{1}{2}$ plagg. 8.*), deinde in quibusdam Editionibus *Examinis Ordinandorum* recusa est, atque in libro: *Libelli aliquot utiles Ph. Mel.*, extremo loco fol. 153ᵇ — 167ᵃ (adiunctis duabus quaestionibus et verbis Ambrosii) exhibetur, iam supra in hoc Volumine p. 87 — 102. Examini Ordinandorum annexa est.

*) Haec peculiaris Ed. in Biblioth. senat. Norimb. asservatur.

SENTENTIAE VETERUM ALIQUOT SCRIPTORUM DE COENA DOMINI.

BONA FIDE RECITATAE A PHILIPPO MELANTHONE.

A scripto proxime praecedente *De usu integri Sacramenti* etc. ad hoc transgredimur, quoniam in utroque de Coena Domini agitur. Huius libelli historiam Strobelius in l. Miscellaneen Literarischen Inhalts. 5. Sammlung p. 221 — 230. enarravit inscriptam: „Nachricht von Melanchthons libello: Sententiae Patrum de S. Coena," ex qua elucet, Iohannem Oecolampadium huius scripti exarandi ansam Melanthoni dedisse, conf. etiam Melanthonis epistolae ad illum d. 8. April. 1529. et 12. Ianuar. 1530. datae, in huius Corp. Vol. I. p. 1048—1050. et Vol. II. p. 11 sq. recusae. Oecolampadius enim in epistola pridie Cal. April. 1529. scripta Melanthonem tunc Spirae propter Comitia versantem rogaverat, ut prospiceret, ne Sacramentarii in illis Comitiis damnarentur atque ex imperio expellerentur. Ad hanc epistolam Melanthon respondit illa d. 8. April. eiusdem anni scripta, quae primum separatim prodiit: *Epistola Philippi Melanchthonis ad Iohannem Oecolampadium de coena domini Haganoae per Io. Secer. Anno M.D.XXIX.* 1 plag. 8. Huic epistolae Oecolampadius opposuit responsum, quod Melanthoni in conventu Marpurgensi 1 — 3. Octobr. eiusdem anni ipse tradidit. Hac re Melanthon commotus est, ut ex quorundam Patrum locis publice ostenderet, hos de coena sacra eandem tenuisse sententiam, quam Lutherus eiusque socii docerent.

Hic libellus primum 1530. prodiit sic inscriptus:

Sen- | tenciae vete- | rum aliquot scriptorum, | de Coena Domini, | bona fide re- | citatae. | Philip. Melan | Vuitebergae. | MDXXX. (Hic titulus figuris ligno incisis cinctus est.) — (In fine:) *Impressum Witeber- | gae per Iosephum Clug. Anno | MD.XXX.* 2¾ plagg. litt. A—C (C¾ plag.) sign., 22 foll. non. num., 8. min. (fol. A 2ª — 4ᵇ Mel. epistola ad Fridericum Myconium; fol. A 5ª — C 6ª Sententiae Cyrilli, Chrysostomi, Vulgarii, Hilarii, Cypriani, Irenaei, Ambrosii et Augustini de Coena Domini, subiunctâ Clausulâ; fol. C 6ᵇ vacat.) *)

Deinde recusus est in *Collectionis Operum Mel.*, quae *Basileae apud Io. Hervagium 1541.* Fol. prodiit, Tomo I. p. 415—430.; iterum cura Nicolai Galli, qui suam Ed. sic inscripsit:

---

*) Haec Ed. in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est.

Senten- | tiae veterum ali- | quot scriptorum, de coena domini, bona fide recitatae et editae | Wittebergae. | à | Philippo Melanchthone | Anno 1530, | *Iam vero recusae | cum praefatione Nicolai Galli, | quae secundae huius editionis | causam ostendit, et alia | continet lectu | utilia. | Ratisponae ex Of- | ficina Typographica Ioannis | Carbonis. Anno. | LIIII.* 4 plagg. litt. A—D (B 3/4 plag., D 1 1/4 plagg.) sign., 32 foll. non num., 8. min. (fol. A 2ᵃ — B 4ᵇ med. Nic. Galli praefatio ad Lectorem Ratisponae Cal. Ian. 1554. scripta; fol. B 5 vacat; fol. B 6ᵃ — C 2ᵇ Melanthonis praefatio ad Frid. Myconium; fol. C 2ᵇ extr. — D 10ᵃ Sententiae Cyrilli etc. de Coena Domini; fol. D 10ᵇ vacat.). *)

Praeter has tres Editiones notae sunt haece quatuor:

Sententiae | Sancto- | rum Patrum | de Coena Domini, bo- | na fide recitatae, et edi- | tae Vuitebergae | A | Philippo Me- | lanchthone Anno | 1530. | *Nunc iterum | excusae. | Anno | M.D.LXI.* 3 plagg. litt. A—C sign., 24 foll. non num., 8. min. (fol. A 2ᵃ — 5ᵃ med. Melanthonis praefatio ad Frid. Myconium; fol. A 5ᵃ med. — C 8ᵃ Sententiae Cyrilli etc. de Coena Domini; fol. C 8ᵇ vacat.).

In hac Ed. nonnulla ab editore ignoto in fine addita sunt. Ipsius enim Melanthonis libellus fol. C 6ᵇ init. finitur verbis: *illam sententiam ad hanc controversiam nihil pertinere.* His editor, ne reliqua huius plagulae pars vacaret, nonnullos Patrum locos eiusdem argumenti addidit, hisce verbis praefixis: „Cum aliquot pagellae vacarent, adiecimus etiam alia loca veterum, quibus praesentia Christi in coena Dominica affirmatur.“ Hanc praemonitionem sequuntur fol. C 6ᵇ med. — 8ᵃ 5 loci sic inscripti: *Chrysostomus Homilia LI. in XIIII. caput Matthaei. — Verba Ambrosii obiurgantis Theodosium Imperatorem, et arcentis illum a communione. Theodoretus Lib.* 5. *cap.* 18. — *Iustinus in secunda Apologia pro Christianis. — Augustinus contra Fulgentium Donatistam. — Idem.*

— — (Idem Index) *Vitebergae* 1574. 3 plagg. 8. **)

— — (Idem Index) *Heidelbergae* 1584. 4. ***)

Sententiae | Sanctorum | Patrum, de Coena | Domini, bona fide recitatae | et editae Wittebergae, | A | Philippo Melanchthone | Anno M.D.XXX. | Quibus addita | Epistola Philippi Me- | lanchthonis, | & | Ioannis Brentii | eodem anno scripta. | 15 (Ornamentum typogr.) 87. | *Witebergae | Matthaeus Welack excudebat.* 4 1/2 plagg. litt. A — E (E 1/2 plag.) sign., primum fol. non num., seqq. 69 pagg. num., ult. pag. alba, 8. min. (fol. A 1ᵇ Editoris praefatiuncula ad Lectorem; pag. 1—9 med. Melanchthonis praefatio ad Frid. Myconium; p. 10—62. Sententiae Cyrilli etc. de Coena Domini, cum iisdem additamentis et praemonitione, quae in Ed. anni 1561. inveniuntur; p. 63—69. Epistola Phil. Melanchthonis et Ioh. Brentii: scripta ad illustr. Principem Philippum Landgravium Hassiae, anno 1530.; ult. pag. vacat.) †)

Hic libellus a Michaele Meurero, Concionatore Lebenigio, in linguam vernaculam translatus et (a. 1532.) editus est cum hocce titulo:

Vom Abend- | mal des HERRN, | Etliche sprüche der al- | ten Veter, trew- | lich angezo- | gen, | durch | Philip. Melanch. | Wittemberg. (Hic titulus figuris ligno incisis cinctus est.) — (In fine:) Gedruckt zu Wittem | berg durch Geor- | gen Rhaw. 8 plagg. litt. A—H sign., 32 foll. non num., 4. (fol. A 1ᵇ —4ᵇ Mich. Meurer's von Heniчhen, Pfarrers im Lebenigk, Vorrede an H. Albrechten, Marggrauen zu Brandenburg, Geben jn Königsperg jnn Preussen 1532. am 14. Mart.; fol. B 1ᵃ — C 1ᵃ Ph. Melanchthon's

*) Haec Ed. et subsequens in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris sunt.

**) Haec Ed. in eadem Bibilioth. senat. exstat.

***) Hanc Ed. cum ceteris Strobelius l. l. p. 229. memorat.

†) Haec Ed. in meis libris est.

Vorrede an Frid. Myconius; fol. C 1b — H 2b Cyrilli etc. sententiae de Coena Domini germanice; fol. H 3a Clausulam cont.; fol. H 3b — 4b vacant.). *)

Haec interpretatio, teste Strobelio l. l. p. 230., ter recusa est: 1) Dresden 1574. 4. 2) Wittemberg. 1575. 8½ plagg. 4. **) 3) Erffordt 1591. 9 plagg. 4. In hac tertia repetitione huius interpretationis epistola nuncupatoria Meureri omissa et nova praefatio praefixa est, in qua affirmatur, Melanthonem in doctrina hic proposita usque ad diem extremum perseverasse. In fine addita sunt Melanchthons Bericht vom Colloquio zu Marburg an Churfürst Johann, et Scriptum trium delectorum ex nostra parte exhibitum Praesidentibus Wormatiae a. 1540. in quo continetur sententia eorum et coniunctorum praedicatorum de Coena Domini.

Ab hoc libello omnino differt hicce a Ioachimo Westphalo ex Melanthonis scriptis compositus:

Reveren- | di et clarissi- | mi viri D. Philippi Melan- | thonis sententia de coena | Domini, ex scriptis ei- | us collecta | Per Ioachimum Vuestphalum. | I. Corinth. III. | Sapientia mundi huius stulticia | est apud Deum. | Noribergae. | Anno M.D.LVII. — (In fine:) *Noribergae, in Officina Ioannis | Montani, & Vlrici Neuberi.* 2½ plagg. litt. A—C (C ½ plag.) sign., 24 foll. non num., 8. min. (fol. A 2a — 2b med. Praefatio ad Lectorem; fol. A 3a — B 8b Ioach. Westphali epistola ad virum N. ministrum in Ecclesia N. Hamburgi m. Sept. 1556. data, in qua Melanthonis sententiam de coena Domini proponit; fol. C 1a — 3a med. Melanthonis epistola ad Bernardum Rothmannum pridie Natalis Domini 1532. data; fol. C 3b Locus ex Mel. Schollis in Epist. ad Colos.; fol. C 4a cont. Insigne typ., Locum Psalmi 89. et Clausulam; fol. C 4b vacat.). ***)

Ad illum ipsius Melanthonis libellum: *Sententiae veterum aliquot scriptorum de Coena Domini,* Oecolampadius, qui eius scribendi ansam dederat, eodem anno 1530., quo ille primum prodiit, respondit in hoc Dialogo, denuo Heidelbergae a. 1572. et Basileae 1590. recuso cum hocce titulo:

Dialogus, in quo ostenditur quid de Eucharistia ueteres Ecclesiae Doctores tum graeci tum latini senserint, et de hac eorundem testimonia olim a Ph. Melanchthone collecta accurate et placide expenduntur —. Heidelbergae 1572. 16½ plagg. 8. †), in quo Melanthonis liber repetitus est.

Hoc Dialogo Melanthon commotus esse videtur, ut in Praefatione Collectionis Basileensis Operum suorum, etiam hunc libellum continentis, de suo ipsius libello sic iudicet: „Sunt et sententiae recentes collectae περὶ δείπνου κυριακοῦ, quarum aliquae in illis autoribus qui citantur, sunt supposititiae. Haec et similia quaedam mallem omissa esse. — Memini olim Tubingae Lempum nobis pingere in tabula transsubstantiationem, ut vocant. Mirabar insulsitatem hominis tum quoque, neque iam velim citatis nothis sententiis, titulo Cypriani, aut Ambrosii, aut Theophylacti, confirmari abusus Sacramenti. Comperi, miram fuisse audaciam et impudentiam describentium veteres libros, qui ut imponerent doctis, multa de suo adscripserunt pugnantia cum autoribus.“ Ad hoc Melanthonis de suo libello iudicium aliaque similia spectant, quae Bullingerus in Responsione ad Iac. Andreae suggestionem p. 16. dicit: „Liber Oecolampadii tantam apud pios et θεοδιδάκτους viros autoritatem meruit, ut Phil. Melanchthon ab eo tempore, quo ille editus est, nobis et doctrinae nostrae aequior factus nobiscum familiarius agere coeperit, et tandem litteras quoque ad nos dare sit dignatus, quibus nos pro amicis et fratribus agnovit.“

Hanc ob causam Melanthon novam huius libri editionem nunquam ipse curavit.

Hic libellus h. l. recuditur ex *Editione Witebergensi anni* 1530., omissa vero epistola nuncupatoria ad Fridericum Myconium, quippe quae iam in huius Corporis Vol. II. p. 29—32. data est.

---

*) Haec interpretatio in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est.

**) Haec Ed. et subsequens in Biblioth. senat. Norimb. asservantur.

***) Hoc scriptum in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est.

†) Sic haec Ed., quae in Biblioth. senat. Norimb. exstat, a Strobelio l. l. p. 227. recensetur. — Etiam Ed. Basileensis a. 1590. 18 plagg. 8. olim in eadem Biblioth. erat.

SENTENTIAE VETERUM ALIQUOT SCRIPTORUM DE COENA DOMINI.

RECITATAE A PHILIPPO MELANTHONE.

Ex Editione Witebergensi anni 1530.

CYRILLUS

in Cap. XV. Iohannis, ubi tractantur haec verba: Ego sum vitis vera etc.

Non tamen negamus recta nos fide, charitateque sincera Christo spiritualiter coniungi, sed nullam nobis coniunctionis rationem secundum carnem cum illo esse, id profecto pernegamus, idque a divinis scripturis omnino alienum dicimus. Quis enim dubitavit Christum etiam sic vitem esse, nos vero palmites qui vitam inde nobis acquirimus? Audi Paulum dicentem, quia omnes unum corpus sumus in Christo, quia et si multi sumus, unum tamen in eo sumus, omnes enim uno pane participamus. An fortassis putat ignotam nobis mysticae benedictionis virtutem esse? quae cum in nobis fiat, nonne CORPORALITER quoque facit communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare? Cum enim membra fidelium membra Christi sunt? Nescitis, inquit, quia membra vestra membra sunt Christi? membra igitur Christi, meretricis faciam membra? absit. Salvator etiam: qui manducat carnem meam, ait, et bibit sanguinem meam, in me manet et ego in eo. Unde considerandum est, non habitudine solum, quae per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, verum etiam et PARTICIPATIONE NATURALI. Nam quemadmodum si quis igne liquefactam ceram alii cerae similiter liquefactae ita miscuerit, ut unum quid ex utrisque factum videatur, sic communicatione corporis et sanguinis Christi ipse in nobis est et nos in ipso. Non poterat enim aliter corruptibilis haec natura corporis ad incorruptibilitatem et vitam traduci, nisi naturalis vitae corpus ei coniungeretur.

CYRILLUS

in Cap. sexto Iohannis, ubi reprehenduntur Iudei, quod offensi essent sermone Christi, de manducatione carnis.

Nam cum oporteret eos, qui divinam virtutem salvatoris ac potestatem signorum miraculo perceperunt, sermonem eius libenter suscipere, et si qua difficilia videbantur, eorum solutionem quaerere, contra omnino faciunt, et quomodo potest hic carnem suam nobis dare? de Deo non sine magna impietate conclamant, nec in mentem venit nihil

esse impossibile apud Deum. Nam cum animales essent, ut ait Paulus, spiritualia intelligere non poterant. Sed fatuitas quaedam tam magnum sibi videtur mysterium, sed nos magnum quaeso a peccatis aliorum profectum faciamus, et firmam fidem mysteriis adhibentes, nunquam in tam sublimibus rebus, illud quomodo, aut cogitemus aut proferamus. Iudaicum enim hoc verbum est, et extremi supplicii causa. Ideo Nicodemus etiam cum diceret, quomodo haec fieri possunt? merito audivit: Tu es Magister in Israel, et haec ignoras? Aliorum igitur, ut diximus, culpa perdocti cum Deus operetur, non quaeramus quomodo, sed operis sui viam atque scientiam illi soli concedamus. Nam quemadmodum, quamvis nullus novit quidnam secundum naturam Deus sit, iustificatur tamen per fidem, cum credat praemia illum redditurum quaerentibus eum, sic et operum eius rationem ignorat, cum tamen fide omnia illum posse non dubitet, non contemnenda probitatis huius praemia consequetur, ita profecto nos affici per Prophetam Esaiam, Dominus ipse hortatur, non enim sunt consilia mea inquit, ut consilia vestra, nec sicut viae vestrae viae meae sunt, dicit Dominus, Sed sicut exaltatur coelum a terra, sic exaltata esunt viae meae a viis vestris, et cogitationes meae a cogitationibus vestris, Qui autem sapientia et virtute adeo excellit, quomodo non operabitur ita miraculose, ut operum suorum ratio mentem nostram effugiat? Nonne vides, quid sepe numero mechanici faciunt? Incredibilia videntur nobis nonnunquam enarrare, sed tamen, quia similia ipsos fecisse vidimus, posse peragi ab ipsis facile credimus. Quomodo igitur summis cruciatibus digni non erant, qui rerum omnium opificem Deum ita contemnunt, ut, Quomodo, in operibus suis dicere audeant? quem totius sapientiae largitorem esse non ignorant, quem omnia posse scriptura nos docuit. Si vero tu o Iudaee, quomodo, etiam nunc clamas, hanc tuam imperitiam ego quoque secutus, libenter quomodo ex Aegypto exivisti rogabo, quomodo in serpentem Mosaica fuit virga conversa, quomodo lepra manus affecta, uno momento temporis in pristinum statum restituta iterum fuit? quomodo in naturam sanguinis aquae transierunt? quomodo patres tui per media maria ut per aridam effugerunt? quomodo per lignum amaritudo aquarum in dulcedinem recidit, quomodo e lapide fontes aquarum fluebant? quomodo stetit Iordanis? quomodo solo clamore inexpugnabilis Iericho cecidit? Innumerabilia sunt, in quibus si, quomodo, quaeris, universam evertere tibi scripturam necesse erit, Prophetarum doctrinam et ipsius Mosi scripta contemnenti. Quare credidisse Christo potius vos oportuit? et si quid arduum videbatur, ab eo humiliter petere, quam velut itemulentos exclamare: quomodo potest hic nobis suam carnem dare? Nonne videtis, quia cum haec dicatis, statim cum ista voce, arrogantia magna significatur?

Et Deinde.

Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis etc.

Misericors certe ac mitis Christus est, ut a rebus ipsis videre licet, non enim aspere ad crudelitatem eorum respondit, nec ullo modo contendit, sed vivificantem huius mysterii cognitionem iterum atque iterum in mentibus eorum imprimere studet, et quomodo quidem carnem suam dabit ad manducandum, non docet, quia intelligere illi non potuerunt. Quam magna vero bona, si cum fide manducabunt, adipiscentur. Id iterum atque iterum aperit, ut aeternae desiderio vitae ad fidem compellantur, per quam etiam doceri facilius poterunt. Sic enim Esaias dixit, si enim, inquit, non credideritis, nec intelligetis. Oportebat igitur fidei primum radices in animo iacere, deinde illa quaerere quae homini quaerenda sunt. Illi vero antequam crederent, importune quaerebant: Hac igitur de causa Dominus, quomodo it fieri possit, non enodavit, sed fide id quaerendum hortatur, sic credentibus discipulis, fragmenta panis dedit dicens: Accipite et manducate, hoc est corpus meum. Calicem etiam similiter circumtulit dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est calix sanguinis mei, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Perspicis, quia sine fide quaerentibus mysterii modum nequaquam explanavit, credentibus autem etiam non quaerentibus exposuit. Audiant haec qui ex arrogantia nondum Christi fidem suscipere volunt, nisi manducaveritis, inquit, carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Non enim possunt cum sanctificatione beatae vitae fieri participes, qui per mysticam benedictionem Iesum non susceperunt, vita enim secundum naturam ille est, qui ex vivo patre genitus est, sed non minus corpus quoque suum vivificat. Coniunctum enim ineffabiliter est filio Dei, a quo universa vivificantur, id circo corpus suum dicitur, et unus cum eo est. Nempe post incarnationem unus est, et unus manet absque divisione ulla, praeterquam quod Dei patris verbum et templum a virgine sumptum, idem natura non sunt. Non enim est eiusdem substantiae verbo Dei homo assumptus, unus tamen cum illo est coniunctione ineffabili. Quoniam igitur salvatoris caro verbo Dei, quod naturaliter vita est, coniuncta, vivifica effecta est, quando eam comedimus, tunc vitam habemus in nobis, illi coniuncti, quae vita effecta est. Hac de

causa in exuscitandis mortuis non solummodo verbo atque imperio, ut Deus, utebatur, verum etiam carnem suam quasi cooperatricem nonnunquam adhibebat, ut re ipsa ostenderet, carnem quoque suam, quoniam sibi coniuncta est, vivificam esse, atque fideles doceret suum, non alterius corpus esse. Nam quando synagogae principis filiolam suscitabat, manum eius apprehendit, ut scribitur, et erexit dicens: Puella surge, ita ut Deus et verbo et carnis suae tactu eam excitavit, unam ab uno se Christo, Deo videlicet atque homine, operationem producens. Quando etiam in civitatem Naim vocatam ingrediebatur, et offerebatur unigenitus matris filius iam mortuus, tetigit corpus eius dicens: Adolescens dico tibi, surge. Non ergo verbo solum semper, ut diximus, verum etiam tactu mortuos excitabat, ut ostenderet corpus quoque suum vivificare posse, quod si solo tactu suo corrupta redintegrantur, quomodo non vivemus QUI CARNEM ILLAM ET GUSTAMUS ET MANDUCAMUS? Reformabit enim omnino ad immortalitatem suam participes sui. Nec velis Iudaice, quomodo, quaerere, sed recordare, quamvis naturaliter aqua frigidior sit, adventu tamen ignis, frigiditatis suae oblita aestuat. Hoc sane modo etiam nos, quamvis propter naturam carnis corruptibiles simus, participatione tamen vitae ab imbecillitate nostra revocati, ad proprietatem illius ad vitam reformamur. Oportuit enim certe ut non solum anima per Spiritum sanctum in beatam vitam ascenderet, verum etiam ut rude atque terrestre hoc corpus cognato sibi gustu, tactu, et cibo ad immortalitatem reduceretur.

CHRYSOSTOMUS

in VI. Cap. IOHAN. Homilia XLV.

Quando enim subit quaestio, quomodo aliquid fiat, simul subit incredulitas. Ita et Nicodemus perturbatus est, inquiens: Quomodo potest homo in ventrem matris suae iterato introire? Itidem et hi nunc: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Nam si hoc inquiris, cur non idem in quinque panum miraculo dixisti? quomodo eos in tantum auxit? Quia tunc tantum saturari curabant, non considerare miraculum. Sed res ipsa tunc docuit, inquies, Ergo ex eo et haec credere oportuit ei facilia factu esse. Propterea id prius fecit miraculum, ut per illud non essent amplius increduli his, quae postmodum diceret. Illi quidem tunc temporis nihil ex his dictis, nos ipsius beneficii utilitatem cepimus. Quare necessario dicendum quam admiranda mysteria, et cur data sint, et quaenam eorum utilitas. Unum corpus sumus, et membra ex carne, et ossibus eius. Quare initiati eius praeceptis parere debent. Ut autem non solum per dilectionem, sed RE IPSA in illam carnem convertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cum enim suum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit, et in unum nobiscum redegit, ut corpus cum capite uniretur. Hoc enim amantium maxime est.

CHRYSOSTOMUS

in Cap. XXVI. MATTHAEI. Homilia LXXXIII.

Vigilandum igitur est, non enim parvum supplicium indigne communicantes expectat. Cogita quanta indignatione adversus proditorem, adversus eos, qui crucifixerunt ipsum, movearis, et cave ne tu quoque corporis et sanguinis Christi reus efficiaris. Illi acerbissime trucidarunt, tu post tot tantaque beneficia sordida suscipis omnia. Non enim sufficit ipsi hominem fieri, flagellis interim caedi, sed nos secum in unam, ut ita dicam, massam reducit, neque id fide solum, sed re ipsa nos corpus suum efficit. Qua igitur re mundiorem esse non oportet eum, qui hoc sacrificio participaturus est, quos radios solares non deberet excedere manus illa, que hanc coronam pertractat, os quod igne impletur spirituali, lingua quae cruentatur hoc admirabili sanguine? Veniat in mentem tibi, quo sis honore honoratus, qua mensa fruaris. Ea namque re nos alimur, quam angeli videntes tremunt, nec absque pavore propter fulgorem, qui inde resilit, aspicere possunt, et nos in unam cum illo massam reducimur, Christi corpus unum, et caro una. Quis loquetur potentias Domini? auditas faciet omnes laudes eius? quis pastor unquam membris suis oves suas nutrivit? Multae matres post partum aliis nutricibus infantes dederunt, quod ipse facere noluit, sed proprio corpore nos alit, et sibi coniungit, atque conglutinat. Consideremus autem, inquies, licet aperte ad omnes pertineat. Nam si ad naturam nostram descendit, patet quoniam ad omnes, quod si ad omnes, et ad unumquemque profecto. Sed cur non omnes inde lucrum consecuti sunt, inquies? Id certe non illius causa, qui maxime hoc optat, accidit, sed eorum culpa, qui eum suscipere nolunt. Singulis enim fidelibus per hoc mysterium se coniungit, et quos peperit, non

alii nutriendos tradit, sed ipse studiosissime alit. Hac etiam re tibi persuadens carnem illum tuam assumpsisse. Tanta igitur charitate, atque honore affecti non torpeamus. Non videtis, quanta infantes animi alacritate mamillas arripiunt, qua pressione papillis infigunt labia, non minore cupiditate nos quoque ad hanc mensam, et ad huius calicis spiritualem accedamus papillam, immo vero maiore desiderio quasi lactentes pueri gratiam spiritus sugamus, unus sit nobis dolor, una moestitia, si hoc alimento spirituali privamur. Non sunt humanae virtutis haec opera, quae tunc in illa coena confecit, ipse nunc quoque operatur, ipse perficit, ministrorum nos ordinem tenemus, qui vero haec sanctificat, et transmutat, ipse est.

CHRYSOSTOMUS
de dignitate sacerdotum.

Ὦ τοῦ θαύματος ὢ τῆς τοῦ θεοῦ φιλανθρωπίας, ὁ μετὰ τοῦ πατρὸς ἄνω καθημένος, κατὰ τὴν ὥραν ἐκείνην ταῖς ἁπάντων κατέχεται χερσὶ, καὶ δίδωσιν αὑτὸν τοῖς βουλομένοις περιπτύξασθαι καὶ περιλαβεῖν.

O ingens miraculum. O magnam Dei benevolentiam erga nos. Is qui sedet supra cum patre, illa hora omnium manibus detinetur, et dat se volentibus circumdare et complecti.

VULGARIUS
in Mattheum.

Οὐ γὰρ εἶπε, τοῦτό ἐστι σύμβολον, ἀλλὰ τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα, δεικτικῶς, ἵνα μὴ νομίσῃ τις τύπον εἶναι τὰ φαινόμενα.

Id est.

Non enim, dixit, hoc est symbolum, sed hoc est corpus meum, demonstrative, ne quis putaret, ea quae cernuntur, typum esse.

VULGARIUS
in Marcum.

Cum benedixisset, hoc est, gratias egisset, fregit panem, id quod etiam nos facimus, preces adiungendo. HOC EST corpus meum, hoc, inquam, quod sumitis. Non enim figura tantum et exemplar quoddam Dominici corporis panis est, sed in illum convertitur corpus Christi. Dominus enim dicit: Panis quem ego dabo, caro mea est, non dixit: Figura est carnis meae, sed caro mea est. Et iterum: Nisi ederitis carnem filii hominis. Et quomodo inquis: caro non videtur? O homo propter nostram infirmitatem istud fit, quia enim panis quidem et vinum ex his sunt, quibus assuevimus, ea non abhorremus, sanguinem vero propositum et carnem videntes, non ferremus, sed abhorreremus. Idcirco misericors Deus, nostrae infirmitati condescendens, speciem quidem panis et vini servat, in virtutem autem carnis et sanguinis transelementat.

HILARIUS
libro octavo de trinitate.

Si vere igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, et vere homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosque vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus, et per hoc unum erimus, quia pater in eo est, et ille in nobis, quomodo voluntatis unitas asseritur, cum naturalis per sacramentum proprietas perfectae sacramentum sit unitatis? Non est humano aut seculi sensu in Dei rebus loquendum, neque per violentam atque impudentem praedicationem coelestium dictorum sanitati, alienae atque impiae intelligentiae extorquenda perversitas est. Quae scripta sunt legamus, et quae legerimus, intelligamus, et tunc perfectae fidei officio fungamur. De naturali enim in nobis Christi veritate quae dicimus, nisi ab eo discimus, stulte atque impie dicimus. Ipse enim ait. Caro mea vere est esca, et sanguis meus vere est potus. Qui edit carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo. De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione, et fide nostra, vere caro est et vere sanguis est. Et haec accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? Contingat plane his verum non esse, qui Christum Iesum verum esse Deum negant. Est ergo in nobis ipse per carnem, et sumus in eo, dum secum hoc quod nos sumus, in Deo est. Quod autem in eo per sacramentum communicatae carnis et sanguinis simus, ipse testatur, dicens: Et hic mundus iam me non videt vos autem me videbitis, quoniam ego vivo et vos vivetis, quoniam ego in patre meo, et vos in me, et ego in vobis. Si voluntatis tan-

tum unitatem intelligi vellet, cur gradum quendam atque ordinem consummandae unitatis exposuit, nisi ut cum ille in patre per naturam divinitatis esset, nos contra in eo per corporalem eius nativitatem, et ille rursum in nobis per sacramentorum inesse mysterium crederetur, ac sic perfecta per mediatorem unitas doceretur, cum nobis in se permanentibus ipse maneret in patre, et in patre manens ipse maneret in nobis, et ita ad unitatem proficeremus, cum qui in eo naturaliter secundum nativitatem aeternam inest, nos quoque in eo naturaliter inessemus, ipso in nobis naturaliter permanente. Quod autem naturaliter in nobis haec unitas sit, ipse ita testatus est: qui edet carnem meam et bibit sanguinem meam, in me manet et ego in eo.

Sicut misit me pater vivens, et ego vivo per patrem, et qui manducat carnem meam, et ipse vivet per me, vivit ergo per patrem, et quomodo per patrem vivit, eodem modo nos per carnem eius vivemus. Haec ergo vitae nostrae causa est, quod in nobis manentem per carnem Christum habemus victuri per eum ea conditione, qua vivit ille per patrem. Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eum vivimus, id est, naturam suae carnis adepti, quomodo non naturaliter secundum spiritum in se patrem habeat, cum vivat ipse per patrem? Item, Haec autem idcirco commemorata sunt a nobis, quia voluntatis tantum inter patrem et filium unitatem Haeretici mentientes, unitatis nostrae ad Deum utebantur exemplo, tanquam nobis ad filium et per filium ad patrem obsequio tantum et voluntate religionis unitis, nulla per sacramentum carnis et sanguinis naturalis communionis proprietas indulgeretur, cum et per honorem nobis datum Dei filii, et per manentem in nobis carnaliter filium, et in eo nobis corporaliter et inseparabiliter unitis mysterium verae ac naturalis unitatis sit praedicandum.

CYPRIANUS

ad Caecilium.

Quaerendum est enim ipsi quem sint secuti. Nam si in sacrificio, quod Christus est, non nisi Christus sequendus est, utique id nos obaudire et facere oportet, quod Christus fecit, et quod faciendum esse mandavit.

CYPRIANUS

in sermone de Coena Domini, si tamen non fallit titulus, sed cuiuscunque est autoris opus, apparet non esse recens scriptum.

Panis iste quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro, et sicut in persona Christi humanitas videbatur, et latebat divinitas, ita sacramento visibili ineffabiliter divina se infudit essentia, ut esset religioni circa sacramenta devotio, et ad veritatem, cuius corpus sacramenta sunt, sincerior pateret accessus, usque ad participationem spiritus.

IRENAEUS

Lib. V. Contra Valentinum. Pag. 294.

Vani autem omni modo, qui universam dispositionem Dei contemnunt, et carnis salutem negant, et regenerationem eius spernunt, dicentes, non eam capacem esse incorruptibilitatis. Sic autem secundum haec videlicet, nec Dominus sanguine suo redemit nos, neque calix eucharistiae, communicatio sanguinis eius, neque panis, quem frangimus, communicatio corporis eius est. Sanguis enim non est nisi a venis et carnibus, et a reliqua quae est secundum hominem substantia, qua vere factum verbum Dei, sanguine suo redemit nos. Quemadmodum et apostolus eius ait: In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, et remissionem peccatorum. Et quoniam membra eius sumus, et per creaturam nutrimur. Creaturam autem ipse nobis praestat, solem suum oriri faciens, et pluens quemadmodum vult eum calicem, qui est creatura, suum corpus confirmavit, ex quo nostra auget corpora. Quando ergo et mixtus calix, et factus panis percipit verbum Dei, fit eucharistia sanguinis et corporis Christi, ex quibus augetur et consistit carnis nostrae substantia. Quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, qui est vita aeterna, quae sanguine et corpore Christi nutritur.

Ad hunc modum, et alio loco Irenaeus ratiocinatur non posse carnem prorsus perire, quia corpore Christi nutriatur, lib. 4. contra Valent. Pag. 237.

Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem devenire, et non percipere vitam, quae a corpore Domini et sanguine alitur? Et paulo

post: Quemadmodum enim qui est a terra panis percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est, sed eucharistia ex duabus rebus constans, terrena et coelesti, sic et corpora nostra percipientia eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, etc.

Extant inter Ambrosii libros, duo libelli, quorum alter titulum habet de mysteriis initiandis, alter, de sacramentis, in his palam affirmatur, quod non tantum significet panis corpus Domini, sed re ipsa corpus Christi detur in coena. Ego hos libellos video non admodum dissimiles esse aliorum Ambrosii scriptorum. Et in posteriore citatur graeca figura τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν, more Ambrosii, sed ut non sint Ambrosii, sunt enim sic satis confuse scripti, apparet tamen circiter illa tempora natos esse, recensetur enim vetus mos, qui solitus est observari in baptizandis his, qui iam grandes natu recipiebant Evangelium. Et tantum duorum sacramentorum mentio fit; Baptismi, et Coenae Domini. Ibi sic legitur:

Forte dicas. Aliud video, quomodo tu mihi asseris, quod Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis? ut probemus non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, maioremque vim esse benedictionis, quam naturae, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. Virgam tenebat Moises, proiecit eam, et facta est serpens. Rursus apprehendit caudam serpentis, et in virgae naturam revertitur. Vides igitur prophetica gratia his mutatam esse naturam, et serpentis et virgae. Currebant Aegypti flumina puro aquarum meatu, subito de fontium venis sanguis coepit erumpere. Non erat potus in fluviis, Rursus ad Prophetae preces cruor cessavit fluminum, aquarum natura remeavit. Circumclusus undique erat populus Ebraeorum, hinc Aegyptiis vallatus, inde mari clausus virgam levavit Moises, separavit se aqua, et in murorum speciem congelavit, atque inter undas via pedestris apparuit, Iordanis retrorsum conversus contra naturam in sui fontis revertitur exordium. Nonne claret naturam vel marinorum fluctuum, vel fluvialis cursus esse mutatam? Sitiebat populus patrum, tetigit Moises petram et aqua de petra fluxit. Numquid non praeter naturam operata est gratia, ut aquam vomeret petra, quam non habebat natura? Marath fluvius amarissimus erat, ut sitiens populus bibere non posset. Misit Moises lignum in aquam, et amaritudinem suam aquarum natura deposuit, quam infusa subito gratia temperavit. Sub Elisaeo Propheta uni ex filiis Prophetarum excussum est ferrum de securi, et statim mersum est, Rogavit Elisaeum qui amiserat ferrum, misit etiam Elisaeus lignum in aquam, et ferrum natavit, utique et hoc praeter naturam factum esse cognoscimus. Gravior est enim ferri species, quam aquarum liquor. Advertimus igitur maioris esse virtutis gratiam, quam naturam. Et adhuc tantum Propheticae benedictionis numeramus gratiam. Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicemus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Eliae, ut ignem de coelo deponeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti. Quia ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea quae sunt, in id mutare, quod non erant? etc.

Haec tam longa recitatio exemplorum clare ostendit autorem sensisse, panem non esse tantum signum, sed naturam panis mutari.

Gratianus citavit locum ex Augustino, qui male detortus ad coenam Dominicam multos offendit. Quare ne quis imprudens falleretur, duxi eum ascribendum ac reponendum esse, prius recitabo totum caput, ut extat in libro Decretorum.

Prima quidem Haeresis in discipulis Christi, velut a duritia eius sermonis facta est. Cum enim diceret: Nisi quis manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non habebit vitam aeternam. Illi vero non intelligentes dixerunt ad invicem: Durus est hic sermo. Quis eum potest manducare? Dicentes, durus est hic sermo, separaverunt se ab illo, et remansit cum duodecim discipulis. Discedentibus illis instruxit eos qui remanserunt, Spiritus est, inquit, qui vivificat. Caro nihil prodest. Verba quae locutus sum ad vos spiritus et vita sunt. Intellexistis spiritualiter, spiritus et vita sunt. Intellixistis carnaliter, etiam sic illa spiritus et vita sunt, sed tibi non sunt spiritus et vita, qui spiritualiter non intelligis, Spiritualiter intelligite quae locutus sum. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem, quem effusuri sunt, qui me crucifigent, Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificat vos. Caro autem non prodest quidquam, Sed quomodo illi intellexerunt, sic responderunt. Carnem quippe sic intellexerunt, sicut in macello venditur, aut in cadavere dilaniatur. Sciens autem Iesus, ait: hoc vos scandalizat, quia dixi, do vobis

carnem meam manducare, et sanguinem meum bibere. Si ergo videritis filium hominis ascendentem, ubi prius erat. Quid est hoc? hic solvit quod illos moverat, hinc apparebit, unde fuerant scandalizati, hic plane intelligent. Illi autem putabant erogaturum corpus suum. Ille dixit se ascensurum in coelum, utique integrum. Cum videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius, certe vel tunc videbitis, quia non eo modo, quo putatis, erogat corpus suum, vel tunc intelligetis, quia gratia eius non consumitur morsibus. Item, donec seculum finiatur, Dominus sursum est, Sed tamen etiam hic nobiscum est veritas Domini, Corpus enim, in quo resurrexit, in uno loco esse oportet, veritas autem eius ubique diffusa est.

Hactenus recensui totum caput eo ordine, quo apud Gratianum extat. Est autem ex variis locis consutum, quorum aliqui intempestive detorquentur ad coenam Dominicam. Nemo ignorat, quantum referat, quo loco, qua occasione aliquid dicatur, aut multa aliter dici, cum obiter ad aliquam rem alludimus, quam ubi tota de re instituitur integra oratio. Quare et nos expendere convenit, quo in loco, quo consilio hae sententiae ab Augustino dicantur, quod cum fiet, intelligemus eas non refragari receptae sententiae de coena Domini. Ac iure desiderari diligentia potest in his, qui tot seculis docuerunt Ecclesias, et infinitas disputationes de coena Domini reliquerunt, neque tamen dederunt operam, ut huiusmodi locos, qui poterant lectorem non stultum offendere, vel patefacerent, vel refutarent. Ego Gratianum existimo privati usus causa hos centones collegisse, qui postea, quia pontifices non curaverunt, ut haberet Ecclesia aliquam summam, vel dogmatum, vel ordinationum Ecclesiasticarum, ab omnibus avide recepti sunt. Nusquam enim alibi extabat ullius synodi memoria, nusquam ordinationes Ecclesiasticae perinde in unum acervum collectae reperiebantur. Porro nemo non cupiebat veteris Ecclesiae acta et decreta cognoscere. Sed adparet istum bonum virum, dum omnia converrit, quaedam parum congruentia interdum contexere. Certe hoc caput ex dissimilibus locis coacervatum est.

Nam initio versus aliquot sumpti sunt ex enarratione Psalmi quinquagesimi quarti, ubi haec extant verba: Prima haeresis in discipulis Christi velut ad duritiam sermonis ipsius facta est. Cum enim diceret: Nisi quis manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non habebit vitam in se, ille non intelligentes dixerunt ad invicem: Durus est hic sermo, quis potest eum audire? dicentes, quia durus est sermo hic, separaverunt se ab illo. Et remansit cum aliis duodecim. Tantum sumpsit ex enarratione Psalmi quinquagesimi quarti, caetera quae sequuntur usque ad postremam periodum, mutuatus est, partim ex enarratione Psalmi nonagesimi octavi, partim ex commentario in sextum caput Iohannis, ubi Augustinus de fructu sacramenti seu de manducatione spirituali multa dicit, quae nos non inviti amplectimur. Atqui haec non impediunt manducationem ceremonialem. Nam ut usus sacramenti cognoscendus est, ita etiam ritus a Christo institutus retineri debet, sicut verbum oportet retinere. Paulus enim inquit, Evangelium esse potentiam Dei ad salutem omni credenti, hoc est, fidem et Spiritum sanctum concipi per Evangelium, per verbum et per sacramenta. Neque enim sunt instituta sacramenta tantum ut sint professionis nostrae signa coram hominibus, sicut toga signum Romani civis erat, sed sunt tradita, ut per ea coram Deo erigantur corda nostra, et fidem concipiant. Adest Deus et impellit ac movet corda per haec quae auribus atque oculis percipimus. Itaque quae de manducatione spirituali alicubi dicuntur, non impediunt ceremonialem. Nec ideo abroganda est Christi institutio, quia sine Spiritu sancto inutilis est, sed illud magis considerandum est, nec Spiritum sanctum contingere, nisi cum verbo ac sacramentis corda concipiunt consolationem.

Sed postrema periodus magis offendit, quam tamen, cum viderimus, unde sumpta sit, intelligemus nihil ad hanc rem facere. Est autem sumpta ex commentario in septimum Caput Iohannis, ex initio tricesimi tractatus. Et ut intelligi possit nullam ibi mentionem coenae fieri, integra sententia ponenda est, sic inquit Augustinus.

Evangelii sancti lectionem, de qua pridem charitati vestrae locuti sumus, ista quae modo lecta est, hodierna consequitur. Dominum loquentem audiebant et discipuli et Iudaei, veritatem loquentem audiebant et veraces et mendaces, charitatem loquentem audiebant et amici et inimici, Bonum loquentem audiebant et boni et mali. Illi audiebant, sed ille discernebat. Et quibus sermo prodesset, et profuturus esset, videbat et praevidebat. In illis enim qui tunc erant, videbat, In nobis qui futuri eramus, praevidebat. Nos itaque sic audiamus Evangelium quasi praesentem Dominum, nec dicamus. O illi foelices, qui eum videre potuerunt, quia multi in eis qui viderunt, et occiderunt. Multi autem in nobis, qui non viderunt, et crediderunt. Quod enim pretiosum sonabat de ore Domini, et

propter nos scriptum est, et nobis servatum est, et propter nos recitatur et propter posteros recitabitur, et donec seculum finiatur, sursum est Dominus, sed etiam hic est veritas Domini, Corpus enim Domini, in quo resurrexit, in uno loco esse oportet, veritas eius ubique diffusa est. Dominum ergo audiamus, et quod ipse donaverit, de verbis eius et nos dicamus, etc. Vulgati codices habent, hic est veritas Dominus, corpus enim Domini in quo resurrexit, uno loco esse potest, sed homines non omnino rudes literarum facile iudicare possunt, hanc lectionem mendosam esse. Plane habet aliquam sedulitatis laudem Gratianus, quod non gravatus est tot autores excutere et hunc sententiarum acervum undique ex tam variis locis congerere, sed cum in hoc negotio, conscientiae in discrimen vocentur, non est tutum huiusmodi excerptis fidem habere. Interdum sententiae sunt mutilatae, interdum male detortae. Idem enim alio dictum loco, non semper idem valet. Neque opus est procul exempla quaerere, vel haec una Augustini sententia ostendit, quantum suo posita loco distet ab intellectu, quem parit in alio loco.

Palam est Augustinum hic prorsus nullam mentionem coenae Domini facere, Iubet audire Christum in Evangelio loquentem, quia ipse coram nunc non doceat homines. Loquitur igitur de conversatione visibili, qualem oportet esse docentis. Hanc negat competere Christo passim inter homines, quia oporteat uno in loco videlicet in coelis perpetuam eius esse conversationem.

Ne verbum quidem hic de coena Domini dicitur. Tantum negat conversationem visibilem, qualis est docentis, competere Christo passim. Hoc mihi quidem non videtur apte ad coenam Domini detorqueri. Ac si quis est, cui hic locus persuadet, Augustinum sensisse quod corpus Christi non sit in coena, is, meo iudicio, utitur coniectura leviore, quam res tanta postulat. Ego quidem novum dogma in Ecclesia secutus hanc coniecturam profiteri non velim. Tota oratio de perpetua conversatione loquitur, Ex qua si unum versum transtulerimus ad alios praesentiae modos, quomodo sciemus Augustinum voluisse hunc de alia re intelligi, quam, de qua in praesentia loquebatur. Vulgo aiunt verba secundum subiectam materiam accipienda esse, quod si hic facimus, facile poterit intelligi hunc locum non patrocinari his, qui negant corpus Domini adesse in coena.

Non ignoro multa passim occurrere dicta in scriptoribus, quae suspicax ingenium varie afficere queant. Nam alias aliter loquuntur, cum in alio argumento obiter hanc rem attingunt, sed non est iudicanda coniecturis haec causa, certa et clara testimonia proferenda sunt, ex quibus veteris Ecclesiae sententiam colligamos. Si in religione valebunt coniecturae, omnia poterunt labefactari. Haec eo dico, ut lector expendat, quomodo in hoc loco aliud Augustinus dicat, aliud per coniecturam ratiocinentur isti, qui eum ad coenam Domini transferunt. Cum autem Augustinus hic nullam mentionem coenae Domini fecerit, non est causa, cur hic locus offendat quenquam.

Nullam hic disputationem institui, neminem decrevi laedere, neque quidquam dixi ad ullius contumeliam. Tantum hunc locum Augustini patefacere volui, de quo saepe interrogatus sum, Neque quisquam aegre ferre debet, quod in re tanta iudicavi, non temere fidem habendam esse vulgo citatis testimoniis, sed considerandum esse, quo loco, quo consilio, dicta sint, Haec cura mea non est reprehendenda in his, qui veritatem quaerunt, Nam si in foro arbitrantur incivile esse, non inspecta tota lege pronuntiare, multo magis in controversiis religionis, decet nos integra testimonia requirere. Neque vero quisquam mihi persuaserit, Augustinum hoc loco sic alligare corpus Christi ad unum locum, ut nusquam alibi esse posse confirmet, praesertim cum scriptura nusquam affirmet Christum ita uno in loco esse, ut alibi esse non possit. Quid enim afferri potest, praeter humanae rationis iudicium, cur hoc modo includamus Christum in unum locum? Quod si satis esse putassent veteres, nunquam extitissent ullae controversiae de praesentia corporis Domini in coena. Quis enim non vidit absurda quae consequebantur? sed omnes ita senserunt, iudicium rationis debere scripturae cedere. Et idem autor Iohannis sexto de Christo inquit, filium hominis, tametsi versaretur in terra, tamen in unitate personae in coelo fuisse, verba eius haec sunt, Christus ergo unus est verbum, anima et caro. Unus Christus filius Dei et filius hominis, Unus Christus filius Dei semper, filius hominis ex tempore. Tamen unus Christus secundum unitatem personae in coelo erat, quando in terra loquebatur, sic erat filius hominis in coelo, quemadmodum filius Dei erat in terra, Filius Dei in terra in suscepta carne, Filius hominis in coelo in unitate personae.

Ego igitur moneo lectorem, primum ut meminerit non posse de coena Domini ex hoc Augustini loco iudicari, cum eius rei nulla fiat ibi mentio, Quoquo modo autoritas huius loci defendatur, tamen non debet plus valere quam alia clara et aperta testimonia Hilarii aut Cyrilli, quae manifeste

affirmant corpus Christi adesse in coena. Neque ego ullam satis firmam rationem invenio, cur ab hac sententia discedamus. Fieri potest, ut alia sententia blandiatur otioso animo, quae est magis consentanea humano iudicio, praesertim sic instructa et ornata argumentis erudite cogitatis. Sed quid fiet in tentatione, cum disputabit conscientia, quam habuerit causam dissentiendi a recepta sententia in Ecclesia? Tunc ista verba, Hoc est corpus meum, fulmina erunt. Quid his opponet mens perterrefacta, quibus scripturis, qua voce Dei muniet se, ac sibi persuadebit necessario fuisse hic interpretandam metaphoram? Non satis periti videntur horum certaminum isti qui tam facile serunt nova dogmata, qui sic delectantur ingenio, ut magis admirentur vafre cogitatas rationes, quam verba scripturae. Ego scio, quam leviter in tentatione excutiantur nobis e manibus, rationes illae dissentientes a scriptura, quantumvis antea visae plausibiles, Et accedit hoc in ista controversia magis, quam in aliis, quod universae Ecclesiae, ac toti imperio minatur horribilem mutationem. Tanti scandali conscientiam sustinere sine claro et certo testimonio scripturae, quis possit? Ego itaque sequor veteris Ecclesiae sententiam, quae affirmat adesse corpus Christi in coena, ac iudico hanc habere scripturae testimonium. Non enim invenio firmam rationem, cur nomine corporis in verbis coenae oporteat tantum absentis corporis signum intelligi. Quanquam enim sermo in sacris literis plenus sit figurarum omnis generis, tamen plurimum inter narrationes rerum gestarum interest, et inter ordinationes divinas, seu dogmata de natura, seu voluntate Dei. In narrationibus exponuntur res inter homines gestae, ubi series factorum subiecta sensui, cogit nos absurde dicta figurate interpretari. Si in praeceptis seu dogmatibus, quae de natura et voluntate Dei loquuntur, idem conemur facere, quid consecuturum sit, facile possunt homines eruditi existimare. Hic cum absurditas impingit in alios clariores locos scripturae, seu fidei articulos, corrigenda est beneficio figurarum, sed si tantum in rationem impingat, non in scripturas, convenit praeferre verbum Dei iudicio rationis. Necesse est enim certam esse sententiam illorum locorum, unde dogmata seu articuli sumuntur. Quod si nobis licet hos quoquo modo interpretari, depravari poterunt omnia. Fuerunt olim astuti homines, qui hac ratione totam doctrinam Christianam transformaverunt in Philosophiam. Hi iudicabant Christianos, homines illiteratos, quia parum astute intelligerent ea, quae figurate ac tecte dicta essent, multa absurda dogmata sine causa amplexos esse, Possem exempla recitare, sed habenda est ratio infirmi lectoris, facile enim perturbantur imperitorum mentes. An nemo fuit nostris temporibus, qui significavit huiusmodi callida interpretatione pleraque dogmata mitigari posse?

Abrahae mandatum est, ut circumcideret praeputium. Quis non irrisit inter Ethnicos? Neque tamen licuit illi, cum institueretur ritus, aliud suspicari, quam quod verba sonant. Homo astutus poterat disputare, rem tam ridiculam nullo modo praecipi a Deo, sed significari, libidines esse cohercendas ac frenandas. Hoc sum usus exemplo, cum alia multa reperiantur magis illustria, sed non velim sciens perturbare imbecilles animos. Nullus autem locus scripturae proferri potest, qui testetur Christum non adesse in coena, qui cogat interpretari verba coenae allegorice. Nec usus Ecclesiae veteris cogit ea interpretari allegorice. Tantum repugnat verbis absurditas, quae impingit in iudicium rationis, Haec non est satis magna causa, cur a verbis discedamus. Si hoc genere absurditatis patiemur nos abstrahi a scripturis, nihil habebimus praesidii in ulla tentatione. In afflictionibus iubemur petere, sperare, et expectare auxilium a Deo. An nihil causae habet hic ratio, cur reclamet? Non cernitur praesentia Dei, si quid promisit boni, videtur aliis promisisse, videtur enim irasci nobis propter peccata. Hic maxima rationi dissensio est cum promissionibus.

Quam difficulter persuaderi potest rationi, quod Deo simus curae, quod afficiatur nostris malis, Hoc vero multo etiam difficilius persuadetur, quod propter Christum gratis, sine nostris meritis in gratiam recipiamur, exaudiamur, defendamur et adiuvemur, Itaque si hic vincent absurda, quae sic rationi videntur, si pluris fient quam verbum Dei, nullam consolationem in afflictionibus habebimus. Nec pauciora absurda in tali certamine incurrunt in oculos, quam in quaestione de coena Domini, sed haec non movent otiosos animos. Illae geometricae et physicae speculationes magnum tumultum excitant in animo vacuo et qui consuevit rationes quaerere de doctrina religionis. Et id facimus omnes paulummodo studiosi, sed recurrendum est ad scripturas, ubi cum non inveniam testimonium, quod corpus Christi neget adesse in coena, aut interpretetur verba coenae aliter, quam sonant verba, non habeo rationem satis firmam novae sententiae docendae, praesertim quae tanta scandala excitat, quae ego scio non posse perferri, nisi habeamus firma et certa scripturae testimonia.

Me vero etiam alia multa in scripturis movent, de Christo dicta, ut vere cum adesse posse sacra-

mento sentiam. Nec video causam, cur non ibi vere adesse possit, ubi vere aliquid efficit. Constat autem sacramenta ad hoc instituta esse, ut per ea Deus moveat et exuscitet mentes ad credendum. Non enim sunt instituta, ut tantum sint notae ac signa professionis, quae discernant nos ab aliis gentibus, ut Toga Romanos discernebat a Graecis, aut varietas vestitus discernit Monachos. Neque parum refert in hac controversia, verum usum sacramentorum tenere, de quo magis proderat Ecclesiae fideliter docere, quam de geometricis speculationibus, quae tantum reddunt mentes prophanas, non alunt fidem aut timorem Dei, sed facio finem, non enim institui disputationem, sed dum Augustini locum repono, haec dicenda fuerunt, ut clare appareret illam sententiam ad hanc controversiam nihil pertinere.

FINIS.

XI. SENTENTIAE EX SACRIS SCRIPTURIS COLLECTAE,

QUAE DOCENT PRAECIPUUM CULTUM DEI ESSE, PROMOVERE EVANGELIUM.

AUCTORE PHILIPPO MELANTHONE.

Hoc scriptum primum prodiit a. 1539. cum hocce titulo:

Senten- | tiae ex sacris | Scripturis collectae, quae docent | praecipuum cultum Dei esse, pro- | mouere Euangelium. | Ph. Melanthon. **| (Insigne typogr.: Altare rotundum, in quo cor flammis cinctum est.)** ***Francoforti, apud Christia- | num Egenolphum.*** **— (In fine:) 1539. 1 plag. litt. A sign., 8 foll. non num., 8. (fol. A 2ª — 3ᵇ Mel. Praefatio; fol. A 4ª — 8ª Sententiae Scripturae S. de promovendo Evangelio; fol. A 8ᵇ vacat.). *)**

Hoc scriptum recusum est in *Collectionis Basileensis Operum Melanthonis* Tomo I. (Basil. 1541. Fol.) p. 487—490.

In germanicam linguam translatum atque editum est a. 1539. sic inscriptum:

Etliche Sprüch | Göttlicher Schrifft, die vns | vermanen zu fürderung des heyli | gen Euangelij, vn dz disen Gotes | dienst, alle menschen vor al | len dingen schuldig sind. | Philip. Melanthon. | 1539. 1½ plagg. litt. a, b (b ½ plag.) sign., 12 foll. non num., 8. min. (fol. a 2ª — 6ª med. Vorred Phil. Mel.; fol. a 6ª med. — b 4ª Etliche Sprüche etc.; fol. b 4ᵇ vacat.). **)

Hoc scriptum integrum h. l. transcribimus, quia praefatio eius nondum in huius Corporis Vol. III. inter praefationes anni 1539. data est.

***) Hanc Ed. ex Biblioth. acad. Halensi in manibus habeo.**

****) Haec interpretatio in meis libris est.**

SENTENTIAE EX SACRIS SCRIPTURIS COLLECTAE, QUAE DOCENT PRAECIPUUM CULTUM DEI ESSE, PROMOVERE EVANGELIUM.

PRAEFATIO.

In Genesi describitur odium et saevitia diaboli adversus Christum et membra Christi, cum inquit Scriptura: Serpens mordebit calcaneum eius. Hic morsus quam sit atrox, nulla humana vox eloqui potest.

Incendit diabolus impios, ut lacerent Ecclesiam horribilibus parricidiis, serit scandala, insidiatur sanctis, ut eos in errores et peccata praecipitet, ut Davidem traxit in adulterium. Id peccatum secuta est seditio, deinde fuga Davidis, caedes civium, et alia ingentia peccata. Sic omni tempore diabolus et deformare et delere variis modis Ecclesiam Christi conatur, ut aboleat veram doctrinam, et veros Dei cultus. Adversus hunc tam rabidum hostem armari nos verbo Dei et fide oportet. Cum igitur tyrannis impiorum multos, qui norunt piam doctrinam, deterreat, quo minus confiteri ausint, collegi sententias, et ad confirmandos eos, qui confitentur, et ad erudiendos et excitandos segniores, ut sciant Deum praecipue flagitare hunc cultum, ut confiteamur, ut conferamus consilium, et studium ad illustrandam, ad propagandam puram Evangelii doctrinam. Nec ab hoc officio deterreri nos ullis periculis publicis aut privatis sinamus. In quocunque vitae genere versaris, effice, ut luceat confessio, ut aliquid consilii et operae conferas ad provehendum Evangelium. Si geris magistratum, si gubernas aliorum consilia, si civis es, memineris totam hanc vitae societatem principaliter ad hunc finem divinitus institutam esse, ut Deus innotescat, ut alii alios de vera religione doceant. Sine hac confessione caetera officia Deo non placent. Itaque in ipsis precibus, quas recitamus, Scriptura nos admonet, invocationem sine hoc cultu contumeliosam esse, adversus Deum. Quo ore, qua conscientia potes dicere: Sanctificetur nomen tuum, id est, effice, ut recte agnoscatur, et praedicetur nomen tuum, si tu ipse, sciens veritatem, sinis eam opprimi, aut confirmas impios cultus, non confers studium ad illustrandos veros cultus. Quo animo audes invocare Deum, si ipse adiutor es, ut eius notitia obruatur tenebris?

Nam exaudit Deus eos, qui ipsius gloriam illustrari et conspici nolunt, sicut Psalm. 16. ait: Non ero memor nominis eorum etc. Hoc horrendum peccatum cum pauci intelligant, admonendae sunt Ecclesiae. Qua conscientia legis in Psalmo: Laudationem Domini loquetur os meum, Si non curas celebrari veras Dei laudes? Nemo existimet hanc curam nihil ad se pertinere, sed tantum ad doctores. Omnes ad hoc praecipue conditi sumus, ad hoc renati sumus, ut per nos luceat vera Dei notitia, sicut Paulus vocat Thessalonicenses, lucernas mundi. Et Petrus ait, nos ideo ex tenebris vocatos esse, ut annuntiemus ac celebremus doctrinam coelestem.

Hunc finem et scopum omnium negotiorum atque actionum nobis proponamus, ut in omni vita emineat studium iuvandae, ornandae, celebrandae verae doctrinae et verae pietatis. Pro hac professione subire et pericula et certamina, etiam mortem oppetere, summum est sacrificium, et Deo gratissimum, in his, qui credunt Christo. Ad huius tanti officii cogitationem ut accendantur animi, collectae sunt hae Sententiae, quae non ab humana autoritate ortae sunt, sed sunt voces coelestes, quarum contemptum Deus ingentibus poenis in hac vita, et post hanc vitam punire solet. Ut igitur in invocatione non reclamet tibi conscientia, ut preces tuas exaudiat Deus, hunc cultum de adiuvanda et promovenda Evangelii propagatione praestato.

SENTENTIAE DE PROMOVENDO EVANGELIO.

Exodi XX.

Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis deos alienos coram me.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, nec enim habebit insontem Dominus, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.

Exodi XIII.

Narrabisque filio tuo dicens: Hoc est quod fecit mihi Dominus, quando egressus sum de Egypto. Et erit quasi signum in manu tua, et quasi monumentum ante oculos tuos, et ut lex Domini semper sit in ore tuo etc.

Deut. VI.

Dicesque filio tuo: Praecepit nobis Dominus, ut faciamus omnia legitima haec, et timeamus Dominum Deum nostrum, ut bene sit nobis, cunctis diebus vitae nostrae, sicut est hodie. Eritque nostri misericors. Si custodierimus et fecerimus omnia praecepta eius, coram Domino Deo nostro, sicut mandavit nobis.

I. Regum II.

Quicunque honorificaverit me, glorificabo eum. Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

Psalmo II.

Et nunc Reges intelligite, Erudimini qui iudicatis terram. Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore etc.

Psalmo VIII.

Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem.

Psalmo XXI.

Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiae laudabo te etc.

Psalmo XXIIII.

Aperite portas Principes vestras, et elevamini portae mundi, et introibit Rex gloriae.

Psalmo XXXIIII.

Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te.

Psalmo XLVII.

Psallite Deo nostro. Psallite psallite Regi nostro psallite.

Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quia Deus elevabitur valde, apud Principes terrae.

Psalmo L.

Domine labia mea aperies, et os meum annunciabit laudem tuam.

Psalmo LXXXIII.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit et deficit anima mea in atria Domini etc.

Psalmo CXIX.

Introite portas eius in confessione. Atria eius in hymnis. Confitemini illi etc.

Psalmo CI.

Ut annuntient in Sion nomen Domini, et laudem eius in Ierusalem. In conveniendo populos in unum, et Reges, ut serviant Domino.

Psalmo CXV.

Credidi propter quod loquutus sum etc. Tibi sacrificabo hostiam laudis etc.

Psalmo CXVII.

Aperite mihi portas iustitiae, et ingressus in eas confitebor Domino. Haec porta Domini, iusti intrabunt in eam.

Psalmo CXVIII.

Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum etc.

Psalmo CXXI.

Laetatus sum in iis quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.

Isaiae LXI.

Et vocabuntur in ea fortes iustitiae, plantatio Domini ad glorificandum.

Oseae XIIII.

Omnem aufer iniquitatem, et benefac, et reddemus vitulos labiorum nostrorum.

Psalmo CXLIII.

Reges terrae et omnes populi, Principes et omnes Iudices terrae, Iuvenes et virgines, Senes cum Iunioribus laudent nomen Domini.

Psalmo CXLIIII.

Gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur.

Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam. Laudationem Domini loquetur os meum.

Matthaei VI.

Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis.

Matthaei X.

Omnis qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram patre meo. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo eum coram patre meo.

Ioan. VIII.

Qui ex Deo est, verbum Dei audit.

Ioan. X.

Oves meae vocem meam audiunt etc.

Marci X.

Discipuli indignabantur offerentibus parvulos, Quos cum videret Iesus, indigne tulit et ait: Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos, talium est enim regnum coelorum etc.

Lucae XI.

Qui non est mecum, contra me est, et qui non colligit mecum, dispergit.

Lucae XI.

Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.

Rom. X.

Corde creditur ad iustitiam, et ore fit confessio ad salutem.

Matth. XVIII.

Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.

Qui autem scandalizaverit unum de pusillis illis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, et submergatur in profundo maris.

Ephes. VI. et Coloss. III.

Patres, nolite ad indignationem et iracundiam provocare filios vestros, ne pusillo animo fiant. Sed educate illos in disciplina, et correctione Domini.

Coloss. III.

Verbum Dei abundet inter vos, cum omni sapientia.

Ebraeos XIII.

Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius.

Ad has sententias pertinent exempla, in quibus ostendit Deus se benefacere iis, qui abolent idololatriam, et restituant veram doctrinam, et pios cultus. Econtra vero punit impios qui stabiliunt idololatriam et impiam doctrinam, ut Abia, Asa, Iosaphat, Ezechias, Iosias, Machabeus, Constantinus, Theodosius, defensi sunt divinitus, et ornati clarissimis victoriis. Econtra horribiliter puniti sunt Ieroboam, Achab, Iesabel, Manasse, Antiochus, Nero, et similes.

Brunsvigae,
Typis expressum M. Bruhnii.



